EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS.

Pergite, tu, dilecte fili, tuique in scribendo socii, pergite, ut facitis, tam bene de religione mereri, atque operam Nobis vestram summo in Ecclesiam obsequio probare.

(Leo Pontif. XIII).

Fili hominis, pone cor tuum, et... auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

(Ezechiel. 44. 5).

ANNUS XI — VOLUMEN XI

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California
EL
41126

ROMAE
Typographia Philippi Cuggiani, in Vico a Pace, 35.
1897

Annus XI. N. 1. Ianuarius 1897.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

OMINA.

Singulis Venerabilibus Consociatis nostris, novo adventante anno 1897, fausta quaeque lubentiori animo adprecamur.

SACRA RITUUM CONGREGATIO

I.

GENEVEN.

Rm̃us Dñus Iosephus A. Broquet, Vicarius generalis Dioceseos Geneven., a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit sequentis dubii solutionem, nimirum:

Utrum concurrentibus secundis Vesperis Officii votivi de B. Maria V. Immaculata cum primis Vesperis, Dominicae sequentis, Vesperae fieri debeant a capitulo de Dominica, vel potius recitandi sint psalmi de sabbato?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, atque re perpensa rescribendum censuit: *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

Atque ita rescripsit. Die 3 Septembris 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

II.

ROMANA.

Instantibus plerisque Rmis Episcopis variarum regionum, qui sacros ritus et caeremonias iuxta ecclesiasticas praescriptiones ac laudabiles consuetudines in suis dioecesibus observari satagunt, quaestio super Altari quod communiter dicitur *sepulcrum,* alias agitata, Sacrae Rituum Congregationi sub duplici sequenti dubio reproposita fuit; nimirum:

I. Utrum in Altari, in quo, Feria V et VI Maioris Hebdomadae, publicae adorationi exponitur et asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, repraesentetur sepultura Domini, aut institutio eiusdem Augustissimi Sacramenti?

II. Utrum liceat ad exornandum praedictum Altare adhibere statuas aut picturas, nempe Beatissimae Virginis, S. Ioannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae et militum custodum, aliaque huiusmodi?

Sacra porro Rituum Congregatio in ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habi-

tis, ad relationem infrascripti Cardinalis Sacrae eidem Congregationi Praefecti, exquisitis trium Rm̃orum Consultorum suffragiis scripto exaratis, attenta quoque antiqua et praesenti Ecclesiae disciplina, omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Utrumque.*

Ad II. *Negative.* Poterunt tamen Episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat, huiusmodi repraesentationes tolerare; caveant autem ne novae consuetudines hac in re introducantur. Atque ita rescripsit, contrariis quibuscunque decretis abrogatis. Die 15 Decembris 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, et confirmavit, iisdem die, mense et anno.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S. D. PANICI *Secretarius.*

III.

BELLEVILLEN.

In dioecesi Bellevillensi extat Ecclesia parochialis dicata *Sanctae Infantiae Iesu,* et sacerdos eidem Ecclesiae adscriptus, de consensu sui Rm̃i Episcopi a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem humillime postulavit:

I. Quando Festum Titularis Ecclesiae suae sit celebrandum?

II. Quod Officium cum Missa sit dicendum in hoc Festo?

III. An et quomodo facienda sit commemoratio in fine Laudum et Vesperarum inter commemorationes communes?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Die 25 Decembris.

Ad II. Officium et Missa de Nativitate Domini.

Ad III. Quoad primam partem *Affirmative.*

Quoad secundam, Ad Laudes dicatur: *Gloria in excelsis Deo* etc. nempe antiphona *ad Benedictus,* in Laudibus Officii de Nativitate Domini. In Vesperis dicatur antiphona *ad Magnificat* in 2[is] Vesperis eiusdem Nativitatis, omissis *Hodie.* Atque ita rescripsit. Die 18 Decembris 1896.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. D. PANICI *Secretarius.*

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Cont. V. n. 11, an. 1996, pag. 657).

(335) ..... *Praeterquam in tota octava festi Corporis Christi, si de ea fit officium, quo in casu etiam omittenda est nona lectio simplicis.* Pro festo simplici iam decreverat S. R. C. 8 Iunii 1669 n. 2483, non esse legen-

dam eius nonam lectionem infra octavam Corporis Christi, nisi quando fit officium duplicis occurrentis. In Rubrica propria ante festum Corporis Christi Breviarii a Clemente VIII recogniti legebatur: *Infra octavam de simplici fit tantum commemoratio.* Eadem Rubrica specialis in Breviariis editis post annum 1670 docet: *De simplici fit tantum commemoratio absque IX lectione de eo.* Nihilominus in Rubricis generalibus, hoc loco, quem exponimus nihil dicebatur de omissione IX lectionis simplicis.

In nova tamen emendatione Rubricarum, res in aperto posita est omnino, non tantum pro simplici, sed etiam pro simplificato, tam in generalibus Rubricis ut supra, quam in speciali, quae sic se habet: *Infra octavam non fit de festo, nisi fuerit duplex: semiduplicia tantum commemorantur sine IX lectione.*

Ratio autem huius, est iuxta Cavalerium (*t. II, decr. 128, n. IV*) ut quoad fieri possit de officio Ss. Sacramenti nihil omittatur, neque nona lectio Ss. Patrum, qui de tanto mysterio tam nos erudiunt.

Exclusio IX lectionis sancti simplicis vel simplificati usque ad annum 1887 praescripta erat solummodo pro octava Corporis Christi, certe ob dictam rationem Cavalerii; postea vero et ad alias octavas privilegiatas, quae ex speciali indulto alicubi celebrantur, extensa fuit. Siquidem S. R. C. die 14 Maii 1887 (N. 5985 ad 2) decrevit: " Infra octavam privilegiatam quae admittit tantum duplicia 1 et 2 classis, recitari non debet IX lectio sancti simplicis vel simplificati, quando fiat officium de eadem octava vel de Dominica infra illam octavam (1) „. Valde notatu dignum

(1) Ad hoc S. R. C. decretum animadvertant redactores calendarii ordinis Carmelitarum excalceatorum, qui festum recolunt

est hoc decretum, ex quo nobis videtur emergere sensus Congregationis, scilicet: quo magis octava aliqua est solemnis, eo minus de occurrentibus festis simplicibus vel simplificatis agi debet. Licet ergo pro huiusmodi octavis ratio non militet a Cavalerio allata pro octava Corporis Christi, nihilominus etiam pro aliis octavis privilegiatis ex speciali indulto alicubi, similem limitationem tribui voluit.

(*Continuabitur*).

Doct. Petrus Piacenza.

B. Mariae de monte Carmelo cum octava privilegiata, nec non redactor calendarii Urbevetanae dioecesis, in qua similiter cum octava privilegiata celebratur Assumptio B. M. V. neque amplius de sanctis simplicibus, vel simplificatis in octavis huiusmodi occurrentibus, legendam praescribant IX lectionem.

Quoniam vero in utroque Calendario Carmelitano et Urbevetano huius anni 1896, vidimus infra dictas octavas de Dominica occurrenti agi tantum commemorationem non vero officium, videant redactores an recte id fiat, cum de Dominica potius, non de die infra octavam officium recitandum esset, prouti supra iam disseruimus in expositione Tituli IV *de Dominicis.*

Quod maiori nunc iure contendimus, quia in citato decreto 14 Maii 1887 praescribitur: infra octavas huiusmodi privilegiatas, non esse legendum IX lectionem sancti commemorati, quando fiat officium de octava, *vel de Dominica infra illam.* Ergo mens est S. R. C. ut infra octavas privilegiatas, ex indulto locali, ut de Dominica infra illas occurrenti officium fiat omnino cum commemoratione octavae, et non viceversa.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI

I.

In pluribus Ecclesiis extare dicuntur quaedam Reliquiae insignes de Ss. Innocentibus, uti in Cathedralibus Parmensi, Placentina, Barensi, Patavina, etc. Nunc autem nulla in iis servatur uniformitas in officio de iisdem Ss. Martyribus, die propria, seu 28 Dec., occurrentibus. Namque ex iis aliquae ita se gerunt, ac si festum in Dominica semper occurreret, ut *Gloria Patri* addant ad VIII responsorium, et IX nunquam legant, dicant *Te Deum* adhibeantque colorem rubeum.

Nonnullae vero Rubricam specialem dicti festi servant post VIII lectionem in Breviario positam, quamvis aliqui id aegre ferant, opinantes, ritum moestitiae, uti omissionem *Gloria Patri* in VIII responsorio, et additionem responsorii IX in ultima lectione, atque a fortiori defectum hymni *Te Deum,* ritui laetitiae festi nequaquam respondere. *Quaeritur:*

1. *Quid de festi Ss. Innocentium origine dicendum veniat seu in graeca seu in latina Ecclesia, ac de eius ritus singularitate extra Dominicam in Ecclesia latina?*

2. *Utrum Reliquia insignis sit causa sufficiens, ut Ecclesia illam possidens specialem dicti festi Rubricam negligat?*

3. *Quid pro praxi tenendum in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Iosephi Vizzini Scholae Apostolicae alumni, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 18 Novembris 1896; acta Epitoma per Rmum Dom. D. Hilarium Passerini ex Praelatis Romanis.

I. Inclyta Sponsa Christi, quae iam ab initio, materna prorsus cura honore prosequi heroas, qui tormenta passi, palmam consequuti sunt martyrii nacta est, dignam itidem putavit honore *primam Christi victimam, candidatam plebem imbellis infantiae,* in quam Herodis regis immanitas desaevit. Innocentes illi, quamquam *non loquendo,* Dei *praeconium* coram tyrannis *confessi sunt, sed moriendo,* Martyrum nomen et gloriam merito sunt adepti, sicuti iam a prioribus saeculis novimus ex libro III adversus haereses Irenaei Martyris, qui secundo vixit saeculo. Id tamen certum non praestat argumentum ad cultum Sanctorum Innocentium iam tum existentem demonstrandum; prodest nihilominus eius Sancti auctoritas, ad ostendendum quales tunc existimarentur ab Ecclesia, et ex eo parari gressum ad eorum memoriam rite instituendam. Talis cultus vestigia pervetusta tempora signant; testis in graeca Ecclesia Menologium, quod die 29 Decembris, Ss. Innocentium martyrium notat;

apud latinos Origenes (saec. III), qui in homilia tertia in Evangelium S. Matthaei, ita se exprimit: « Bene et secundum voluntatem Dei, eorum (nempe Innocentium) memoriam Sancti Patres celebrari mandarunt sempiternam in Ecclesiis, veluti pro Domino morientium ». Sed et inde eruitur eorum festum non scriptoris tempore institutum, sed praecedenti, satisque remoto, uti, intelligere sinit nomen Patrum, ab eo institutoribus datum. Saeculo IV, Augustinus testis, in suis duobus sermonibus *de Innocentibus*, ac duobus aliis *de Sanctis*, quibus et alios duos addit Possidius in S. Doctoris vita, quos habuit in eorumdem sanctorum octava. Infirmat tamen horum argumentorum vim Meratus insurgens post Grancolam et Thomassinum, negando illa Origenis et Augustini scripta esse authenticitate praedita. Negat homilias Origeni attribuendas ex eo, quod *scatent vaniloquiis, antithesibus verborum, lusibus, etc.* De S. Augustino ait, tractatum *de Octavis Infantium*, neophitos respicere, qui infantes vocabantur, quia nuper in fide regenerati, iuxta illud apostoli Petri: *quasi modo geniti infantes;* hi sane post baptismum albas gestabant vestes, quas octavo die deponebant; sermones alios apocryphos omnino iudicat. Sed, quidquid sit de hac quaestione, quam ipse Benedictus XIV insolutam relinquit *(De canoniz. Sanctor.)*, certa non deficiunt argumenta pro cultus SS. Innocentium antiquitate statuenda. Saeculo V christianus poeta Prudentius, triumphum cecinit Innocentium, hymno, qui probabiliter in S. Liturgia adhibebatur. Plurima insuper Martyrologia commemorant et Calendaria. Praeter Martyrologia

Adonis, Usuardi, Fuldense et Octobonianum, et Calendaria Gellonense, Richenoviense et Vaticanum, codex vetustissimus Monasterii S. Theodorici die 28 Decembris refert: *Natale Ss. 144000 Innocentium.* In Regula Crodagangi, quatuor festa principalia adnotantur, nempe: Nativitatis, S. Stephani, S. Ioannis Evangelistae et Ss. Innocentium. Calendarium Carthaginiense a Mabillonio repertum in Cluniensi Monasterio, ad quintum pertinens saeculum, notat diem natalitium Martyrum et depositionem Episcoporum, quorum Carthaginiensis Ecclesia celebrat anniversarium, et quinto Kalendas Ianuarii ponit: *Ss. Infantium, quos Herodes occidit.* Inde Grancolas deducit festum Innocentium in Africa primum institutum fuisse, unde excepit Roma, et exinde Gallia. Addit probabiliter celebratum primum fuisse una cum festo Epiphaniae Domini, et sane huius rei indicium praebet Sermo Ss. Innocentium a S. Fulgentio Episcopo habitus, qui una cum alio Epiphaniae invenitur; hoc idem insinuat Prudentius successive disponens Hymnum Ss. Innocentium et Epiphaniae.

Quanti sit facienda Grancolae opinio, non adstruimus; satis est pro certo habere Festum Ss. Innocentium remotissimae pertinere antiquitati, quamvis verum institutionis tempus frustra quaereretur, et maxima demum cura servatum posterioribus saeculis fuisse. Cl. Martène, in suo opere *De antiquis Ecclesiae ritibus,* refert quod breviter scripsit in suo ordinario Lucas Episcopus Cusentinus et fusiori calamo Rituale Turonense, super quadam consuetudine aliquibus in Ecclesiis introducta; sicut in Festo S. Stephani Diaconi in

divinis officiis emicabant, et in alio S. Ioannis Ev. Presbyteri, ita in festo Ss. Innocentium, potissimum pueri (1).

Verum cum istorum caeremoniae, quae *baleationes* alicubi vocabantur, pluribus nec parvis incommodis locum dederint, abolitae fuere a quibusdam Conciliis Provincialibus, *sub interminatione anathematis;* unde gradatim evanuere; tempore

---

(1) Lectoribus haud ingratum evadet usus meminisse popularis simul ac religiosi, quo pueri Festum illud recolebant. Puerorum Festum pridie incipiebat, nempe die Festo S. Ioannis. Post cantum *Primae*, narrat Rituale Turonense, clerici super equos procedebant ad *Bellum montem*, ubi puer selectus Episcopus designabatur. *Revestitus in cappa serica* cum Mitra et Baculo, *Episcopellus* sedebat in Cathedra, et post varias caeremonias maiestate gravi benedictionem donabat *super Moniales*. Hoc rito absoluto, clericorum equitatus ad Ecclesiam S. Martini revertebatur, una cum novo Praelato pontificaliter induto. Ad thesauri ianuam denuo in cathedra sublevabatur, et ducebatur ad Altare B. Martini, indeque, *dicta oratione*, populo benedicebat. Ita possessionis actum Episcopellus perficiebat. Die autem festo ad altare pueri ministrabant, omnia perficientes, praeter actus sacrum Ordinem requirentes. Ritualista notare satagit vetitum extitisse cantum Epistolae, quae a Subdiacono in choro legebatur. Demum Vesperae locum habebant; hic pueri totam muneris dignitatem sentiebant, dominarique curabant. Et sane ad canticum *Magnificat*, Episcopellus cum clericulis in chorum adveniebant, *candelas accensas de proprio*, manu gestantes, cum autem versus ille cantari incipiebat: « Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles », Episcopellus baculum accipiebat, et post eum pueri ad chori sedes ascendebant, quas Clerus derelinquebat. Dicta Oratione, Altare SSmi Crucifixi petebant responsoria antiphonasque congruentia concinentes, ibique Oratione iterata, Episcopellus finalem benedictionem impertiebat. « Deinde, (sunt verba Ritualis) ducit eos cantor in domum suam et ibi bibunt et dant candelas ianitori cantoris ».

quo Martène scribebat (1737) Lugduni observabantur, hodie veluti antiquus mos memorantur.

At festum Ss. Innocentium habuit iampridem moestitiae characterem in Sacris Ecclesiae ritibus, sicut fidem faciunt Ordines et Missalia eorum temporum. Ordinarium Cassinense praecipit: « ad Missam Diaconus et Subdiaconus in planetis nigris procedunt, et nec *Gloria in excelsis*, nec *Alleluia*, nec *Credo* dicitur, excepto si in Dominica venerit ». Analogas habet praescriptiones Ordinarium Silvanectense: « Nec in fine Invitatorii *Gloria Patri*, nec ad responsoria per horas *Alleluia*, nec *Gloria Patri* decantari debent ». Breviarum vero Ecclesiae Catalauniae, praeter omissionem versus *Gloria Patri*, vult insuper quod *non cantetur Te Deum laudamus*.... nec *Gloria in excelsis*, nec etiam *Alleluia*, nec *Ite Missa est*; praescribit tamen haec omnia in octava. Non aliter sentiebat ipsa Romana Ecclesia. Tempore Innocentii III, iam colore violaceo utebatur, et Benedictus Canonicus S. Petri in suo Ordine Romano scribit: « Romani non comedebant carnes nec saginas, nisi forte in Dominicam incidisset ». De officio autem generatim ait, quod *totum erat quadragesimale*. Non tamen videtur hic maestitiae sensus ubique expressus. Historici dicunt: *quarumdam Ecclesiarum*... *in aliquot Ecclesiis*. Ulricus Abbas Cluniacensis argute aiebat: « In natali Innocentium, quod aliae Ecclesiae non cantant *Gloria in excelsis*, nec *Alleluia*, hoc minime curatur a nobis ». Unde Amalarius, opinatur, ab initio nullum moestitiae signum datum fuisse, et progressu tantummodo temporis introductum in ceteris Ecclesiis, dum

in Monasteriis primitivus mos tenaciter servabatur. Hac nostra aetate Rubricae, tam Missalis, quam Breviarii, luctus vestigia servant.

Quamvis ex casu proposito limitaremur ad perpendendas tantum Rubricas Breviarii, tamen, eo quod ex aliis Missalis praescriptionibus, maiori luce ad intimam dignoscendam indolem huius festi perfundemur, opportunum eis innuere autumamus. Si occurrat, festum Ss. Innocentium extra Dominicam, Rubricae Missalis vetant recitari *Gloria in excelsis, Alleluia, Ite Missa est,* quae sunt laetitiae indicia; praecipit vero, ut dicatur tractus, moestitiae signum diebus poenitentialibus reservatum. Cum autem die Dominica occurrit, omnia moeroris indicia eliminant, locum omnino cedendo laetitiae.

His praescriptionibus, quae Missam respiciunt conveniunt et aliae, quae Officium divinum spectant, prout a Breviario exhibentur, die 28 Decembris: « Si hoc festum venerit in Dominica, tunc in fine praedicti ℟. VIII additur *Gloria Patri, Vindica,* et post IX Lectionem (omisso nono ℟.) dicitur *Te Deum laudamus.* Aliis diebus ut infra », nempe cum IX ℟. absque *Te Deum.* Haec peculiaris Rubrica plane consonat generalibus Tit. XXVII De responsoriis post Lectiones, et Tit. XXXI De Hymno *Te Deum.* Hanc mutuam Rubricarum Breviarii et Missalis congruentiam plane invenimus conformem Rubricae Generali Missalis Tit. VIII: « Gloria in excelsis dicitur quandocumque in Matutino dictus est Hymnus *Te Deum* » (exceptis Feria V. et Sabbato Maioris Hebdomadae).

Quoad autem colorem paramentorum, in Rubricis Gen. Missalis (*Tit. XVIII* De coloribus paramentorum) post regulam generalem: « Paramenta Altaris, Celebrantis et Ministrorum debent esse coloris convenientis Officio et Missae diei », possumus etiam a priori statuere, colorem adhibendum in festo SS. Innocentium, quando non incidit in Dominicam, respondere debere illi peculiari formae laetitiae mixtae cum quadam moestitia, unde violaceum assumendum; quando vero incidit in Dominica, rubrum. Et revera dicit Rubrica (*ibid. num. 3*): « Rubeo colore utitur... in festis Martyrum, excepto festo Sanctorum Innocentium, quando non venerit in Dominica; si autem in Dominica venerit, utitur rubeo: in eius vero die octava semper utitur rubeo, quacumque die occurrat. Et num. 5: « Violaceo colore utitur... in festo SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica ». Porro huius differentiae ratio, quod nempe in Dominica et die octava color rubeus sit assumendus, in eo est, quod cum Dominica sit dies quo Resurrectio commemoratur D. N. J. C., et Octava, iuxta Ecclesiae spiritum, coelestem beatitudinem repraesentet, ut Honorius, Durandus, Gavantus, Benedictus XIV et Cavalieri testantur, tunc incongruum, nec immerito, visum est signa dare moestitiae. At iure quaeri potest, curnam haec ritus singularitas extra Dominicam? Non una Liturgicorum sententia. Auctor Micrologi, factum putavit eo quod Innocentium animae non illico ad caelum evolaverunt, sed ad Limbum descenderunt. Illi adhaeserunt Vulgatus Alcuinus (De div. Off. *Tit. de Officio*), Honorius (Gemma animae *lib. 3, c. 14*), Hugo Victorinus, Benedi-

ctus XIV (De Missa, *Sect. 1. c. 8. p. 3*). At huiusmodi opinio admitti non potest, quia alii quoque Sancti veluti S. Ioannes Baptista, S. Ioseph et ceteri veteris Testamenti ad Limbum descenderunt, et tamen in eorum Officio dicitur *Te Deum*, et adhibetur color albus vel rubeus, iuxta eorum qualitatem. Unde Durandus, Gavantus in rubricis Breviarii, et Cavalerius merito ei refragantur. Sed Gavantus veram significationem invenisse putavit in non omnimoda pertinentia eorum Martyrum ad Novum Testamentum. Contra huius rationis robur stat eadem responsio, quam nuper dedimus prò Sanctis Veteris Testamenti, et e contrario si v. gr. SS. Fratres Machabaei colore rubeo celebrantur, a fortiori eodem ornari deberet festum SS. Innocentium, qui Christo inter mortales degente occisi sunt. Tandem Amalarius probabiliorem adduxit rationem, de fletu nempe et dolore Matrum puerorum. Ecclesia triumphum celebrans gregis immolatorum teneri oblivisci non potest Matrum ploratus, ideoque dum ex una parte gaudet, ex alia propter compassionis affectum, earum dolori immiscetur, eo vel magis, quod crudele infanticidium a Ieremia praedictum fuerat moestissimo eloquio: «Vox in excelso audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel plorantis filios suos et nolentis consolari super eis, quia non sunt»; Rachel quidem, cum Gavanto observamus, Ecclesiae Christi figura extitit. Haec opinio probabiliorem dicimus, sed est et communior (cf. Durandum Ration. div. Off. *lib. 7. c. 41*, Gavantum, Tetamum, Cavalerium, Meratum, Alcuinum, Honorium, Hugonem Victorinum, Benedictum XIV etc.). Aliam addimus, nec spernendam, Ioannis Abrin-

censis, ex historicis adiunctis illius caedis pariter deductam. Is ritus moerorem, illi comparat, quem Ecclesia ostendit in morte Domini commemoranda, rationabilemque demonstrat hac de causa: «quia ut Christus occideretur tot parvuli occidi iubentur, et illis occisis, fit mors Christi secundum existimationem Herodis». Si tot defensores quot praedicta Amalarii, haec opinio non habet, non tamen ab ullo unquam refutata est: nec ceterum carere videtur sua probabilitate; si enim Christi Sponsa, amatissimi Sponsi morte graviter anxiatur, cum recordatur insidiarum, quibus ad mortem quaeritur ipso laetitiae tempore, miscet gaudia fletibus. Nec cogitare prodest quod salvus tunc evaserit, quia si ferrum cruenti carnificis eum attingere non potuit, serius tamen *Agnus futurus est crucifigi* (1).

II. Quaeritur nunc utrum Reliquia insignis sit causa sufficiens, ut Ecclesia illam possidens specialem dicti festi Rubricam negligat. Notanda sunt imprimis, quae de Reliquia insigni a S. R. Congregatione statuta fuere, nempe quod Eccle-

---

(1) Emus Card. Parocchi Academiae Praeses, post dissertationem hanc, feliciter suam edixit opinionem, quam libentes accipimus et pervulgamus. Praefatas rationes non excludens, observavit Ecclesiam ipso die Ss. Innocentium memoriam recolere fugae S. Familiae in Aegyptum, ex qua magna afficitur tristitia, excogitans Pueri Iesu exilium, et haud parva itineris incommoda nec non mansionis in terra aliena. In hac ergo festivitate Christus absconditur, et Ecclesia aspectu suo fraudata, non satis Puerorum laetatur triumpho. Et sane nonne quodam et nos afficimur moerore cum die illa quotannis ablatum, seu velatum cernimus divi Infantis simulacrum, pie in nostris Ecclesiis Natalitio tempore expositum?

sia illam possidens, gaudere queat Officio et Missa sub certis conditionibus, ita ut concludamus, ea quae congruunt Ecclesiae illi, ad alias nequeant extendi, veluti ex Cathedrali, ad alias Dioecesis, ex Ecclesia Capite Ordinis ad alias Ordinis ipsius, ac proinde etiam pro nostra quaestione, nempe de Hymno *Te Deum*, colore paramentorum etc., limites non excedantur Ecclesiae possidentis. Supponimus insuper Reliquias stricto sensu liturgico esse insignes, et quaestionem nostram distinguimus ab alia, num quando Ss. Innocentes titulares sunt Ecclesiae, signa adhiberi possint laetitiae et color rubeus. Casus fit de Ecclesia Reliquias Ss. Innocentium possidente, etiamsi expositas nunquam teneat. Hoc super negotio nec ex Rubricis, nec ex S. C. Decretis certa desumi potest regula. Ex Decreto enim diei 17 Aug. 1771, a Bouvry citato, nihil erui potest, eo quod, Decretum loquitur in genere de omnibus Reliquiis insignibus aut non, Sanctorum, quae in Ecclesia servantur, ex quibus, cum nonnullae Ss. Martyrum non deficiant, idcirco color rubeus praecipitur, nobilior enim pars trahit ad se alteram, etsi numerice maiorem: in casu autem nostro habemus Sanctos vere martyres, quibus extet aut non ratio Reliquiae, color rubeus iure convenit. Et sane si Sanctus vel Sancti particulares quorum Reliquiae insignes asservantur, et quorum ob eam causam fieret Officium, non essent Martyres, color profecto albus adhiberetur, solutionem ergo quaerere oportet legis spiritui conformem, quem in aliis explicitis praescriptionibus inveniemus. Videamus ergo quaenam sint praerogativae, quibus distinguitur festum Sancti cuius Corpus vel in-

signis Reliquia asservatur. Si de Sancto agatur in Romano Martyrologio descripto, etiamsi in Calendario Ecclesiae non inserto, ius habetur ad illum recolendum; si ritu inferiori sit praeditus, ius habet ad elatiorem, scilicet duplicem minorem; si alias in Missa non sit dicendum Symbolum, ius requirit ad illud adiiciendum. Nunc quaerimus an istae praerogativae taliter immutent festi indolem, in casu nostro, ut gaudium fiat plenum, ac proinde vestes luctus immutari debeant. Sententia nostra affirmativa est. Et sane, eo quod Ecclesia aliqua Corpus aut insignem Reliquiam possidet, iam valde laetatur, ob pretiosum thesaurum quo ditatur; ergo Ecclesia Reliquias insignes possidens Sanctorum Innocentium festivo more in omnibus ornari debet. Insuper duplici titulo festum celebrat, quod nempe festum sit Ecclesiae universalis, et quod etiam Reliquiae causa sit particulare, ergo duplex laetitia. Item, quamvis in Ecclesia universa gaudeat ritu duplici 2.ae classis, non tamen negligenda est ratio festivae indolis, quam Apostolica Sedes alicui Ecclesiae tribuit ratione tantum possessionis Reliquiae, ritum duplicem concedendo et persaepe duplicem maiorem. Tandem Symboli recitatio, quamvis nullam per se in Officio Sanctorum inducat novitatem, tamen Solemnitatis et illud argumentum praebet, sicuti in Patronorum et Titularium Missis; ergo Symboli concessio, ratione Reliquiae, nostram sententiam roborat, quia quamvis non recitaretur in festo, ob occursum octavarum illud requirentium, dici deberet in casu, ob praesentiam Corporis seu Reliquiae, et hanc ob causam dicitur etiam die octava. Notabimus, ex communiori sen-

tentia, Titulum Ecclesiae et Patronatum causam esse sufficientem, ut color rubeus adhibeatur, adiiciatur *Te Deum* ac *Gloria in excelsis*, etc. non vero Titulum Cappellae seu Altaris, quamvis esset maius.

Quaestio soluta videretur, sed ad illam roborandam, magni ponderis essent liturgicorum opiniones et insignium Ecclesiarum praxis; at concordes non inveniuntur. Cavalieri et **Falise** adversantur, Holden, teste Merato, etsi non videat in insigni Reliquia potiorem praerogativam, quam in titulo Altaris, tamen quaestionem *assertive resolvere non audet*. Tetamus et ipse anceps haeret. Bauldry limitationem ponit colorem rubrum admittens: 1° *si a maioribus ordinetur ;* 2° *si sit aliqua laudabilis consuetudo cum concursu populi;* ceterum consuetudinem vocat laudabilem. Quoad autem praxim Ecclesiarum Reliquias insignes, seu corpora SS. Innocentium possidentium Tetamus ipse refert, iuxta nostram sententiam, extitisse Viterbii in Ecclesia parochiali et in Collegiata SS. Faustini et Iovitae, ita ut color rubeus adhiberetur, cum analogis mutationibus in Officio et Missa. Bononiae in Ecclesia S. Petronii, haec praxis observatur. Ita pariter Romae in Patriarchali Basilica Ostiensi. Ex quibus omnibus licet concludere, Reliquiam insignem, quam Ecclesia aliqua possidet Ss. Innocentium, sufficientem causam vere constituere, ut peculiaris dicti festi Rubrica negligatur. Etenim auctores fere omnes, aut id concedunt, aut consuetudinem iam inductam contra praefatam Rubricam laudabilem dicunt, aut saltem incerti remanent in resolvenda quaestione. Iam nunc, cum Rubrica explicite quid

agendum sit decernat, Liturgicorum varius sentiendi modus sententiae quam defendimus aperte favet; secus enim eam adimplendam in casu profecto sustinerent.

III. Quid tenendum in casu? Ultimae petitioni facimus satis, breviori calamo reponentes, optime pro praxi quae in altera disseruimus responsione inservire posse. Sane, si ex una parte, explicita est Rubrica, ex altera vero oppositum servandum vel servari posse docent plures illius expositores, uti superius diximus; consequens ergo est, ut, haud obstante lege, quae generalia tangit, non particularem casum, in quo versamur, et *Gloria Patri* addi ad VIII[um] Responsorium, et IX[um] omitti debeat in officio, *Te Deum* proinde sit dicendum, atque etiam hymnus angelicus addendus cum relativo *Ite Missa est* in Missa, quae rubrum colorem habebit. Quod magis quoque probandum dices ratione perpensa alteri contraria, ob quam Rubrica ea omnia generaliter prohibeat. Namque dictorum Rituum vetitum in moestitia situm est, qua Ecclesia universalis afficitur, uti superius exposuimus; sed attenta possessione et festo Reliquiae insignis, iam satis dicta ratio imminuitur, eique maxima laetitia sufficitur. Ecclesia enim particularis, non tam rationes moestitiae considerat, quam gaudii, quae potissimum respiciunt triumphum Ss. illorum Innocentium, quorum Corpora vel insignes saltem possidet Reliquias, ut hae omnino illis praevalere videantur. Nihilominus eas censura non auderemus notare, quae aliter se gerunt, et ad litteram Rubricam observant; sed satis sit nobis ostendisse, oppositum in praxi tuto posse teneri.

QUAESTIONES ANNI 1895-96

I.

1. *Quaenam, vi Caeremonialis Episcoporum, sint, et ex qua materia atque colore, exteriores vestes ad communem usum, quibus indui debet Episcopus pro sacris obeundis functionibus, quidque de earum antiquitate dici possit?*

2. *Quibusnam causis innitatur lex Caeremonialis Episcoporum super vestium colore, vel violaceo vel nigro pro ratione temporis, et num eadem lex urgenda sit?*

3. *Quid de defectu tam caudae in talari veste Episcopi, quam pileoli, dum sacras functiones, maxime pontificales, ipse peragit, seu Caeremoniali seu consuetudine inspectis?*

CONCLUSIONES.

Ex dissertat. R. D. Evandri Settimj habita die 13 Nov. 1895; Epitomatore Rev. D. Philippo Can. Difava.

I. Vi Caeremonialis Episcoporum (*Lib. I c. 1 et 3),* vestes Episcopi propriae sunt: Vestis talaris, Rochettum, Mantellettum, Mozzetta et Cappa. Episcopi ex Ordinibus Monasticis et Mendicantibus Rochetto non utuntur, nisi ex privilegio; ex Canonicis et Clericis Regularibus, nec non ex Ordinibus militaribus utuntur. Mozzettam super Rochettò induunt in propria Dioecesi vel Pro-

vincia et in Congregationibus et Conciliis Provincialibus. Cappa utuntur in propriis Ecclesiis pro solemnibus functionibus. Mantellettum pro Mozzetta assumunt extra dioecesim, vel coram Cardinali Legato; Mantellettum cum Mozzetta coram Cardinali non Legato; et extra Dioecesim, ubi viget consuetudo; Monachi vero et Mendicantes utrumque ubique, etiamsi Rochettum obtinuerint. Hoc quoquo privilegio a Benedicto XIV donati sunt Archiepiscopus Bononiensis et Episcopi Bononiae nati. Idem Pontifex quatuor prioribus Patriarchis praefatum privilegium concessit, commorantibus in Urbe, extra enim, sola utuntur Mozzetta. Pileolus et Biretum habitus sunt complementum.

Harum vestium materia esse debet ex lana vel in solemnioribus festis ex cammellotto, nunquam serica. In Pontificia Cappella usus invaluit vestium ex serico; num etiam in propria Dioecesi Episcopus iisdem uti possit disputatur, videtur tamen talis consuetudo non illegitime introducta.

Cappa *semper* violacei coloris esse debet; vestes immutantur iuxta temporum distinctionem, ita ut nigrae sint diebus poenitentiae et luctus, violaceae aliis diebus. In officiis et exequiis a Caeremoniali non praescribitur color niger, sed iuxta S.R. Congregationis Decretum (*2 Septembris 1868 in Rhedonen.*) servari debet consuetudo locorum. Regulares colore utuntur respectivi Ordinis, exceptis iis de quibus supra (Franciscales non Capuccini cineraceum adhibent). Pileolus et Biretum semper sunt violacei coloris, etiam pro Regularibus quibuscumque.

Quoad harum vestium antiquitatem, dicendum, originem duxisse a vetustissimis temporibus, ex vestibus, quibus etiam in civilibus usae sunt personae cuiusdam dignitatis, ideoque habitus est talaris. Color violaceus iam antiquitus receptus fuit ad humilitatem modestiamque Christi ministrorum indicandam. Rochettum ex tunica linea derivat, prouti Alba et Superpelliceum, qua praestantes viri, Romae praesertim, utebantur. Etiam extra liturgicas functiones adhibentur, quia mos fuit saeculo IX sacerdotibus cunctis in communibus quoque vitae actibus tunicam lineam induere (*Decr.* Leonis III. *a. 885*). Mantellettum originem duxisse videtur e veteri *colobio,* nempe veste talari absque manicis. Mozzettam peritiores dicunt fuisse olim *byrrhum*, parvum nempe pallium cum caputio, ab ecclesiasticis viris adhibitum. Cappa demum, sicut et Pluviale, eamdem probabiliter ducunt originem ab antiquorum Casula, quae undique clausa ad talos usque pertingebat, cui caputium addebatur ad caput cooperiendum. Usque ad X saeculum a Pluviali non fuit distincta, et a laicis quoque assumebatur, praesertim in processionibus. Cardinalibus concessa fuit, uti dignitatis et maiestatis signum a Bonifacio VIII; Episcopis, ut videtur, a tempore quo Apostolica Sedes Avenione degebat.

Ut Praelatorum habitus, *honestus et dignitati congruens* (Conc. Trid. *Sess. 14, c. 6, de Reform.)* haberetur et simul maiori commoditati provideretur, Pius IX quamdam formam vestium invexit, ab eius nomine *habitus pianus* dictarum, quae nigrae de cetero, nonnisi in Pallio, fascia seu zona

et extremis oris, colorem respective praeseferunt caetus cuiusque.

II. Causae ob quas Caeremoniale vestium colorem, iuxta tempora immutare Episcopis praecipit, eaedem profecto sunt, ob quas diversum in omnibus Ecclesiae ornamentis requirit apparatum, moestitiae et gaudii; congruum est enim exteriori habitu et ornatu internos animi sensus exprimere. Cardinales item habitus colorem variant: violaceum diebus moeroris, rosaceum Dominicis *Laetare* in Quadragesima et *Gaudete* in Adventu, rubeum ceteris diebus.

Prout de materia vestium Episcoporum diximus, usus coloris immutandi non ubique servatur, sed haud nimis querendum, quia Caeremonialis verba haec sunt: « ... tunc Episcopum *decet* uti vestibus... nigri coloris » (1). Romae nunquam Episcopi colorem violaceum mutant, forte ob Romani Pontificis praesentiam, et sane tempore Sedis vacantis Caeremonialis lex urgetur, sicuti factum novimus post Pii Pp. IX obitum.

III. De cauda in veste Episcopali non loquitur Caeremoniale, sed tantum de cauda Cappae. Cardinales et Praelati Pontificiae domus caudae honorem (quippe quae iam ab antiquo a magnis viris gestata) Nicolao IV Pontifici debent (Moroni, *Dizion. di erudizione)*. Episcopi, ex eo quod Cappam caudatam pro Sacris induendis vestibus deponere debeant, forte, ad signum dignitatis servandum, vestem ipsam cauda ornaverunt; sed et dici potest

(1) Optandum (ait Emus Academiae Praeses) ut saltem Feria VI. Mai. Hebd. Episcopi nigrum colorem in vestibus assumerent.

usus invectus ad imitandum Apostolicos Praelatos. Sacra ipsa Rituum Congregatio pluribus responsis, usum legitimum declaravit. In Missis privatis, nec ab ipsis Cardinalibus explicatur; sed in Caeremoniali Basilicae Assisiensis, a Benedicto XIV promulgato, legitur, solis Cardinalibus id licere. Caudae usus universalis fere evasit, ita ut admirationem et quamdam dignitatis depressionem pariat illius defectus.

Quoad Pileolum tandem, vi consuetudinis invectum dicimus, quae saeculo praesertim XIII invaluit (V. Thiers. *Stor. delle Parrucche*); S. R. C. usum pluries probavit sub certis tamen clausulis, sicuti et Urbanus VIII vetuit in Missarum celebratione Apostolicum indultum non habentibus. Episcopis conceditur in Missa aliisque S. Functionibus per Breve Apostolicum et quidem violacei coloris, ex privilegio Pii Pp. IX (*diei 17 Iun. 1867*). Caeremoniale Episcoporum Pileoli non meminit, nisi cum dicit Mitrae supponendum, ita ut seu ex hoc capite, seu ex eo quod respectivum Breve petere debeant, Episcopi non obligentur ad illum gestandum. Sed et huius defectus, uti de cauda diximus, saltem apud nos admirationem pareret. Biretum violacei coloris indultum fuit a SS. D. N. Leone Pp. XIII, die 3 Febr. 1888.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

1. *Ex Hala.* **De interpretatione Decreti** *Aucto*, **circa Missas de Requie.** *a*) Quomodo computari debet *biduum*, ut Missa celebrari possit sepulto cadavere?

b) Ut Missae privatae celebrari valeant, die vel pro die obitus aut depositionis, necesse ne est ut etiam cantata locum habeat?

c) Possuntne dictae Missae celebrari Feria IV Cinerum, prioribus diebus Maioris hebdomadae etc.?

Resp. a) Biduum pro Missis de requie celebrandis, cadavere moraliter praesente, ita liturgice computari debet, ut intelligantur, post diem sepulturae, alii duo subsequentes immediate dies, infra quod tempus et non ultra, Missae celebrari valeant, quia Decretum ait: *non ultra biduum*, nempe in uno e duobus diebus sepulturam sequentibus; ideoque non potest sustineri quod sensus sit: biduo interiecto. Hinc feria III paschatis nequeunt celebrari Missae tamquam praesente cadavere si defunctus sepultus fuit in Sabbato Sancto; etenim expletum est iam biduum, et habetur triduum a sepultura: sicuti nequirent feria IV Cinerum pro eo qui Dominica in Quinquagesima depositus fuit, Orationis 40 horarum tempore. *b*) Diximus superius: *pro Missis*, non pro Missa, ut significaremus, Missa cum cantu permissa, esse quoque permissas privatas sub limitibus tamen in Decreto *Aucto* expressis. Cum autem nulla lex dicat, privatas esse vetitas, quando

cantata locum non habet, consequens est, ut, hac quoque omissa, dummodo permissa, privatae tantum celebrari quoque licite valeant. *c*) Principium denique vi Decretorum admittendum est, vi cuius quando Missa de requie prohibetur aliquibus festis, prohibita quoque manet in illis diebus, qui eadem festa excludunt. Hinc cum Missae privatae, praesente cadavere per Decretum *Aucto* sint vetitae in duplicibus primae classis festisque de praecepto, sequitur, easdem Missas esse vetitas omnibus illis diebus, qui dicta festa excludunt, uti feria IV Cinerum, tota maiori hebdomada etc. etc.

II. *E Verona.* **De Festo S. Bartholomaei Ap. pro utentibus Calendario Urbis, ubi colitur die 24 Augusti.** Veronae festum S. Bartholomaei celebratur die 24 Augusti, sed non sub duplici praecepto. Cum Clerici Regulares Infirmis Ministrantes, ex Apostolico Indulto, utantur ubique Calendario pro Clero Urbis, dubitatur an praefatum festum recolere debeant die 24, an 25 ut fit Romae, eo quod omnibus diebus olim festivis solemnem Benedictionem cum populi concursu impertiuntur, et populus tempestive admonetur ut, quamvis festum sit suppressum, tamen Missam audire possibiliter curet. Si ergo aliter ac in ceteris Ecclesiis fieret, admiratio in populo oriretur, et fructus spiritualis imminutio. Quid tenendum?

Resp. Iuris liturgici norma est, ut festa, quae sub duplici coluntur praecepto, etiam a Regularibus celebrari debeant: si ergo S. Apostolus ex praecepto adhuc recoleretur, quaestio finita esset. Perpendendum est tamen, an quod fuerit olim de praecepto, et consuetudines in populo vigentes tanti sint facienda, ut conformitas cum Clero

Dioecesano exigenda sit. Rationes esse possunt intrinsecae vel extrinsecae.

Ratio intrinseca pro celebratione dicti festi die 24 est illa de praecepto in populo hac die olim servato, causa profecto cur tunc obligarentur Regulares ad sese conformandos usui locali; nunc autem, etiamsi in populo festum suppressum fuerit, quoad liturgiam nulla facta fuit immutatio, ergo huius indulti vis antiquum morem immutare non valet. Ratio vero extrinseca illa est, quae in dubio fertur, nempe de populi merito praesumibili admiratione et spiritualis fructus amissione, nec non alia de vitanda difformitate, ab aliis Ecclesiis in festo classico universali. Ceterum non credimus hac de causa iniuriam irrogari Apostolico Indulto utendi Romano Calendario, quia de casu specialissimo agitur, eo vel magis quia festum, quod Romae agitur die 25 potius locale sit, ferunt enim, quantumvis aliis contradicentibus, mortem B. Apostoli accidisse die 24, et die 25 Romae recoli ob translationem Corporis ab Othone II factam in Licaoniam Insulam.

BREVIORA RESPONSA.

1. *Pro civitate N. in Belgio.* In textu genuino Decreti d. d. 19 Maii proxime elapsi anni 1896 circa Missas de requie aliquot in diebus celebrandas, citra controversiam adiungi debent verba « *exceptis duplicibus primae classis et festis de praecepto* » post alia « iisdem in casibus decantatur ».

Si textus Decreti in num. 7 *Ephemeridum* vulgati, praefata verba non habet, videre est sequentem numerum 8, in pagina 1, ubi leguntur addita.

Hac nacta occasione, monemus, eodem in numero 8 ad pag. 520 referri alterum ex Decretis *Ordin. Min. S. Franc. Capuccinorum* (num. V), cui aliud verbum addendum est: videlicet, ad Dub. IV, in ultima paginae linea, post verba « Calendarium Ordinis si proprio gaudeat » adiungi debet verbum « *relinquere* ». Ex quo fit, ut sensus Dubii completus fiat; responsio autem significet, in Missae celebratione esse sequendum a Presbytero saeculari Calendarium Dioecesis, in qua extat Oratorium, et Presbyterum regularem ibi celebrantem teneri pariter idem Calendarium sequi, propriumque, si habeat, *relinquere*.

2. *Pro eod. loco.* 1. Lex non extat liturgica, Missas cantatas de requie prohibens iis diebus, quibus privatae permittuntur.

2. Dies 3, 7, 30, et anniversarius, sunt quidem privilegiati, non tamen sicut dies obitus, uti patet; Missa ergo privata quae licet aliquibus diebus pro obitu ex novo iure, non licet aliis praefatis diebus ex iure antiquo.

3. Oratio in Missis de requie primo loco dicenda, quando non applicatur pro defunctis in genere, habetur in Missali post quatuor Missas defunctorum, et seligenda quae magis congruit. Ita ex. gr. quando applicatur pro pluribus determinatis defunctis, cuiuscumque fuerint sexus, optime sumitur Oratio « Deus cui proprium est » *(num. 11)*, vel alia « Animabus, quaesumus » *(num. 12)*: si autem pro pluribus Sacerdotibus applicatur Missa, Oratio erit quae prima prostat

in Missa quotidiana etc. etc. Dubiis hic omissis alibi responsum est.

3. *Pro Oeniponte.* 1. Ubi dies 25 Iun. hoc anno 1897 occurrit Sacratissimum Christi Cor, uti Titulus Ecclesiae, integrae Vesperae die 24 erunt more solito de S. Ioanne Baptista, fiet com. sequentis festi concurrentis, et com. SS. Corporis Christi omittetur, ob identitatem obiecti. Ita alibi diximus, neque ab hoc recedendum credimus ex allatis rationibus, quoadusque aliud a competenti auctoritate decernatur. Diebus autem infra duas octavas concurrentibus, S. Ioannis et SS. Cordis Iesu, illi istis praevalent ratione solemnitatis extrinsecae, pertinent enim illi ad festum solemnius universalis Ecclesiae, isti autem ad festum quidem solemnius sed locale.

4. *Pro Merano.* Die 3 Mart., actis Vesperis de sequenti festo novem lectionum, primo fiet com. festi simplicis per accidens, postea de feria, quippe quae non potest concurrere. Die vero 4 Iunii post 2^{das} Vesperas festi duplicis, de quo officium factum est, fiet com. sequentis feriae, quia ritus semiduplicis et est concurrens, inde de simplici per accidens.

5. *Pro Friburgo.* Nil mirum si « Ordo perpetuus » a Gavanto redactus et rursum editus cura Redactorum *Ephemeridum,* die 1. Maii 1898, ponit translationem Festi primarii Ss. Philippi et Iacobi Ap., et officium Patrocinii S. Iosephi, quia Decretum de festis primariis et secundariis datum fuit die 27 Iun. 1893, et « Ordo » impressus anno 1891 : huius quamprimum emendationes prodibunt.

6. *Pro Bavaria.* Dubium II Decreti *Ord. Min. Capuccinorum* habere debet: « attendenda sit in

Concurrentia », uti prostat in *Ephemeridibus (an. 1896, pag. 516)*, non autem *in Occurrentia*, uti alibi vulgatum est.

7. *Pro Baltimora.* 1. Interpretationem factam Decreti super festo a S. R. Congregatione concesso *Dominica 2*[da] *vel 3*[a] *Novembris* aequam iudicamus, cum nequeat supponi voluisse Sacrum tribunal celebrationem illius festi relinquere in arbitrio redactoris Calendarii vel Episcoporum; esset enim contra morem semper hucusque servatum.

2. Quod attinet diem electionis Episcopi qui fuit Coadiutor, servandum Decretum in Marianopolitana d. d. 30 Ian. 1878 ad II.

8. *Pro Dioecesi taurinensi.* 1. Communionis distributio in sacris paramentis pro Missa tolerari potest, data quadam necessitate, vel ante vel post Sacrum factum, in alio altari ab illo, in quo Sacerdos celebravit vel celebraturus est: ita Decr. *Tridentina* d. d. 12 Mart. 1836.

2. Nulla lex cereum accensum praescribit deferendum a clerico dum Sacerdos Communionem administrat fidelibus: laudabiliter nihilominus alicubi id consuetudinis servari nemo ibit inficias.

3. Si in choro adsunt Sacerdotes et clerici, et distinctio adest in subselliis, nil vetat quominus Sacerdotes subsellia superiora tenentes, ad benedictionem Celebrantis in fine Missae inclinationem tantum agant, dum alii in subselliis inferioribus genuflectunt; quia fictione iuris quasi canonici esse censentur, quos quodammodo repraesentant, et quibus de iure convenit inclinatio, non aliis.

4. Decretum stolae obligationem negans in eo qui assistit Episcopum private celebrantem, imo eamdem prohibens, authenticum est, videlicet *Valentinen.* 12 Mart. 1836. Item authenticum est alterum minus antiquum eamdem stolam, pro consuetudine, permittens ab initio ad finem Missae, vel tantum a principio Canonis ad consummationem usque: est *Viglevanen.* d. d. 11 Iun. 1880 ad 12. Quae tamen contradicentia sibi perperam diceres, in secundo enim stolae necessitas adesse facile potest, haud vero in primo, uti perpendenti patebit.

5. Episcopus, sive Dioecesanus sive Titularis « paramentis in Missa *(privata)* utetur... illis tantum, quae in Rubricis Missalis pro Praelatis expressa sunt, et **non aliis indumentis pontificalibus, praeter Crucem pectoralem et annulum.** Ita explicite Caeremoniale Episc. Lib. I, cap. XXIX, n. 3: contra quod nefas est se gerere Episcopos, qui aliis in Rubricarum observantia praelucere debent. Ergo uti Mitra ad *Lavabo* abusus est aperte contra legem, et reformandus, sicut abusus est baculo pastorali uti ad benedictionem eiusdem privatae Missae. Duo inservientes genuflectere Episcopo debent, si hic Dioecesanus est, inclinare tantum caput, si Titularis: oppositum inversio ordinis est, et Dioecesani iura laedens. Sed arbitramur, alumnos cuiuscumque Communitatis exemptae in propria eorum Ecclesia, in qua Episcopus etiam Dioecesanus Pontificalia peragit, non teneri genuflexionem illi facere, sed tantum capitis inclinationem: ratio satis patet.

9. *Pro Polonia. a*) Verbum « solemniter » in Decreto d. d. 30 Iun. anni 1896, quoad Orationes

et Sequentiam in Missis defunctorum, ad Missam applicatum, in ipsomet Decreto declaratur. *Missa* videlicet *solemniter celebratur* in casu, quando illa respondet officio duplici, licet non recitetur, uti accidit, praeter dies superius in Decreto enumeratos, diebus quibus recitari potest officium *post acceptum nuntium de alicuius obitu, et etiam in anniversariis late sumptis.* Inferes, Missam in casu *solemniter* celebrari, hoc est *solemni* aequivalere, sive cum ministris, sive non, celebretur, dummodo sit in cantu.

b) Circa Sequentiam notandum, eam semper esse dicendam in omnibus Missis de requie cantatis, sive una tantum dicenda sit Oratio sive plures, et in lectis, quae diebus privilegiatis fiunt: *in reliquis* posse dici vel omitti *iuxta Rubricas,* uti nempe exigunt Rubricae Missalis. Equidem Sequentia dicenda, ait Rubrica, quoties una tantum dicatur Oratio; ergo non praescribenda videtur in Missis illis cantatis, quae ex novo iure plures Orationes exigunt. Sed hoc factum esse credimus, ne in Missis dictis cantatis occasio daretur Celebrantibus turpis lucri: ceterum nonne eadem difficultas fieri quoque antiquitus poterat, quod Missam attinet, principalem primae diei cuiusque mensis, non impeditae ex praecepto canendam, et alteram, licet non praeceptivam, feriae II cuiusque hebdomadae, in Ecclesiis collegialibus? Itaque sensus Rubricae Generalis Missalis « Sequentia pro Defunctis dicitur... quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio » significat, nunquam dictam Sequentiam esse omittendam, cum Missa de requie unam tantum habet Orationem. Sed ex eo non sequitur, uti patet,

semper esse ad libitum Celebrantis quando plures Orationes dicuntur, in illo enim istud non includitur necessario. Consequenter altera Rubrica sequens: « In aliis autem Missis pro Defunctis dicatur ad arbitrium Sacerdotis », refertur ad Missas alias non solemnes, sive cantatas sive lectas, quae diebus non privilegiatis fiunt.

10. *Pro Austria. a*) Verbum « imponere », quod numisma attinet benedictum, significat, illud esse collo imponendum aliqua vitta, vel filo mediante; quod requiritur ut Indulgentiae adnexae lucrifiant, nec sufficit numisma dare, ut manu recipiatur.

b) Nil vetat, quominus plura numismata simul benedicantur, diverso tempore imponenda, diversisque personis, quin semper formula benedictionis iteretur.

c) Dies 2 Nov. est impedita pro transferendo duplici Doctoris Ecclesiae, si antiquum ius inspiciatur, non tamen novum.

11. *Pro Londino.* Decretum 12 Aug. 1854 *in Lucionen.* a pluribus bonae notae auctoribus relatum, non oportet iudicare *reiiciendum* tanquam nullius momenti; sed eo quod in Collectione authentica non sit insertum, tantum significat quod considerari non valet ut *publici iuris.*

12. *Pro Lovanio. a*) Deficientibus quatuor ostensoriis Reliquiarum, nil impedit quominus duo tantummodo inter candelabra et Crucem poni valeant; imo ipsa Missalis Rubrica *(Ritus servandus etc. Tit. IV. n. 5.)* id considerat: « Si vero in Altari fuerint Reliquiae seu Imagines Sanctorum,... primum incensat eas, quae a dextris sunt, idest a parte Evangelii *prope Crucem* etc. »; non

secus ac Caeremoniale Episcoporum *(Lib. 1. c. XII. n. 12)*: « Crux... locabitur, *a cuius lateribus,* si haberentur aliquae Reliquiae,... congrue exponi possent ».

b) Insistendum pro observantia Decreti S.R.C. 12 Aug. 1854 ad 9: « Ante Sacra Lipsana exposita (etiam inter Candelabra) saltem duo lumina ex Decretis collucere debere ». Si vero velata maneant, aliter iudicandum; non enim par videtur ratio ac de SSmo Sacramento in Ostensorio vel Pyxide velato.

NAEVULI

in opere I. Erker " Enchiridion Liturgicum „ delendi

1. Prima ex regulis generalibus de modo tenendi manus *(p. 2)*: « In omnibus functionibus sacris, tam Clerici quam Sacerdotes manus ante pectus iunctas teneant, nisi forte sint occupatae », quadam obscuritate laborat. Si de choralibus ageretur, regula falleret: si de clericis inservientibus ad altare, esset severa nimis: si de sacris ministris ac Celebrante, vera est, modo sessionis tempus excipias.

2. Assertum de festis secundariis *(pag. 22-23, n. 34) nunquam* octava decorandis, magis late patet quam *Ephemerides* docuerint; hae quippe innuunt tantum *consuetudinem universalis Ecclesiae,* vi cuius nullum festum secundarium gaudet octava. Hoc quidem verum, sed non illud.

3. Salutatio ad invicem cum capitis inclinatione profunda *(pag. 25, n. 2)* probari ne vel

erui ex Rubricis potest? Quid, si eiusmodi salutatio conferatur cum expositis super inclinationibus *n. 7?*

4. Choralibus non esse attendendum ad Missas *(pag. 26, n. 11)*, quae in proximis altaribus fiunt, cum Martinuccio admittimus, si tamen ad elevationem tintinnabuli sonus omittatur: non autem secus. Res impraesenti, lectoribus scire sit gratum, ita composita est: tintinnabuli sonus vetatur: si vetitum non servetur, chorales nec surgant nec genua flectant, sed tantum aperiant caput, et proprium prosequantur officium.

5. Diebus ieiuniorum, optime dicitur, in Missis pro defunctis, et in quibus communio distribuitur *(pag. 44, n. 49, nota 4)*, acolythi cum funalibus genuflexi manere debent usque ad communionem distributam. Sed quare igitur exceptio facta est pro Missa feriae V in coena Domini? Nonne communio, vi legis, saltem generaliter in ipsa distribuitur, quamvis sit festiva?

6. Cum ex sacris ministris *(pag. 70, n. 10 sub fin.)* alter surgit aliquid facturus sui muneris, *surgat*, dicitur, *et alter, et persistet in loco suo, donec socius redierit.* Cuinam rationi eiusmodi praeceptum innitatur, vix dignoscitur. Romae, etiam in observantioribus Ecclesiis, diversimode se gerit alter minister: si loco praecepti imponendi, consuetudo tenenda dicatur, consultius videtur.

7. Abusus dicitur *(l. c. n. 12)* omnino reprobandus, ex parte ministrantium ad altare, Breviarium manibus tenere, ut aliquid de horis canonicis recitent. Plane convenimus; sed Decretum quod ad assertum probandum citatur, ad

rem non facit. Namque ad dubium; *an ministri parati, dum canitur Missa solemnis conventualis, privatim recitare valeant Horas canonicas,* respondet: « Non est interloquendum ». Arbitramur, id esse intelligendum *memoriter* (Conf. Caerem.): secus Decretum oppositum praedicaret, quod minus congruit.

8. Dum Episcopus manus lavat, non solum genuflectere debent *(p. 111, n. 3)* ministri lotionis, sed etiam *totus chorus,* solis exceptis Canonicis. — Non videmus quomodo sustineri id possit; in lotione enim ante Missam, qui in choro sunt ad ea quae Episcopus agit nec possunt nec debent attendere, cum ad cantum Horae tertiae advertere teneantur. Qui ergo fieri poterit, ut caput aperiant et genuflectant, actus lotionis absolutionem expectantes, iterumque sedeant, et operiant caput? Caeremoniale, loco qui citatur, ait: *laici tantum et clerici omnes, praeter Canonicos et Praelatos, debent genuflectere.* Conveniendum, obscuritate aliqua laborare verba legis; sed communis interpretatio est, ut personae, quae genuflectere in casu debent, eae sint tantum, quae assistunt, exceptis Canonicis et Praelatis, qui solum assurgerent, non vero aliae, quae sunt de choro et in choro. V. De Herdt, Martinucci, Schober etc.

9. Si sacristiae ostium sit retro post altare, egrediendum ex illo ad altare per partem Epistolae, et regrediendum per partem Evangelii *(pag. 155, n. 5).* — Decreti quod citatur pro eiusmodi agendi modo probando, minus recta interpretatio facta est. Nova Collectio ambiguitatem auferet, et perspicue docebit, in casu e sacrario egrediendum ad altare a parte Evangelii, et re-

grediendum in sacrarium a parte Epistolae. In memoriam redigat cl. auctor, quae hac super re discussa fuerunt in *Ephem.* 1893, pag. 16 et seq.

10. Si in Corporali crux habeatur acu facta, haec in parte anteriore collocetur, ut osculari possit cum Sacerdos osculatur altare *(pag. 166, Reg. 3, in nota 3).* — Honore habemus cl. Bauldry, et veneratione quoque prosequimur S. Alphonsum. Sed simplicitas est praediligenda in Corporalibus, quae sine crucibus magis Rubricis respondent. Ceterum et cruce admissa in anteriore Corporalis parte, nulla imponi lex potest de ea osculanda.

11. Ex doctrina quae traditur *(pag. 204, n. 3),* concludi iure potest, Regulares nunquam posse Sanctum relativum Institutorem nominare ad Litteram N. in Oratione *A cunctis.* — Sed iam alibi in *Ephemerid.* demonstratum credimus *(Ann. II, pag. 91 et seq. IV.),* assertum praefatum legem, utpote indubiam constituere nequaquam posse. Impraesenti gaudemus nobis quod certiores facere liceat omnes Regulares, se iure posse, dummodo in suis Ecclesiis, ad Litteram *N.* in Oratione *A cunctis* proprium Institutorem nominare, si tamen de titulari Ecclesiae, vel in eius defectu de loci patrono praecipuo, si nominari debeat, lex servetur.

12. Non intelligit auctor *Enchiridion,* quare *Ephemerides* teneant, post Missam Ordinationis preces a Leone XIII imperatas esse omittendas, quemadmodum post conventualem, quod definitum est; et nihilominus omittendas easdem non esse doceant in aliis Missis, quae solemnibus aequiparantur, uti sunt parochialis, neopresbyteri, iubi-

laris etc. Hinc quod de conventuali *Ephemerides* et de Missa Ordinationis docent, *Enchiridion* ad reliquas praedictas extendit *(pag. 214 et seq. num. 207)*. Sed perperam, iure credimus. Quasdam enim Missas posse uti solemnes considerari quod aliquas attinet caeremonias, puta calicem antea parare super altare, Missale aperire, duobus uti acolythis etc., aliud sane est satisque diversum a precibus praescriptis omittendis, quae in omnibus Missis privatis praecipiuntur. Primum admisimus plurium auctorum iudicio freti, alterum nequaquam. Etenim ad dictas preces omittendas non sufficit ut Missa lecta aequiparetur solemni, sed requiritur ut sit conventualis, secundum quod definitum est. Iam nunc Missa Ordinationis est eiusmodi saltem *per se,* licet *per accidens* possit talis non esse. Iure ergo conclusimus, quod de conventuali statutum est, ad Missam Ordinationis extendi posse. Sed cl. auctor eodem iure debet, quod definitum est pro Missa solemni vel cum cantu, extendere ad alias, quae nec solemnes sunt nec cantatae, quibus tamen aequivalent. Sed hic opus, hic labor. Hae namque Missae non sunt solemnes *natura sua* sed *ratione personae.* Sed preces praescriptae a cuiuscumque persona Celebrantis sunt dicendae, etsi de Episcopis agatur aut etiam de purpuratis Patribus; et nihilominus horum Missae aliquam semper solemnitatem praeseferunt. Ceterum, si admittatur conclusio auctoris, nemo non videt quanta fiet Celebrantibus quibuscumque libertas, ut saepe saepius, et quidem ad illorum placitum, preces imperatae omittendae forent. Tandem nostrae sentiendi

rationi nemo adversatur, quid modo videndi auctoris *Enchiridion?* Dubium proponat, et quantum coniectura inferre licet, responsum habebit suae inductioni contrarium.

13. Ad communionem fidelibus distribuendam *Sacerdos induitur vel superpelliceo vel Alba:* ita ad pag. 229 *(num. 217).* Citatur Decretum d. 31 Aug. 1867 *ad V.* quod est in *Ambianen.*, sed utrum ad rem, affirmare nequimus, imo esse omnino Decretum Albae contrarium videtur. En quaesitum: « Utrum pro superpelliceo uti valeat sacerdos *Alba* cum stola in pectus transversa in casibus praefatis *(horum primus est distributio communionis extra Missam),* praesertim in celebrando matrimonio, cum immediate post absolutionem ritus matrimonii, Missam pro sponso et sponsa celebraturus sit? ». Iam audi responsum: « Si immediate sequitur Missam, Sacerdos praeter Albam et stolam induere debet etiam planetam ». Ergo, conclusit forte auctor, omnino extra Missam pro superpelliceo uti Alba licebit. Equidem consectarium pertrahi aliquo modo potest; sed dubium propositum et responsum apprime perpendenti, et hoc cum aliis Decretis particularibus et generalibus conferenti facile apparebit, non Alba, sed superpelliceo utendum esse in communione ad populum. Ceterum si a Missa abstrahamus, plane non videmus rationem Albam pro superpelliceo induendi, quod praeter consuetudinem est, et mirum est nisi risum excitet.

14. Doctrina, quae traditur ad pag. *286* et seq. n. *255* normas respicit, quae recentissimo iuri liturgico amplius non cohaerent: ut legenti-

bus praedictae normae amplius inservire non valeant (1).

15. Verba « *congruum est* ut Absolutio fiat ab ipso Celebrante, nisi adsit Episcopus » sunt excerpta ex alio Decreto, quod *Enchiridion* citat. Nihilominus notum sit, aliis Decretis perpensis, non esse tantum *congruum*, sed praeceptivum ut Absolutio fiat a Celebrante, nisi adsit Episcopus, pro quo solum intellige Ordinarium.

16. Quae habentur circa cohaerentiam inter officium et Missam *(pag. 316, n. 281)* confusionem minus peritis parere facile queunt. Ut quid autem discrimen ponere inter Missas, quas dicere potest qui officium votivum recitavit, et qui feriale? Illud est semiduplex, istud simplex; ergo utrumque Missas votivas admittit, et etiam de occurrenti feria, vel vigilia, aut de requie: quid simplicius?

CENSURA
CUIUSDAM CALENDARII IN GALLIA REDACTI
PRO ANNO 1897.

1. Iuvet ante omnia praemittere, necessarium omnino esse, ut quivis calendarii redactor ius liturgicum recentius apprime calleat: secus et se decipiet et alios, qui eiusmodi calendarium sequi tenentur.

---

(1) Doctrina pluralitatem Orationum respicit in Missis de requie privatis.

2. Praeponuntur calendario, de quo verba facimus, quaedam peculiares normae, super quibus aliquid imprimis notandum venit.

3. *a*) Post Generale Decretum (*9 Dec. 1895*) super concordantia Missae cum officio Ecclesiae, sequens norma, quae in dicto calendario legitur, nempe, «Licitum est Sacerdoti, qui recitavit officium dup. celebrare Missam privatam de requiem in Ecclesia, cuius officium est ritus inferioris, quando fiunt exequiae praesente corpore, vel anniversarium (*3 Mart. 1866*)», frustra et damnose paginam occupat. *Frustra;* quia Missa cuiuscumque Celebrantis potest nunc, *per se,* semper esse de requiem in Ecclesia, cuius officium est ritus inferioris duplici. *Damnose;* quia minus periti ex illa norma facile deducere possunt, non posse Celebrantem in dicta Ecclesia Missam facere concordem cum huius officio semiduplici, nisi quando, aut exequiae fiunt, aut anniversarium: quod falsum est. Eapropter Decretum citatum a nova Collectione uti deletum iure habendum est.

b) Legitur haec alia norma: «In Oratoriis privatis Missa semper concordet cum officio, excepto tamen die festivo Patroni loci (*S. R. C.*)» Eam ne intellexit calendarii redactor? Dubitandum satis. De quibusnam Oratoriis privatis norma loquitur? Cappellae principales Episcopor., Seminarior., Collegior., etc. etc. sunt privatae, sed uti publicae, in casu, habendae sunt: reliquae secundariae, sunt uti privatae habendae, iuxta Decretum *Ruthenen.* 22 Maii 1896. De quibus ex illis intelligenda norma? Insuper, cum quonam officio concordare Missa debet? Cum Celebrantis ne, an cum Oratorii officio? Quid significant verba «ex-

cepto... die festivo patroni loci?» Si loci patronus festive seu cum feriatione colitur, est praecipuus: vel certe ad officia cum feriatione recolenda clerus omnis tenetur, sive saecularis sive regularis; ergo nonne Missa in casu conveniret necessario cum officio et Oratorii et Celebrantis?

c) Asseritur, vi peculiaris indulti, dictum calendarium sequentes posse facere Missam proprio officio conformem in quibusdam Ecclesiis et Oratoriis publicis Seminariorum et Collegiorum etc. si in his fixe morentur, idque singulis diebus anni, exceptis duplicibus 1. et 2. cl. Sed hoc privilegium iam tota vi destituitur, uti potest erui ex Generali Decreto d. d. 8 Febr. 1896, et ex superioris Gen. Decreti *De conformitate Missae cum officio* spiritu et litera. Ut quid perditio haec? Hoc et alia similia privilegia renovanda, si fieri possit, secus inutiliter et cum damno allegantur.

d) Legitur: « Quum... Missa die anniversarii impeditur, si ea ex Testatorum dispositione iniuncta sit, anticipari vel transferri debet in primam diem a recensitis diebus non impeditam, si vero ex privatorum prece esset celebranda, transferri *non licet*, nisi in dies Missas privatas de *requiem* admittentes ». Eiusmodi doctrina iam obsoleta evasit, neque sine defunctorum damno eam sequi licet; certum est enim, inter anniversaria fundata et privata amplius impraesenti non posse in casu distingui.

e) Missa solemnis defunctorum, praesente cadavere, asseritur prohibita in Galliis, tum in die festo solemniori, quo celebratur officium, cum in die in quam solemnitas transfertur. Hoc quoque amplius impraesenti veritati perfecte non conso-

nat: falsum est primum, et verum alterum tantum. Lege Decr. *Quebecen.* d. d. 6 Mart. 1896 ad I, n. 1., et res patebit: adeo ut Decreta antiquiora censenda sint revocata.

f) Doctrina super Orationum pluralitate vel unicitate in Missis de requiem, quam calendarium tradit in ultima ex normis exhibitis, partim nunc vera, partim falsa est. Item falsum nunc est primam Orationem in Missis quotidianis esse debere semper, ut in Missali prostat: recentius legas Decretum Gen. *Orationum et Sequentiae in Missis defunctorum (30 Iun. 1896)*, et veritas patebit.

g) Innuimus denique, haud scite in dictis normis altum servari silentium de Missis privatis de requie in duplici permissis, quando solemnis vel cum cantu permittitur ratione cadaveris physice vel moraliter praesentis. Haec de normis: gradum facimus ad calendarium.

4. Die 13 Febr. in 2. Vesp. quaenam Oratio dicenda pro S. Agathone, cum praescribatur *Da quaesumus?* — Die 26 eiusdem Mensis assignatur simpliciter Missa *Cognovi* pro S. Margarita Corton. Sed necessarium erat addere saltem « ut in propr.», quia praeter Introitum, qui de Communi est, plures alias habet Missa partes speciales, quae sunt propriae.

5. Die 16 Mart. 3. Oratio in Missa non est *A cunctis,* sed *Concede.* — Die 26 eiusd. ad Vesp. desideratur *com. feriae.* — Saepe saepius deest, *m. t. v.*, uti die 22 Mart., 21 Aug., 2 et 11 Octobr., 28 Nov. et 16 Dec. — Die 27 Mart. ponitur S. Io. Damascenus Episc. quod falsum est.

6. Die 4 Iun. ad Vesp. ordo commemorationum fallit, quia feria sequens, seu Vigilia Pent. est

semid. et vere concurrit; hinc ponendum erat: « com. feriae ac S. Bonifacii, et non viceversa.

7. Diebus 5.ta et 6.ta Iulii fallit ordo Vesperarum, Decretum enim in una *Urbis,* d. d. 22 Maii 1896 ad II. declarat, diem octavam festi primarii, si ad Apostolos pertineat, digniorem esse iudicandam in concursu cum aliis duplicibus minoribus. Ergo die 5.ta Vesperae esse debent integrae de seq. et non a Capit., die vero 6.ta integrae de festo occurrente et sola com. sequentis. — Die 30 legitur: « 9. lect. 8.vae *iungatur* », sed nullo iure.

8. Die 2 Sept. ad Vesp. oportet indicare pro S. Elisabeth versum, nempe « Specie tua etc. », ne dicatur proprius, hoc est: « Ora pro nobis etc. » qui relinquendus pro com. communi B. Mariae, idque iuxta Decreta. — Die 20 eiusd. ad Vesp. indicandus est pro S. Hilarione ℣. *Os iusti,* uti patet, ob duos Confessores, qui alios consuetos versus sibi necessario assumunt: ℣. pariter *Amavit* in Laudibus die sequenti indicandus est pro eodem Sancto Conf. secus multiplicantur errores in recitantibus officium.

9. Die 20 Novembr. errat ordo Vesperarum, Dedicatio enim est festum Domini, ergo et eius octava; et iuxta Decretum in una *Urbis* superius citatum, ad Dub. II, dies octavi festorum Domini si primaria sint, cedunt in concursu solis duplicibus 2. classis. Hinc ita ordinandae sunt Vesperae, ut integrae sint de sequenti, ubi saltem agatur de Dedicatione Ecclesiae propriae, cum com. praecedentis. — Idem error corrigendus pro die sequenti.

10. Die 15 Dec. omittenda est IX lect. et Evangelium feriae in fine Missae, ratione identi-

tatis cum Evangelio festi. — Die 17 eiusdem, pro S. Leonardo indicantur lectiones 1. Noct. *Iustus;* at Breviaria typica ponunt *Beatus vir:* in quas proinde illae sunt mutandae.

11. Haec singulariter notare iudicavimus; sed generaliter nunc animadvertimus, calendarium, de quo egimus, ditiori modo seu abundantiori, esse redigendum. Namque, aut eo utentes satis periti, aut minus periti in re liturgica supponuntur: si primum, notamus ad divinum officium obligatos non esse cogendos studere, ut Breviarium recitent, et Missam celebrent: si alterum, neminem latet, quot errores in utraque sacra actione admittantur, quia calendarium vix, nec semper, necessariora indicet.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE MARTIO 1897

An liceat exponere inter Candelabra Altaris non tantum Reliquias Sanctorum, sed etiam SS. Crucis nec non SS. Spineae Coronae D. N. I. C., saltem nobiliori loco, nempe e lateribus Crucis Altaris?

MONITUM.

Quaestiones huiusmodi solvendae iterum proponuntur nostris Ven. Consociatis, ut in Liturgica palaestra exerceantur, unaque simul utiliter peritiorum (quos haud paucos esse gratulamur) opiniones in nostris *Ephemeridibus* evulgari possint.

Quam solutionem Redactio nostra meliorem iudicabit aliquo etiam donabit praemio, ac publici faciet iuris.

Reverendos solutores exoramus ut saltem quindecim ante dies propositum mensem praecedentes suam elucubrationem mittant.

APPENDIX

LEO PP. XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sodalitas a Ioanne Bosco fel. rec. Sacerdote, Patre Legifero Congregationis Salesianae, Augustae Taurinorum sub invocatione Mariae Opiferae in Ecclesia eiusdem tituli canonice instituta, a bo. me. Pio PP. IX Decessore Nostro ad Archiconfraternitatis gradum Apostolicis Litteris die V mensis aprilis anno MDCCLXX erecta est. Aliquot annis post, rogante Michaele Rua, ejusdem Congregationis Moderatore, Nos similes Litteras Nostras, die undevigesima mensis Ianuarii anno MDCCCXCIV datas, facultatem eidem impertivimus aggregandi alias Sodalitates eiusdem nominis atque instituti, ubicumque locorum Domus et Ecclesiae Congregationis existerent erectas. Quum vero nunc ab eodem Congregationis Salesianae Rectore Maximo supplices sint Nobis admotae preces, ut facultatem sibi facere velimus aggregandi supradictae Archiconfraternitati alias Sodalitates eiusdem nominis atque instituti in qualibet Ecclesia vel Dioecesi sint erectae; Nos, qui pietatem, animarum studium, laudesque Salesianae Congregationis novimus et probamus, cum id

etiam in bonum atque utilitatem rei Christianae cessurum confidamus, huiusmodi precibus obsecundandum censuimus.

Quare omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Auctoritate Nostra hisce Litteris hodierno Congregationis Salesianae Rectori Maximo, suisque in hoc honoris atque auctoritatis gradu Successoribus, ut ipsi alias Sodalitates eiusdem nominis atque instituti in quavis Ecclesia vel Dioecesi canonice sint erectae, ad eamdem Archiconfraternitatem in Ecclesia B. M. V. Opiferae Augustae Taurinorum existentem aggregare, et Sodalitatibus praedictis omnes et singulas Indulgentias, tam plenarias quam partiales, eidem Archiconfraternitati ab hac Apostolica Sede concessas et aliis communicabiles impertire et communicare licite possint et valeant, perpetuum in modum concedimus et largimur.

Decernentes praesentes Litteras, firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque etiam speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXV Februarii MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

C. Card. De Ruggiero.

E S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

Instructio quoad clericos saeculares ac regulares qui Universitates Gubernii studiorum causa frequentant.

Perspectum est Romanos Pontifices, quavis aetate et ubique locorum, cogitationes curasque suas contulisse in rectam institutionem eorum qui in sortem Domini vocati sunt. Scholas enimvero, Seminaria, Universitates ipsas studiorum vel erexerunt vel favore prosequuti sunt, in quibus utriusque cleri alumni tum humanioribus litteris, cum scientiis omnibus sacris et profanis imbui, et academicis etiam quibuscumque gradibus honestari possent. Ita tamen ut ad veram germanamque scientiam cum fide et pietate coniunctam informarentur; quandoquidem doctrinae ac disciplinae, fidei ac morum moderatio et vigilantia a Sede Apostolica et ab Episcopis exercebantur.

Contingit autem hisce diebus, ob mutatas rerum vices in Italia, nonnullos a clero sive saeculari sive regulari adstrictos censeri ad certos studiorum cursus perficiendos apud civilis Gubernii Universitates; a quibus sapiens ac salutifera Ecclesiae vis sacrorumque Pastorum vigilantia omnino excluduntur. Cum res ita se habeant, quae quantaque discrimina et damna ecclesiasticae inventuti obvenire possint nemo est qui non videat. Caute itaque providendum est ut et assertae necessitatis limites non excedantur et instantia pericula diligenter vitentur. Quamobrem Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium Negotiis praeposita praesentem instructionem, ad mentem Sanctissimi Domini Nostri Leonis PP. XIII, Episcopis ac Superioribus Ordinum et Congregationum in Italia impertire constituit.

I. Quatenus in Universitates admittantur etiam alumni, qui sibi idoneitatem comparaverint extra lycea Gubernii, Episcopi ac Superiores Ordinum et Congregationum religio-

sarum subditos suos praeparandos non mittant ad dicta lycea, sed potius ad Instituta ecclesiastica, ad scholas, ad collegia, quorum omnino explorata sit optima ac vere catholica instruendi ratio. Si vero ob talium Institutorum, scholarum, collegiorum defectum, vel ob alias graves causas, aliquos mittere ad lycea Gubernii omnino necesse sit, accurate serventur hoc in casu quae infra de accessu ad Universitates constituuntur.

II. Nemo e saeculari clero Universitates Gubernii frequentet absque expressa licentia Episcopi sui; qui in ea concedenda prae oculis tantum habeat quid Dioecesis necessitas exigat, ut in Institutis ad instructionem erectis, sive erigendis, idonei et diplomate muniti professores comparentur.

III. Ordines et Congregationes quae munus docendi non profitentur, non mittant alumnos suos ad Universitates Gubernii. Ordinum autem et Congregationum ex instituto docentium novitii numquam ad dictas Universitates mittantur: professi vero eas non frequentent nisi praehabita expressa licentia Superioris Generalis, qui eam concedet iis tantum qui requiruntur et sufficiunt pro suis collegiis et scholis.

IV. Utriusque cleri alumni ea tantum emetiantur in dictis Universitatibus studiorum curricula, quae referuntur ad lauream vel ad gradus academicos, quibus indigent, obtinendos.

V. Maximi ponderis est mittendorum ad Universitates accuratus delectus. Venia non detur alumnis antequam laudabiliter absolverint integrum cursum tum philosophiae tum theologiae, a statutis Dioecesanis pro clero saeculari, a Constitutionibus Ordinis seu Congregationis pro religiosis, praescriptum.

VI. Attendendae equidem sunt in mittendis intellectus vis et perspicacia, assiduitas in studiis, ingenii indoles, quam bene educatam esse decet, fortem etiam et boni propositi tenacem. Sed summopere inspiciendum est quaenam sit in deligendis animi honestas ac morum integritas. Sint oportet iuvenes qui donum Fidei et vocationem qua in sortem Domini vocati sunt maximi faciant; catholicam Ecclesiam ar-

denter diligant; venerationem et obedientiam erga Sanctam Sedem Apostolicam mente, verbo et opere profiteantur; iuvenes qui sanctissimae Religionis nostrae documentis imbuti et piis exercitationibus addicti, morum integritate et vitae vere ecclesiasticae laude praefulgeant. Tales denique deligantur qui fundatam ingerant spem fore ut sua quisque agendi ratione ecclesiastico coetui honorem addant per supereminentiam in scientiis, ac venerationem vindicent per suarum laudem virtutum.

VII. Ad pericula tutius praecavenda curent Episcopi ut sui ecclesiastici alumni, quamdiu Universitatem celebrant, morentur in Seminario; hoc non extante, in aliqua domo religiosa, vel saltem apud aliquem probatum sacerdotem saecularem; nisi forte habeant ibi parentes in quorum domo habitare possint. Laude etiam ac favore digni viderentur sollertes sacerdotes, vel saeculares viri spectatae pietatis qui instituerent, ubi fieri potest, aliquam hospitalem domum pro studentibus ecclesiasticis; in qua isti invenirent, modico impendio, habitationem tutam, studiorum quieti et piae vitae exercitationibus accommodatam.

VIII. Si Universitas sita est extra Dioecesim, Ordinarii alumnorum hos commendent Episcopo loci; cui alumni se sistere cum advenerint, et identidem obsequium praestare teneantur dum ibi permanserint. Ordinarius et Episcopus loci mutuo conveniant ut alumni committantur curae et vigilantiae alicuius sacerdotis virtute, scientia ac iuventutis experientia praestantis, qui eos dirigat et de eorum agendi ratione identidem Ordinarium instructum reddat. Exigat praeterea Episcopus a suis alumnis frequentes epistolas; et ipse hoc epistolari commercio libenter utatur ut consiliis et monitis eos instruat, excitet ac in sancto proposito confirmet.

IX. Superiores Ordinum et Congregationum praeferant semper Universitates locorum in quibus habent sui Ordinis vel Congregationis Domum; et in hac studentes habitare praecipiant. Si Domum propriam non habent in ulla Universitatis Sede, curent omnino ut alumni recipiantur in aliam Domum religiosam, vel in Seminarium episcopale, vel in

aliud Institutum ecclesiasticum. Deficiente conventu aut Domo propria, numquam mittant ad Universitatem frequentandam unum tantum e suis subditis, sed duos simul aut plures, ut se invicem custodiant, adiuvent et ad officiorum suae vocationis implementum excitent. Iubeant Superiorem Domus vicinioris, vel alium religiosum virum virtute scientia ac sollertia praeditum, alumnos ipsos identidem visitare; qui eorum vitae genus, studiorum assiduitatem exploret, ac referat: ut opportunis consiliis Superior Generalis, prout opus fuerit, providere possit. Curet praeterea Superior Generalis ut alumni sibi litteras dent; et frequenter ipsis rescribat, ut eorum unionem cum Ordinis seu Congregationis capite foveat, eosque paternis instructionibus ac monitis in obedientiae atque observantiae spiritu conservet.

X. Zelo ac prudentiae Episcoporum et Superiorum committitur cura eam Universitatem inter plures eligendi, in qua minora praevideantur pericula, faciliorque ex adiunctis appareat usus consiliorum, quibus quieti, moribus et progressibus alumnorum prospectum sit. Si forte contingat aliquem Professorem habere aliquando lectiones ex professo contra religionem vel contra mores, curent Episcopus et Superior Generalis ut alumni vel transeant ad aliam Universitatem, vel huiuscemodi lectionibus non adsint; freti nimirum dispositioni legis, quae inscriptionem quidem ad cursum Universitatis requirit, sed ad omnes et singulas lectiones assistentiam non exigit. Caeterum, hoc semoto casu, alumni ecclesiastici lectionibus diligenter adsint, ut proprio in scientiis progressui consulant, condiscipulis exemplum assiduitatis, Professoribus vero obsequii testimonium exhibeant.

XI. Quod ad libros attinet et ad lectionum compendia, in quibus nonnulla fortasse occurrant contra religionem, aut mores, aut veritatem ecclesiasticae historiae, aut iura catholicae Ecclesiae vel Romani Pontificis, quatenus talium librorum vel compendiorum usus vitari nequeat, Episcopi et Superiores prout oportet provideant in casu; ac praeterea curent veneno antidotum praebere per optimos libros suis alumnis comparandos, perque auxilium sacerdotum doctrina,

pietate ac experientia praestantium, qui alumnis opem ferant ad dignoscendas sophismatum insidias, et ad refutandos errores quibus forte libri scholares vel lectionum summaria inficerentur.

Enixe autem alumnos suos deterreant a lectione ephemeridum vel periodicorum libellorum, qui falsis vel periculosis doctrinis, narrationibus, atque illiciis decipiunt, ac recte sentiendi agendique rationem sensim sine sensu turbant atque pervertunt.

XII. Episcopi et Superiores religiosi hortentur subditos suos ut Moderatoribus et Professoribus Universitatis observantes se ostendant cum dignitate; condiscipulos vero urbane quidem, omnes, at neminem valde familiariter tractent. Prohibeant omnino ne nomen dent Circulis aut aliis quomodocumque vocatis consortiis politicae vel contentiosae indolis; nec umquam adsint convocatis fortasse studentium coetibus, quorum finis aut propositum sit adversus Moderatores vel Professores conqueri sive quomodocumque protestari.

XIII. Episcopi Sedem habentes in civitatibus Universitatum curent Circulos sive Societates studentium ecclesiasticorum peramanter fovere ubi existunt, sollicite fundare ubi desiderantur. Adhibeant ad hoc operam sacerdotum sive saecularium sive regularium, quos magis idoneos iudicaverint; quorum unus saltem Assistentis ecclesiastici munere fungatur. Huius Assistentis erit Studentium conventus indicere, eisque praesidere. In his conventibus, studentes ecclesiastici, semotis politicis contentionibus et partium studiis, de humanioribus litteris, de historicis disciplinis, de philosophicis vel theologicis thesibus, disserant, decertent vel legant. Nec omittant pias quasdam preces simul omnes fundere, aliosque opportunos religionis ac pietatis actus, statis diebus implendos, constituere: ita ut in his consociationibus laudabilis aemulatio, fraterna charitas, et christiana pietas regnent. In hos ecclesiasticorum Circulos admitti etiam poterunt, caute tamen et approbante Assistente ecclesiastico, Studentes saeculares: at ii tantum qui sentiendi aeque ac agendi ratione

bene audiant, religione, pietate et optimis moribus commendentur.

XIV. Episcopi et Superiores religiosi suos quisque studentes enixe hortentur ut in sanctae vocationis spiritu firmiter perseverent, ad quem finem mediis omnibus efficacioribus alacriter utantur; oratione scilicet, Sacramentorum frequentia; piorum actuum exercitio, vanitatum despectu, malorum et etiam desidiosorum hominum fuga. Religiosis praesertim studentibus commendanda est fidelitas in actibus observantiae, qui eorum statui consentanei sunt, videlicet; singulis diebus mentalis oratio, examen conscientiae, lectio spiritualis, silentium et recessus.

Annualium vacationum tempore studentes religiosi redeant omnino ad suum conventum vel ad domum religiosam sui Instituti; ibique regularis observantiae actus cum Communitate resumant. Omnes Studentes, e clero sive saeculari sive regulari, dictarum vacationum tempore vacent sanctis spiritualibus Exercitiis.

XV. Si vero, non obstantibus cautelis et diligentiis hucusque indicatis, aliisque quas pastoralis ac paterna sollicitudo suggesserit, Episcopi aut Superiores religiosi noverint aliquem ex suis subditis a recto tramite veritatis aut virtutis declinare, aberrantem absque mora ab Universitate revocent; praestat enim eius cursum studiorum abrumpere, potiusquam ita permittere ut animae ille suae detrimentum patiatur.

Datum Romae ex Secretaria memoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, die 21 Iulii 1896.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

L. ✠ S. A. Trombetta, *Pro-Secretarius.*

E SACRA CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

I. Cum indecorum omnino sit, atque a clericorum, qui in sacris Ordinibus constituuntur, dignitate prorsus alienum, ut ipsi aut emendicatis subsidiis, aut ex sordido quaestu ea quae ad victum necessaria sunt, sibi comparare cogantur, nemo ignorat, ab antiquissimis inde temporibus cautum fuisse, ut quicumque in Ecclesia Dei ad sacros Ordines essent promovendi, eisdem de congrua perpetuaque substentatione provideretur. Olim quidem nemo ordinabatur, nisi certae adscriberetur Ecclesiae, cui perpetuo esset addictus, ut ex ea haberet unde vitam honeste posset sustentare (*Conc. Chalced. can. 6*). Posterioribus vero temporibus titulus Ordinationis invectus, quo videlicet victui clericorum satis consuleretur. Cuius necessitas primitus pro ordinatione Diaconorum et Presbyterorum sancita, dein ab Innocentio III, ad Subdiaconos quoque extensa fuit (*Conc. Lateran. III. can. 5*) Explorata autem omnibus sunt quae Synodus Tridentina *Sess. XXI de ref. cap. II.* hac super re constituit; cuius saluberrimas praescriptiones progressu temporis alicubi neglectas s. m. Innocentius XI literis encyclicis ad omnes Episcopos per S. Congregationem Concilii die 18 Maii 1679 datis gravissime observari mandavit.

2. Porro geminus distinguitur titulus, *ecclesiasticus* scilicet, ac *patrimonialis*. Hic postremus, cui occasionem dedisse videtur Alexander III (*In Cap. IV. De Praeben.*), quique circa finem saeculi XIII usuvenire coepit, obtinet, cum ordinandus talibus bonis certis stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quae ad congruam eius sustentationem sufficere Episcopi iudicio censeantur. Ad praefatum accedit titulus *pensionis*, quae non modo ad congruam clerici alimoniam sufficere, sed et perpetua esse debet. Atque hi duo tituli extraordinarii censendi sunt ac

veluti ex dispensatione admittuntur, si nimirum Episcopus pro Ecclesiae necessitate aut commodo aliquem ita ordinandum esse iudicaverit.

3. Ecclesiasticus vero titulus in *beneficialem* subdividutur, ac *paupertatis*, quibus aliae quaedam veluti subsidiariae atque extraordinariae species adiiciendae sunt, tituli nempe *mensae communis*, atque *servitii Ecclesiae*, *Missionis*, *sufficientiae* et *Collegii*. Est autem titulus beneficii ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum; atque hic ordinarius ac praecipuus titulus sacrae Ordinationis dici debet.

4. *Paupertatis* vero titulus in religiosa professione est positus, vi cuius qui solemnia vota in probata Religione emiserunt, vel ex redditibus bonorum, si quae ipsamet Religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus omnia communia habent, quorum ad vitam alendam indigent. Quem vero vocant *communis mensae* titulus, eos clericos attingit, qui Religiosorum more in communi vitae disciplina degentes aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum, proindeque e domo religiosa exire aut dimitti, atque ad saeculum redire permittuntur. Neque enim ad eos pertinet titulus paupertatis, ut ex Const. *Romanus Pontifex* s. Pii V deducitur. Verum ex hisce clericis ii dumtaxat communis mensae titulo promoveri ad sacros Ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint.

5. Titulus *servitii Ecclesiae* qui olim ordinarius erat, prout supra adnotatum fuit, et postea evasit extraordinarius, iis quandoque conceditur, qui, cum Beneficio ecclesiastico vel pensione careant, aut patrimonialia aliaque bona non possideant, ea lege ordinantur, ut alicui Ecclesiae sint mancipati, ex cuius servitio et eleemosynis a piis christifidelibus elargiendis substentari possint, et ab eadem Ecclesia nullo unquam tempore amoveri, vel ipsi recedere nequeant, nisi aliter eis provisum fuerit; quo titulo ut suis clericis sacros Ordines conferret, s. m. Sixtum V Patriarchae Venetiarum indulsisse constat.

6. Denique titulus *Missionis*, de quo potissimum heic sermo ese, praetermissis titulis *sufficientiae et Collegii*, (quos utpote raro occurrentes tantum commemorasse sat erit), adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus haud suppetit, pro iis, qui maioribus Ordinibus initiari cupiunt, ut Apostolicarum Missionum servitio sese devoveant. Id autem saepe contingit in locis missionum in quibus ea est rerum conditio, ut commune Ecclesiae ius circa ea quae ad praerequisitum pro Sacra Ordinatione titulum spectant, servari adamussim nequeat. Qui vero huiusmodi titulo ordinati sunt, ii ex apostolico ministerio in Missione, cui fuerunt addicti, ad victum necessaria consequuntur.

7. Sed exploratum est, Ordinarios clericis titulo Missionis non posse Ss. Ordinationum munera impertiri, nisi speciali S. Sedis indulto muniti sint; agitur enim de titulo extraordinario qui praeter ius commune adhibitus fuit. Quod quidem indultum Superioribus Missionum aut Collegiorum seu Congregationum quae Missionibus inserviunt, vel ad certum tempus, vel ad praefixum casuum numerum concedi solet. Meminerint autem Superiores eo parce utendum sibi esse: neque enim titulo Missionis omnes absque delectu sacris erunt Ordinibus initiandi clerici qui ad Missionum curriculum ineundum utcumque dispositi videantur. Si enim iuxta s. Pauli monitum manus nemini cito imponendae, id potissimus valet, cum sermo est de iis qui in arduum apostolici ministerii opus assumuntur. Quare hic titulus adhibendus erit in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate, ac rerum mundanarum contemptu, spem faciant, sese strenuos futuros fore Evangelii praecones; super quo eorumdem Superiorum conscientia districte oneratur.

8. Non secus ac alumni Collegiorum pontificiorum, ii omnes qui titulo Missionis inter sacros ministros cooptari cupiunt, tenentur prius iuramentum emittere, quo spondeant Missioni cui destinati sunt vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos; quod quidem ab iis qui hoc ti-

tulo frui volunt, S. Sedes, ut Missionum, quarum supmtibus illi aluntur, servitio consuleret, exigere constanter consuevit. Huic Instructioni subnectitur Forma istius Iuramenti iampridem approbata usuque recepta, eamque ab omnibus usurpandam esse, ut uniformitas hac super re servetur, omnino praecipit S. Congregatio.

9. Necesse non est, ut qui ad Ss. Ordines hoc titulo evehendus est, actualiter in missione versetur, sed sufficit, ut paratus sit ad missiones obeundas, quando et quomodo Superiores eum mittendum censuerint ac ire iubeant.

10. Eis, qui hoc titulo sunt ordinati, vi praestiti iuramenti interdicitur in Religionem ingredi absque venia S. Sedis; eius namque iudicio reservatum est, praevia Ordinarii cui intererit, relatione iudicare, utrum Missionum, quarum servitio ii sunt addicti, necessitas id patiatur. Scilicet publicum bonum privato antecellat oportet, ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis ad arctiorem sine suorum Superiorum licentia transire fas sit.

11. Quemadmodum alii tituli, ita etiam hic, de quo agitur, iuxta canonicas sanctiones amitti potest, atque ab Ordinariis auferri, de consensu tamen S. Congregationis, cuius est sic ordinatos praestiti iuramenti vinculo exsolvere. Quod si amisso titulo generatim, aut etiam titulo Missionis, alter ei non substituatur, sacerdos haud propterea remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris canonibus consultum est. Id Sacra haec Congregatio in generalibus Comitiis diei 1 Septembris 1856 declaravit.

12. Pariter sacerdotes Regulares, qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex Apostolica indulgentia in saeculo vivere permittuntur, vel qui ediderunt vota simplicia, et e suis Congregationibus seu Institutis egressi sunt, ne cum proprii gradus dedecore emendicare cogantur, ad sibi de canonico titulo providendum obligentur; in locis vero Missionum ipsi probare saltem tenentur, sibi suppetere media, quibus propriae substentationi, ut par est, consulant.

13. Qui titulo certae alicuius Missionis ad ecclesiasticos Ordines adscenderunt, ubi missionarii officium dimiserint, procul dubio suum amittunt titulum, ac de alio sibi providere debent; si vero alterius Missionis servitio deputentur, ut huius Missionis titulum assumant, nova opus erit S. Sedis concessione; neque enim eis suffragatur facultas, si quam obtinuerit eius Missionis Ordinarius, memorato titulo clericos ordinandi.

14. Ordinarii in Missionibus utantur opera illorum etiam sacerdotum, qui aliis titulis ad sacros Ordines admissi fuerunt, servatis de iure servandis: neque enim ipsi possunt eos adstringere aa titulum missionis subrogandum. Quin immo hortatur S. Congregatio Ordinarios, ut quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra Ordinatione introducantur.

15. Tandem Sacra Congregatio animadvertens incremento Missionum plurimum posse conducere, si qui in Collegiis sive Seminariis utriusque cleri, Evangelii praecones mox futuri educati sunt, vel qui titulo Missionis ad Ordines fuere promoti, animo identidem recolant iusiurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum: eos hortatur, ut in annos singulos, anniversaria die praestiti iuramenti, illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem, quae eos constituit Verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis ac potentiae suae; quam immarcescibilis gloriae corona eis in coelis parata sit, si officium suum sancte impleverint; quamque e contra districtum maneat iudicium si negligentia vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit. Id autem, quo promptius et alacrius praestent, noverint s. m. Pium VI in audientia diei 7 Maii 1775 unicuique illorum plenariam indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus impertitum fuisse, non solum cum praedictum iuramentum primo emiserint, verum etiam cum illud stato iam die renovaverint, dummodo in utroque casu conscientiam sua Poenitentiae Sacramento expiare non omittant, atque eucharisticam Communionem suscipiant, vel Missae celebrent Sacrificium.

Formula iuramenti ab iis praestandi,
qui titulo missionis ordinantur

Ego N. filius N. Dioecesis vel Vicariatus N. spondeo, et iuro, quod postquam ad Sacros Ordines promotus fuero nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et iuro, quod in hac Dioecesi, aut Vicariatu, *vel* in Missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit, perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et iurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis Apostolicae licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Item voveo, et iuro, me praedictum iuramentum, et eius obligationem intelligere, et observaturum. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

27 April. 1871.

NIHIL OBSTAT
Fr. Joannes Neri O. P.
Censor deputatus.

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch.
Vicesgerens.

Proprietas literaria

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1897.

MONITUM

Gaudemus quidem nobis, quod plures e calendariorum redactoribus ad directionem Ephemeridum a se redactum calendarium mittant, revisionis causa. Id enim satis superque demonstrat efficacem illius perficiendi, si mendae quidem nonnullae occurrant, voluntatem. Ad quod fortasse ipsimet illos impulimus, cum calendarii alicuius quandoque in hisce paginis censuram inseruimus, vel etiam laudes intexuimus. Nihilominus notum facere cogimur, rem a nobis moraliter impossibilem eos postulare, qui proprii calendarii revisionem peroptant. Cum enim permulta sint, quomodo fieri posset, ut Ephemeridum Moderatores hoc sibi velint negotium assumere? Alicuius quidem calendarii revisionem aggredi necessitas nos coegit; sed pro omnibus et singulis idem agere, libere confitemur, defectu temporis impedimur. Si qui nihilominus dictam revisionem omnino cupiunt, eorum desiderio faciemus satis, dummodo aliquid remunerationis pro revisore tribuere libenter velint, cui, extra Ephemeridum redactionem, id operis curam concredere parati sumus.

SACRA RITUUM CONGREGATIO

I.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ad levamen animarum quae in Purgatorio detinentur, Sacrae Rituum Congregationi facultatem indulgere dignatus est, qua singulis petentibus S. R. E. Cardinalibus, Episcopis, aliisque Praelatis, quibus Oratorii privati privilegium de iure competit, permitti possit in eodem Oratorio unica Missa privata de Requie, defuntis applicanda, infra hebdomadam diebus non impeditis a Festo ritus duplicis, quod iure translationis pollet, a Dominicis aliisque Festis de praecepto servandis necnon a Vigiliis, Feriis Octavisque privilegiatis; et servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Iunii 1896.

II.

MONTIS ALBANI.

Rmus Dnus Adulphus Fiard Episcopus Montis Albani a S. Rit. Congne sequentis Dubii solutionem humillime flagitavit, nimirum: Utrum prohibitio recitandi aut cantandi in Ecclesiis seu Oratoriis publicis Litanias de quibus agitur in Decretis S. Rit. Congnis 6 Martii 1894 et 28 Nov. 1895 (1) complectatur etiam quamlibet earum recitationem, a pluribus coniunctim in Ecclesiis vel Oratoriis publicis, absque ministri Ecclesiae *qua talis* interventu factam?

Et S. eadem Congr. referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature perpensis, ad propositum Dubium respondendum censuit: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 20 Iunii 1896.

† CAJ. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*

ALOISIUS TRIPEPI, *S. C. Rit. Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI

II.

Singulare prorsus apparet privilegium, quo decoratum fuit festum Septem Dolorum B. M. V. Dominica III Septembris toto terrarum Orbe recolendum. Breve enim concessionis a Pio Pp. VII emanatum sub die 18 Sept. 1814, et ab alio Decreto Gen. sub die 19 Aug. 1817 declaratum, iubet: *quod, impedita Dominica III Sept. ob occursum festi ritus dup.* 1.

---

(1) Per hanc, quae nobis effugit, dispositionem, revocamus quod alibi in contrarium diximus.

vel 2. classis, vel diei octavae..., praefatum festum Dolorum transferri debeat in proximiorem Dom. etiam si incidat cum festo ritus dup. minoris, dummodo non sit dies octava... Quod si omnes Dominicae usque ad Adventum fuerint impeditae, transferendum erit iuxta Rubricas in primam diem non impeditam. Iam nunc nullum in calendario universali habetur festum aequali privilegio ditatum. Aut enim solemnitas Dolorum, III Dom. Sept. impedita, transfertur quoad solum officium, et tunc non intelligitur quomodo festum occurrens vel etiam officium Dominicae impedire valeat: aut transfertur quoad officium et festum, et tunc non explicatur, quare in Ecclesiis, in quibus a populo dictum festum semper de more celebratur Dom. III Septembris, tota solemnitas externa in eadem Dominica retineatur. In hoc enim casu, uti facile perpendenti patet, in una ex sequentibus Dominicis nil aliud celebrandum restat, nisi merum officium. *Quaeritur:*

1. *Quaenam mens fuerit Pontificis quando in universa Ecclesia festivitatem Septem Dolorum instituit, cum aliud iam in Quadragesima festum eiusmodi celebraretur?*

2. *Quando Ecclesia festum Deiparae vel Sanctorum celebrandum iubet in aliqua Dominica, intendit ne semper festum ipsum Dominicae affigere, ut feriatione gaudeat?*

3. *In casu, quando festum Septem Dolorum impeditum, in aliqua ex sequentibus Dominicis celebratur, transfertur ne inibi solum eius officium, an etiam illius festivitas?*

4. *Quomodo Rubrica specialis Breviarii et Missalis concordentur simul, habito respectu ad duplicia maiora?*

SOLUTIO

Ex dissertatione R. D. Godefridi Zaccherini, Pont. Sem. Pii alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Congregationis Missionis, die 2 Decembris 1896; acta Epitoma per R.mum D. D. Philippum M. Canon. Difava.

I. Quaenam fuerit mens Pontificis quando in universa Ecclesia festivitatem Septem Dolorum instituit, cum aliud iam in Quadragesima festum eiusdem celebraretur?

Hermeneuticae nota lex est, quod, ad mentem dignoscendam alicuius auctoris, diligenter prius expendatur totus contextus locutionis ac deinde singula incisa, ut sensus deducatur magis obvius et naturalis. Haec lex absque dubio negligenda non est, cum, in alicuius Decreti interpretatione, dignosci peroptatur intentio ac scopus legislatoris. Unde, in nostro casu, ad dignoscendum quaenam fuerit mens Pontificis Pii VII, cum alteram instituit festivitatem ad Dolores Virginis recolendos, necesse est Decretum concessionis ob oculos habere, ac deinceps singula incisa ad examen vocare. Decretum ergo, ut in Gardelliniana Collectione prostat, huius tenoris est: « Cum in publicis Ecclesiae calamitatibus aucta plurimum fuerit devotio erga Beatissimam Virginem, iuxta Simeonis prophetiam, in animo gladio transfixam, cuius commemoratio fit dumtaxat Feria VI post Dominicam Passionis, dum Ecclesia, ob sublimia Redemptionis mysteria, quae eo tempore celebrantur, in tristitia versatur et luctu; cumque propterea Apostolica Sedes iampridem indul-

serit, ut in Ordine Servorum B. Mariae Virginis iterato idem festum solemniter perageretur in Dominica III Septembris, quod postmodum extendit ad plurimas Provincias et Dioeceses: hinc Sanctissimus Dominus Noster Pius VII Pont. Max. pia devotione motus erga Beatissimam Virginem Mariam dolore transfixam, accedentibus etiam precibus Serenissimi Caroli Emmanuelis Sardiniae Regis, ac voto Emi et Revmi Domni Cardinalis Iulii Mariae de Somalia, uti Sacr. Rit. Congregationi Praefecti, suae vocis oraculo in Audientia mihi infrascripto Sub-Promotori Fidei sub hac die benigne impertita, praecepit ut in posterum in universa Ecclesia ubique terrarum quotannis, recurrente Dominica III Septembris, celebretur festum Dolorum B. M. V. extendendo ad omnes tam Saeculares, quam Regulares, qui ad Horas Canonicas tenentur, Officium et Missam iam concessam Ordini Servorum eiusdem B. M. V. sub ritu duplicis maioris. Sed quoniam in ea Dominica III Septembris aliquando occurrit Octava Nativitatis B. M. V., aut festum S. Matthaei Apostoli; alterutro adveniente casu, mandavit, ut festum Dolorum transferatur in primam ex sequentibus Dominicis, quae non sit impedita Officio ritus duplicis primae vel secundae classis, firma nihilominus remanente eiusdem festi commemoratione, quae fit in Feria VI post Dominicam Passionis (Die 18 Septembris 1814, *Urbis et Orbis*). »

Haec ergo nova solemnitas in memoriam Perdolendis Virginis instituta est ad devotionem populi fovendam, qui calamitatibus oppressus aliunde solamen percipere nescit, nisi ex memoria poenarum Illius, quae merito *Regina Martyrum* appellata est, et ad ipsius

Pontificis pietatem ostendendam erga Beatissimam Virginem dolore transfixam (V. etiam Decr. 19 Aug. 1817, *Urbis et Orbis*). Ad hunc ergo finem institutam solemnitatem et per totum terrarum orbem diffusam, celebrari profecto non decebat diebus sacris memoriae recolendae Passionis Redemptoris, diebus moeroris et fletus, quibus ipsae sacrae imagines in Ecclesiis, luctus specie, velamine obducuntur. Hoc certe tempus est Mariae gementi ob sui Unigeniti mortem compatiendi, prout decet filios bene affectos et devotos, lugente cum Matre lugentes; attamen, cum huiuscemodi poenae et dolores a Deipara tolerati patientia sine exemplo, sint modo, in caelo, maioris causa gloriae, conveniens erat omnino alium nos dicasse diem ad triumphos recolendos horum dolorum. « Cuius (Virginis) commemoratio fit dumtaxat feria VI post Dominicam Passionis, dum Ecclesia ob sublimia Redemptionis Mysteria, quae eo tempore celebrantur, in tristitia versatur et luctu..... praecepit ut iterato idem festum solemniter perageretur in Dominica III Septembris (*loc. cit.* Cfr. Cavalieri, *Tom.* 1. *p.* 2, *pag.* 103) ». En, qui nobis videtur, scopus a Pio VII intentus, cum alterum hoc festum statuit celebrandum in Virginis transfixionis honorem. Et re quidem vera commemoratio Septem Dolorum B. M. V., quam feria VI post Dominicam Passionis peragimus, considerari potest, veluti, si ita loqui fas est, singulorum officiorum Dominicae Passionis complementum, quae feriis tertiis et sextis a Septuagesima ad hebdomadam Passionis alicubi celebrantur, vel saltem complementum eiusdem Passionis memoriae, quae per quadragesimale tempus quotidie habetur; nec nos a veritate longe

aberrare putamus, asserentes hanc ob causam in Quadragesima Dolores Mariae Virginis commemorari, quod considerari valeant quasi novum Iesu patientis tormentum, qui, absque ulla dubitatione, plurimum pati debuit videns tam crudeliter tenerissimam Matrem secum dolentem anxiari. Praeterea convenit omnino commemorationem Dolorum Virginis officiorum Passionis complementum haberi, eo quod a Filii oblatione non extranea facta sit Mater, usque dum suam ipsius animam pertransiret gladius, ac proinde merito corredentrix et correparatrix nostra appellata sit. Unde et grati animi sensus urgere nos debuit ut Dolores Deiparae in Quadragesima coleremus, et eiusdem glorificandae studium, ut rursum alio tempore cum Ecclesia caneremus: « Ave, Princeps generosa, Martyrumque prima rosa, Virginumque lilium. »

Ceterum unicus casus non est, quod eiusdem festi duplex celebretur commemoratio. Ipso Quadragesimali tempore aliquibus locis Officium fit Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. sub ritu dupl. maioris, quamvis Dominica I. Iulii iterum universale eiusdem festum recolendum sit sub ritu dupl. 2. classis.

II. Nunc quaeritur, an quando Ecclesia festum Deiparae vel Sanctorum celebrandum iubet in aliqua Dominica, intendat semper festum ipsum Dominicae affigere ut feriatione gaudeat? Certe non deest ratio dubitandi; si enim festivus dies eligitur ad officium celebrandum in alicuius honorem, hoc insinuare videtur idcirco id fieri, ut feriationis privilegio officium seu memoria illa gaudeat; attamen, quamquam inter Rubricarum peritos quaestio sit, omni posse certitudine affirmari censemus, quod, nisi aperte constet de alia

Pontificis voluntate, retineri debeat festum alicui determinatae Dominicae affixum non gaudere privilegio feriationis. Verum, antequam ad rationes deveniamus, quae opportunae videntur ad nostram confirmandam sententiam, pauca verba facere liceat relate ad translationem festorum, quibus adnexa est feriatio. « Si transfertur festum, ait De Herdt, (*Sacrae Liturgiae Praxis, T. II, n. 280*), quod feriationem annexam habet, non transfertur feriatio, sed haec servatur eo die, quo festum cadit. Quapropter si festum, quod de praecepto servatur, occurrat feria quinta in coena Domini, non quidem omnes Sacerdotes, sed aliqui Missam privatam ante solemnem celebrare possunt ac debent, ut fideles praecepti implemento non desint. Hae Missae privatae celebrandae sunt non de festo, sed de coena Domini, cum *Gloria* et *Credo* ut in Missa solemni diei. Si occurrat feria sexta in Parasceve, manet obligatio abstinendi ab operibus servilibus, sed non audiendi Sacrum neque assistendi officio huius diei, cum hoc nullibi praecipiatur. Si in Sabbato sancto occurrat, Missae privatae praeter unicam solemnem sine speciali indulto non permittuntur, adeoque fideles, qui possunt, Missae solemni interesse tenentur. Excipitur tamen festum Annuntiationis B. M. V. quod, si in feria sexta Parasceves et Sabbato sancto occurrat, in Ecclesia universali una cum feriatione in feriam secundam post Dominicam in albis transfertur; haec autem specialis est praerogativa, quae ad alia festa sine speciali indulto non extenditur.

Videamus modo an reapse sustineri possit, Ecclesiam praecipientem aliqua determinata Dominica ce-

lebrari festum Deiparae aut alicuius Sancti, semper intendere, festum huiusmodi privilegio feriationis gaudere. Iam negativam dedimus responsionem. Et sane in peculiaribus Decretis, quibus cuiusdam festi celebratio praescribitur. omnia designantur privilegia, quibus praefatum gaudebit festum. Ita v. gr. in Annuntiationis festo Rubricam hanc legimus (Cfr. Missale Rom. edit. Ratisb. *an. 1896*): « Si hoc festum venerit feria VI in Parasceve, vel Sabbato Sancto, transferendum erit in feriam II post Dominicam in Albis, tamquam in sedem propriam, *integra cum solemnitate et feriatione*, et sine octava, servato tamen ritu Paschali. » Nunc quaerimus: si hoc in casu tam apertis verbis dicitur festum Annuntiationis feriationis privilegio gaudere, cur pro aliis festis, quae in Dominica celebrari debent, talis privilegii existentia omnino reticetur? Aut privilegium non existit, aut si existit cur non exprimitur? Ergo, usquedum ex novo Decreto non constet, quaedam festa certis Dominicis affixa, privilegio feriationis gaudere, concludendum est, ex eo tantum, quod Pontifex statuit quoddam festum in Dominica celebrandum, legitime non sequitur ipsi adnexam esse feriationem. Nec quidquam prodest opponere, in Rubricis peculiaribus Missalis Romani remotiorum editionum, de feriatione festo Annuntiationis adnexa nullam fieri mentionem, quamvis privilegium vere existat, et consequenter fieri posse, quod etiam in aliis festis idem privilegium habeatur, etsi in speciali Missalis Rubrica haud expressum. Inficiari non potest, hoc, primo intuitu, quamdam praeseferre difficultatem, quae tamen penitus evanescit, si concessionis festi SSmae Annuntia-

tionis Decreto oculos intendamus, ac recentiorem editionem Missalis Romani inspiciamus; et revera utrumque aperte nos edocet festum illud transferri *integra cum solemnitate et feriatione.*

Ast, quod huiusmodi privilegium in festo quoque insit ex. gr. Septem Dolorum B. M. V., quamquam Dominicae tertiae Septembris affixum, quodnam indicium id praestat, si in Decreto institutionis eiusdem festi et in Rubrica speciali Missalis Romani, nullam, nec implicitam, mentionem habemus? Ergo, etiamsi quandoque Ecclesia determinatis quibusdam Dominicis celebrandum statuit aliquod B. M. Virginis, seu alicuius Sancti festum, nisi explicita fiat mentio de feriatione festum ipsum concomitante, intelligi debet illud nullimode hoc extrinseco privilegio donari.

III. Iam nunc tempus est ut dubium resolvamus, utrum, quando festum Septem Dolorum impeditum, in aliqua ex sequentibus Dominicis celebratur, transferatur inibi solum eius officium, an etiam illius festivitas. Prodest imprimis claram haberi notitiam de *festi* et *solemnitatis* significatione. Festum dicitur dies a S. Sede statutus et sacratus memoriae Mysteriorum D. N. vel Beatae Virginis, seu alicuius Sancti, idcirco appellatur etiam dies festus. Solemnitas vero, quae festum comitatur, tantum consistit in exteriori pompa, extraordinario populi concursu, et quandoque etiam feriatione: quae omnia saepe extranea sunt officio. Namque haud raro accidit quod, officio translato, celebretur nihilominus in populo solemnitas eo die, quo ex statuto fieri solet; et quamvis dicta die omnes Missae privatae et conventualis cum officio currenti concordent, ex Rubricarum in-

dulto (Rubr. gen. Missal. *Tit. VI*) Missam solemnem celebrari conceditur de Sancto vel Mysterio transferendo. Exinde clare patet satis differre translationem officii a translatione totius festi. Num, in casu nostro, officium tantum, an etiam solemnitas transfertur? Profecto tantum officium; cum enim festum B. Virginis Perdolentis celebrari non potest Dominica tertia Septembris, extrinseca solemnitas semper fixa remanet illi diei. Hoc autem ex eo probatur, quod consuetudo vigeat quolibet anno celebrandi eo die solemni pompa festum Virginis transfixae; et non parvum foret inconveniens contra populi consuetudinem operari iam satis inveteratam, ac in se spectata omni laude dignam. Ex hucusque dictis, abunde iam patet quod remanente in tertia Dominica Septembris sola extrinseca solemnitate, in una ex sequentibus Dominicis nil aliud celebrandum restat nisi merum officium, quia nec exterior pompa nec feriatio transfertur; ergo concludendum est reipsa transferri *merum officium*. At hic casus novam ac gravem praesentat difficultatem; arguitur enim, si solemnitas Dolorum III Dominica Septembris impedita transfertur quoad solum officium, tunc non intelligitur quomodo officium occurrens vel etiam officium Dominicae impedire valeat. Quomodo sane merum officium et quidem ritus duplicis maioris, causa esse potest tanti officiorum detrimenti? Huius difficultatis non aliam veriorem invenimus solutionem, nisi asserentes id fieri ex speciali privilegio, quo S. Sedes decorare voluit hoc B. Virginis festum.

IV. Ut tandem quartam resolvamus quaestionem, quomodo nempe Rubrica specialis Breviarii et

Missalis concordentur simul, habito respectu ad duplicia maiora, necesse est diversas Rubricas praemittere. Referemus primo Missalis Romani Rubricam, anno 1862 editi : « Si in Dominica III occurrat aliud festum sive *B. Mariae Virginis*, sive *altioris ritus*, vel *dies octava* festi, quod alicubi sit solemne, festum Septem Dolorum amandatur ad Dominicam IV Septembris, et hac etiam, ut supra, impedita, ad proximiorem Dominicam a praedictis festis liberam. Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, festum Septem Dolorum ponatur, iuxta Rubricas, in prima die non impedita post Dominicam III Septembris. » Talem Rubricam iisdem prorsus verbis expressam invenimus in Breviariis tam remotioris editionis, quam in typica anno elapso impressam. E contrario in Missali Romano, Ratisbonae cuso currenti anno, uti sequitur Rubrica exprimitur : « Impedita III Dominica Septembris ob occursum festi *ritus duplicis* 1. *vel* 2, *classis*, vel *diei octavae* Patroni, Titularis, Dedicationis, etc., festum Dolorum transfertur in proximiorem Dominicam, etiamsi incidat cum festo *ritus duplicis minoris* (de quo tunc facienda est commemoratio ad instar, simplicis, iuxta Rubricas), dummodo non sit *dies octava* Patroni, Titularis, Dedicationis, etc. Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, festum Septem Dolorum ponatur, iuxta Rubricas, in prima die non impedita post Dominicam III Septembris. » Nunc pervidere est quaenam sit unam inter et aliam Rubricam differentia. In Breviario dicitur simpliciter III Dominica Septembris impediri posse ab aliquo festo B. M. Virginis, vel festo superioris ritus vel

octava alicuius Sancti, qui alicubi solemniter celebretur; et contra, in Missali, ponitur festum Virginis Transfixae impediri a quocumque festo ritus duplicis 1. et 2. classis et octava Patroni, Titularis, Dedicationis, etc. Hucusque inter duas Rubricas unica intercedit differentia, quod prima declarat aliud festum B. M. V. uti impediens, ultima singulos enumerat casus praepedientes festi Deiparae celebrationem Dominica III Septembris, casum non considerans alterius B. V. festi, eo quod facile supponitur solvendus favore possidentis, dum in Breviario simpliciter regula generalis exhibetur, atque singulae applicationes reticentur. Praeterea Breviarium generatim ait: « Transfertur ad proximiorem Dominicam a praedictis festi liberam, quin aliud adiungat. At in Missali a ditam invenimus clausulam: « transfertur, inquit, in proximiorem Dominicam, *etiamsi incidat cum festo ritus duplicis minoris.* »

Sed utraque Rubrica insolutam relinquunt maximi ponderis quaestionem. Quod festum Virginis Dolorosae cedere debeat festis supra memoratis, extra dubium manet; prouti praeter omnem dubitationem verum est praeminentia gaudere super festis minoris ritus; at si de festis sermo sit aequalis ritus, quid tunc agendum? Rubricae, ut novimus, de huiusmodi festis haud loquuntur, scimus aliunde, a Rubricis generalibus, festa primaria aequalis ritus nunquam cedere debere tam in occurrentia, quam in concurrentia alicuius translati. Oportet ergo Rubricam generalem sequi, an hic quoque supponere festum Septem Dolorum quodam privilegio gaudere? Omnis dubitandi ratio iam nunc evanuit, eo quod S. R.

Congregatio, Decreto adhuc inedito 23 Aprilis 1895, anterioribus Decretis confirmatis (18 *Sept.* 1814 et 19 *Aug.* 1817), iusserit: festum Deiparae Doloribus transfixae celebrandum per universum Orbem a Clero Saecular et Regulari, quotannis ritu dup. maiori, firma remanente Com. quae recolitur in feria IV post Dominicam Passionis. Quod si huiusmodi festum Dolorum cum alio occurrat, cui vi Rubricarum cedere locum debeat, transferatur in primam, post III Septembris, Dominicam, licet dup. maiori, non tamen primario, nec octava die impeditam. Si vero Dominicae omnes post dictam habeantur impeditae, transferatur de more in primam diem liberam iuxta Rubricas.

Concludamus ergo, utramque Rubricam specialem Missalis et Breviarii conformari debere postremo huic Decreto, ac etiamsi nova Decreti clausula non exprimatur in Rubricis (quod fiet absque dubio in novis Missalis et Breviarii editionibus), uti impeditae censeri semper debere etiam Dominicas illas, in quibus festum occurrit primarium aequalis ritus.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO.

I. *Ex Hollandia.* **De intelligentia Decreti** *Ruthenen.* 22 Maii 1896 (*V. Ephem. 1896, n. 6, pag. 362*).

Quis est sensus vocis *loci* in Decr. *Ruthenen.* 22 Maii 1896? Intelligitur ne oppidum in quo situm est seminarium, collegium, etc., vel potius ipsum seminarium etc.? v. g. hic dantur variae Communi-

tates Sororum 3^iae regulae S. Francisci quae ad Officium non tenentur, quamvis recitent, et sequuntur Directorium Fratrum Minorum. Missa, quae apud eas celebratur, iuxta quod calendarium dici debet: 1° si quotidie sacerdos saecularis celebret, 2° si quotidie regularis cum proprio calendario, 3° si quotidie ibi quidem celebretur, sed non ab eodem sacerdote, 4° si quandoque tantum Missa celebretur?

Resp. Locus, ad quem pertinet calendarium, et cui conformis, vel non, Missa praescribitur in Decreto *Ruthenen.*, est ille, in quo quis celebrat. Quaevis enim Ecclesia, sicuti Seminarium, Collegium, vel quaecumque sit Communitas, in qua Missa celebrari potest, aliquod calendarium tenetur sequi, quod diversum esse potest a calendario Celebrantis. Esse autem potest, vel calendarium dioecesis, in qua *locus* situs est, et tunc calendarium *loci* est calendarium dioecesis: vel calendarium Communitatis proprium, et tunc calendarium *loci* est calendarium Communitatis, quo nempe Communitas utitur. Celebrans autem esse potest vel loci, in quo Missam facit, vel alterius ab illo in quo eamdem Missam facit, ut diversum teneatur recitare officium. Itaque exterus Sacerdos, sit saecularis, sit regularis, celebrans in Oratorio de quo agit Decretum *Ruthenen.*, tenetur Missam conformare nunc calendario suo, nunc calendario Oratorii seu loci, in quo Missam facit. Proinde si Communitas aliqua indultum possideat sequendi in suo Oratorio calendarium alterius Communitatis, dictum calendarium ad locum pertinet, hoc est ad dictum Oratorium, illudque omnes in eo celebrantes sequi tenentur, sint saeculares, sint regulares, etsi proprio calendario fruantur, habeatur in dicto loco, vel non, Missa

quotidiana, sive celebretur in loco semper ab eodem, sive ab alio Sacerdote: dummodo de principali Oratorio seu cappella agatur, uti Decretum edicit. Eiusmodi autem consectaria, certa omnino videntur, maxime inspecto Decreto Generali *Quamplures*, d. d. 8 Febr. 1896: quo declaratur in alio Decreto Gen. 9 Dec. 1895 comprehendi ipsos Regulares, qui privilegio ante gaudebant sequendi proprium calendarium in Missa, quoties extra propriam Ecclesiam celebrabant, nec discordabat color. Porro si praefati Regulares tenentur stare calendario loci in quo celebrant, quisnam alius ab eodem sequendo eximere se poterit?

II. *Ex eod. loco.* **De sensu vocis** *solemniter* **in Decreto Gen.** *Orationum et sequentiae in Missis Defunctorum.* Quis est sensus vocis *solemniter* in Decr. de Missis Defunct. 30 Ian. 1896? Alii dicunt assistentiam diaconi et subdiaconi sufficere ut *una* tantum Oratio dicatur, alii negant et unam Orationem adhibent in iis Missis tantum, quae respondent Officio Defunct. sub ritu duplici. Numquid igitur in Missa Defunctorum quae, assistentibus ministris sacris, celebratur, *una* tantum Oratio dici debet? (supposito Missam non celebrari die III, VII, XXX etc.).

Resp. Verbum solemniter praefati Decreti Gen. est eadem vox, quam Rubrica eodem omnino in casu adhibet, dicens: «... Dicitur una tantum Oratio... quandocumque pro defunctis *solemniter* celebratur (*Rubr. Gen. Tit. V, n. 3*)». Generatim autem responderi potest, hic verbum solemniter idem significare in Decreto, quod significat in Rubrica. Notamus interim, lemma sequens « et quandocumque pro defunctis solemniter celebratur », in antiquioribus Missalis Romani editionibus

non legi. Cl. Quarti de huiusce lemmatis interpretatione silet. Gavantus, Meratus, Guyetus aliique communiter to *solemniter* explicant pro ritu duplici, vel etiam pro externa pompa. De hac tamen silet Decretum nostrum, adeo ut videatur declarare, Missam pro defunctis tunc tantum *solemniter* celebrari, extra privilegiatos dies, quando celebratur *sub ritu qui duplici respondeat*, uti alibi ostensum est (*v. n. 1, 1897, pag. 36-37, dub. 9*). Ergo, conclusio certa omnino est, Missa cantata, habeat vel non sacros ministros, *solemniter* celebratur, vel indubie *sole niter* censetur celebrari, dummodo officio duplici respondeat. Eapropter errant illi qui credunt, requiri Ministros sacros ut una tantum (extra semper intellige dies privilegiatos) dici possit Oratio in Missa cantata pro defunctis. Sed pariter errant, qui autumant, sufficere in Missa cum cantu sacros ministros, ut una dici debeat Oratio. Cum enim declaratum sit, tunc Missam (extra praedictos dies) *solemniter* pro defunctis celebrari, quando ea officio duplici respondeat, in aprico est, eam non celebrari *solemniter* quando ritui inferiori respondet. Reapse, cuinam ritui respondet Missa, quae prima die mensis, vel feria II cuiuslibet hebdomadae, si non impeditur, celebratur in Ecclesiis collegialibus, nisi feriali? Et nihilominus ea celebratur, vel saltem cel brari potest cum sacris ministris. Cum vero ritui duplici inferiori respondeat, non una, sed plures dicendae sunt Orationes, uti et Rubricae exigunt, et hactenus factum est, et Decretum praesens edicit. Ergo Missa cum cantu vel etiam solemnis, ut unam (praeter dies privilegiatos) tantum habere possit Orationem, ritui duplici respondere debet: secus plures habebit, quia non censetur *solemniter* celebrari.

III. *Ex eod. loco.* **De calendario Communitatis sequendo pro Missa in Paroecia.** Hic dantur parochiae quibus deserviunt regulares; Superior eos nominat, quandoque transfert, verum Episcopus in confirmando parocho dicit: « ad beneplacitum nostrum »; parochiae igitur non videntur pleno iure esse regularium. Quod calendarium sequi debent sacerdotes eidem ecclesiae adscripti: Dioecesis an proprii Ordinis?

Resp. Sacerdotes dictae Ecclesiae adscripti, imo et exteri, si in illa celebrent, tenentur sequi calendarium Communitatis. Uti patet ex allata Dubii expositione, Paroecia non committitur individuo, sed Communitati; Superior enim nominat sibi subditum, esto postquam composita res fuerit cum Episcopo, et amovet si ita expediat, quamvis Episcopus ipse electionem confirmet. Peculiaria vero et localia momenta exigere possunt, ut eiusmodi parochus Regularis amoveri etiam possit ab Episcopo; sed hoc profecto non probat, illi vere uti Regulari Paroeciam non committi: nisi forte verba « ad beneplacitum nostrum », id tantum sibi velint, quod Episcopus pro suo beneplacito electum confirmet. Quidquid sit, Paroecia vere Communitati concreditur, cuius Superior eligit et transfert quem eligit; electus proinde Communitatis pars remanet, et Superiori suo subiectus, quamvis in pastorali munere possit non dependere. Sicut autem ut ad corpus pertineat parochus, nihil refert quod ab illo sciungi valeat, ita nec interest quod amoveri possit, ex hypothesi, ad beneplacitum Ordinarii, ut Paroecia sibi, ac proinde Communitati commissa dici valeat. Eapropter pleno iure a Communitate per eiusdem membrum Paroecia possidetur, quamvis peculiaribus de causis, ut

credimus, Ordinarius Parochum amovere possit. Satis quidem notum ponimus, Parochos, vi Tridentinae Synodi, pro tutiori animarum eis commissarum salute, esse debere *de se* perpetuos et inamovibiles; sed ex eodem Concilio haud minus certum est, Parochos regulares esse amovibiles (*Conc. Trid. Sess. XXV, cap. XI de Regular.*), cum tamen vere sint Parochi, plenoque iure paroeciam administrent.

IV. *E Galliis.* **De colore paramentorum in quibusdam peculiaribus festis.** Tria hic recoluntur festa peculiaria, et ambigitur de qualitate coloris paramentorum in illis adhibendi. Sunt autem: Commemoratio Omn. Ss. Episcoporum, Presbyterorum, et sacrorum Ministrorum Provinciae Auxitanae: Comm. Omn. Ss. S. R. E. Summorum Pontificum: et Comm. Omn. Sanctorum Provinciae Auxitanae. Quaeritur proinde quinam in dictis festis adhibendus sit color?

Resp. Exploratum ponimus, rubeum, inter quinque apud Romanam Ecclesiam colores, in usu aliis esse nobiliorem. Gavantus ait: « Rubeus color seu purpureus indicat dignitatis gradum, aliis excellentiorem (*Pars. I, Tit. XVIII, Rubr. 3*). » Sicut enim martyrium praefertur confessioni, viduitati, imo ipsi virginitati, ita color rubeus, martyrium significans, aliis excellit. Martyres proinde liturgica dignitate aliis omnibus praestant, sive Pontificibus, sive simpliciter Confessoribus, ipsisque Doctoribus. Hinc, ni fallimur, inter doctores S. Irenaeum non colimus, sed uti martyrem, ob quam praerogativam superiorem, illa non computatur. Quo posito principio, aliud quoque admittendum credimus. Est autem hoc, quod cum in uno eodemque festo plures honore habemus Sanctos, diversa di-

gnitate fulgentes, quorum alteri unum, alteri alium colorem exigunt, ex duobus unum evenire necessario debet: aut nempe colorem adhibere dignioribus convenientem, aut alium qui minus dignis conveniat. At nemo non videt, longe esse consultius ut dignioribus color congruat, potiusquam minus dignis; quia nullum est inconveniens, ut minus digni honoris digniorum participes fiant, sed dedecet prorsus, ut digniores se minus dignis conforment. Hinc Romae pro festo Ss. Victoris, Innocentii, Nazarii ac Celsi, ex quibus Innocentius est Confessor, alii Martyres, rubeus adhibetur color. In Comm. omnium Ss. Summorum Pontificum, quorum plures sunt Martyres, sed plures quoque Confessores, eodem colore rubeo utimur, etc. Ex his concludere licet colorem in tribus enunciatis festis esse debere rubeum.

Quod si opponatur, partes plures officiorum pro dictis festis desumptas esse non ex Communi Martyrum, sed Confessorum Pontif., reponi potest, nihil id officere, cum in precibus liturgicis omnes vel plures Sanctorum, quorum festum agitur, recenseantur praerogativae in casu, et quia praeter Martyres etiam Confessores recoluntur, et quia etiam Martyres multis praerogativis Confessorum sunt praediti.

Nota 1. pro dioecesi Surrentina. Missae defunctorum privatae prohibentur infra totam octavam Nativitatis Domini, etsi non fiat de octava, sed de semiduplici alicuius Sancti: quod ultimum nihilominus quomodo, nunc saltem, S. Thoma ad dup. min. evecto, evenire possit, non videmus *(V. Decr. Missali praemiss.).*

Nota 2. Pro Augusta Praetoria. Si duo clerici in

processione SS. Sacramenti, candelas ferentes accensas, post ipsum Sacramentum incedant, vere id absonum est, iisque nullo pacto convenit.

V. *E Nola.* **Iterum de duplicatione Litaniarum in processione Rogationum.** Tam Rmus Episcopus Nolanus, quam alii plures ex Ven. Consociatis nostris, conquesti sunt de solutione data in Ephemeridum num. 11 praeteriti anni 1896 (*pag. 692, VI*), ut cogamur illam resumere, qua conquerentibus faciamus satis. Decretum itaque 5877 ad IV declarat, Litanias in casu duplicandas, quamvis processio extra Ecclesiam impediatur, et intra ambitum Ecclesiae fiat. Hoc nos Decretum siluimus, ab eoque abstraximus, soli Rubricae et ratiocinationi innixi, quod eius conservatio in nova Collectione difficilis satis nobis videretur, adeo ut negotio penitius considerato, fortasse expungendum iudicari posset. Revera, si Ritualis Rubricas in singulis numeris consideres, si harum Litaniarum finem, si Ecclesiarum limitatum ambitum, generatim loquendo, attente perpendas, vix credere licet, Litanias in casu esse duplicandas. Rubrica enim incipiendas quidem eas exigit in Ecclesia, sed post *S. Maria* surgendum iubet, et illas in processione cantari. Repetitionem vult, si via sit longior, vel Litaniis addi etiam psalmos, denique cum consuetis precibus, ut post psalmos poenitentiales, edicit terminari processionem in Ecclesia. Ubi vides, non ad altare illas esse recitandas, sed in via, quae plus minusve longa supponitur. Si autem finem attendas, idem tibi necessario concludendum; ut enim, ait cl. Quarti, *impetrent christiani a Deo messium et fructuum conservationem ac maturitatem, felicemque exitum, hanc processionem*

instituit sancta mater Ecclesia (De process. pag. 34, Sect. II, punct. IX). Quod etiam innuit rationes, ex quibus in processione, non autem simpliciter ad altare sint canendae, uti etiam ex pluribus, quae de more benedictiones impartiuntur campis, ostenditur. Si denique Ecclesiarum, in genere, ambitum perpendas, perspectum facile habebis inconveniens, de quo in praefato numero Ephemeridum diximus: ad quod vitandum solutionem, de qua nunc decertatur, dedimus. Haec momenta, quae exhibitam responsionem cohonestant: a quibus nihilominus, de opposito Decreto expungendo vel retinendo incerti, eamdem in sequentem, donec saltem negotium clarescat, immutamus: Servetur Decretum *Urgellen.* n. 5877 ad IV.

Nota. Missae de requie privatae in die et pro die obitus aut depositionis, physice vel moraliter praesente cadavere, etiam in duplici fieri possunt vi Decreti *Aucto* d. d. 19 Maii, et die 8 Iun. 1896 a Leone XIII confirmati, exceptis dup. 1 cl. et diebus feriatis. Nusquam vero, quantum memoria retinemus, Ephemerides docuerunt, dictas privatas Missas esse vetitas, si cantata omittatur: quinimmo oppositam sententiam defendimus. Interim, quidquid sit, nos quidem convenimus, Missas privatas praefatis diebus non prohiberi, quamvis cantata omittatur. Decretum enim illas et istam permittit; ergo sicuti licet primas omittere et aliam facere, ita e contrario licebit istam omittere et facere illas. Decreti tamen inspecto fine, oppositum dicendum videtur; quia, ideo privatae Missae permittuntur, inquantum cantata indulgetur, et non viceversa: adeo ut, si haec impediatur, citra dubium impediantur et illae. Ergo primum locum obtinet cantata, uti princi-

palis, lectae secundum oblinent locum, uti secundariae. Proinde non videntur privatae posse dici, si cantata omittatur: competens auctoritas quaestionem dirimet.

VI. *E Verona*. **De off. votivo Ss. Petri et Pauli a Communitate B. recitando, licet extra Urbem degat.** Religio B. nuper obtinuit, ut sequeretur Calendarium Cleri saecularis Urbis. Cum vero in pluribus urbibus dicta Religio propagata sit, inquiritur, num quae extra Romam Communitates vivunt, feria III, si votivum admittat, recitare debeant de Ss. Apostolis, an potius de Ss. Petro et Paulo?

Resp. Responsio facilis et certa, constat enim ex Decreto in *Romana* d. d. 18 Maii 1889, quod, ad nos quod attinet, sic se habet: « An illa verba « Romae vero de Sanctis Petro et Paulo » eos tantum afficiat, qui Romae materialiter degunt, an alios etiam, qui Calendario Cleri romani utentes, extra degunt quidem, sed ad Officium quod spectat, quid unum efficiunt cum Clero romano? Et S. eadem Congr.... rescribendum censuit...: *Negative ad primam partem*, *Affirmative ad secundam* ». Ubi notandum, Decretum ipsum, in Dubii expositione, cuius partem brevitatis gratia praetermisimus, rationes suppeditare responsionis. Sunt autem 1. Unitas cum S. Sede, ob quam Communitates plures Calendarium Cleri Romani sequi peroptant, petunt et obtinent. Hinc et congruit ut omnes eiusdem Communitatis alumni dictum Calendarium sequentes, idem officium votivum de Ss. Petro et Paulo recitent. 2. Qui extra degunt, materialiter quidem extra Urbem sunt, sed formaliter, quasi dicam, sunt in Urbe, cum ratione officii veluti quid unum efficiant cum Clero Urbis; ergo non convenit ut recitent officium de Ss.

Apostolis, sed de Ss. Petro et Paulo, uti Clerus Urbis. Addas tertium momentum, quod nempe Communitates plures ideo proprium et unum petunt Calendarium, ut uniformes sint, ubicunque degant. Congruit ergo, ut etiam ad votivum officium quod spectat de Ss. Petro et Paulo, uniformiter se gerant.. Hic iuvat consectarium inferre iterum, quod alibi intulimus post relatum superius Decretum in *Romana (Vol. 1889, pag. 12)*, videlicet: Qui calendario Cleri Romani utuntur, teneri ad omnia officia eiusdem Cleri non solum, sed etiam ad eorum ritum, ob tria nuper allata momenta, sicut etiam ad com. Ss. Petri et Pauli infra octavam quocumque occurrente festo, nec plus nec minus, uti fit a romano Clero. Idem dicas de aliis novis officiis, quae romano Clero conceduntur post adoptatum Calendarium, nisi concessum ad summum fuisset *prout iacet*. Officiis proinde exceptis, quoad ritum, Dedicationis et Tituli Cathedralis Romanae, seu Basilicae Lateranensis, qui extra Romam degentes tenentur ad Calendarium Cleri Urbis, tenentur etiam ad omnia et singula quae dicti Calendarii propria sunt. Excepimus Titulum Cathedralis Romanae, quoad ritum, quia Regulares tenentur recolere Titulum, et quidem sub ritu dup. 1. classis Ecclesiae Cathedralis loci in quo degunt. Excepimus item Cathedralis Romanae Dedicationem, quod ritum pariter attinet, pro iis tantum ex Regularibus, qui extra Romam sunt et agere coguntur Dedicationem Ecclesiae Cattedralis civitatis episcopalis, si tamen in ea degant. Quae omnia nihilominus consectaria quadam cum formidine errandi exponimus, donec S. R. Congregationi rem definire placuerit.

VII. *E Galliis.* **De generali facultate benedicendi Sacerdotis propria.** Quaeritur: Utrum omnes Sacerdotes, sine speciali indulto, vel personali vel locali, ius habeant ad usum omnium benedictionum, quae continentur in Appendicibus Ritualis Romani; dummodo non sint specialiter Episcopis, aut Dioecesibus, aut Regularibus reservatae.

Resp. Sacerdotem oportere benedicere docet Pontificale Romanum. Revera « Sacerdotes, ait cl. Quarti (*De benedict. tit. I, Sect. 4, Dub. II*), consecrantur ut sint praecipui Christi ministri et dispensatores mysteriorum Dei, ex Apost. 1. Cor. 4. Cum ergo per benedictiones dispensentur gratiae et dona Dei, merito Ecclesia adnexuit Ordini sacerdotali munus benedicendi, ita ut soli sacerdotes sint ministri benedictionum. Quare dum quis ordinatur sacerdos, eiusque manus consecrantur, sic ei dicitur ab Episcopo consecrante, ut quaecumque benedixerint benedicantur, et quaecumque consecraverint consecrentur: sicuti constat ex Pontificali Romano, de Ordinatione Presbyteri ». Indubie nihilominus quaedam benedictiones pertinent ad Episcopos, quaedam etiam ad S. Pontificem, quaedam specialiter ad aliquas dioeceses, quaedam ad Parochos, et quaedam reservantur etiam Regularibus. Verum, si ab his omnibus et singulis abstrahas, et sustineri possit, reliquas benedictiones non pertinere ad Sacerdotes, adeo ut pro omni benedictione facultate speciali ipsi indigeant, quasi agatur de sacramento Poenitentiae, pro quo, accepta po estate in presbyteratu, requiritur etiam applicatio; frustra profecto loqueretur Pontificale, et vana prorsus foret in Sacerdotibus benedicendi potestas.

Eapropter ad propositum Dubium respondemus affirmative, posita limitatione, quam innuimus.

Nota 1. Functiones, quae fiunt in Ecclesia, semper plus minusve ob Ordinario dependent, sive in fieri, sive in ordine quo fieri debent, nisi superior auctoritas eas praescripserit. Hinc preces ad repellendam tempestatem, de quibus inquiritur, cum functionem ecclesiasticam, sive liturgicam constituant, ab Ordinario dependent: non ita tamen ut Parochus, vel Rector, aut Cappellanus cuiuscumque Ecclesiae, pro iis recitandis vel canendis explicita Ordinarii facultate indigeat, quae optime supponitur.

Nota 2. Usus Exorcismi *in Satanam et angelos Apostaticos*, publice fieri a Sacerdote nequit, nisi de Episcopi auctoritate. Credimus posse fieri in Ecclesia vel alio loco non sacro pro eius exigentia. Optime Sacerdos induitur superpelliceo et stola violacea.

VIII. *E Gallia.* **De obligatione legendi Prophetias in Missis Sabbati S. et Vigiliae Pentecostes.** An obliget *sub gravi* Rubrica Missalis quae praecipit lectionem duodecim vel sex Prophetiarum a Celebrante peragendam in Sabbato Sancto, vel Vigilia Pentecostes? Absentia fere absoluta parochianorum vel multitudo confessionum hisce diebus audiendarum, aut causa huiusmodi potestne haberi ut causa ab hac officii parte omittenda legitime excusans?

Resp. 1.° a) Quoad Sabbatum Sanctum dicendum: Missas privatas omnino prohiberi (S. R. C. 13 Iul. 1697, *Ianuen.*). et unicam Missam Conventualem, seu solemnem, vel ubi non adest obligatio chori, ixta Mem. Rit. a Bened. XIII celebrandam (*Docr. Gen. 11 Febr. 1690*). Haec autem Missa celebranda est prout in Missali,

quod ex Decreto S. R. C. in *Lucana* diei 12 Aprilis 1755, confirmatur dicente: « Congruit ut Missam in Sabbato Sancto celebrandam Ignis ac Cerei benedictio praecedat, *ante quam Missam Prophetiae omitti non debent.* » Missae vero privatae, quae ex specialissimo indulto concessae sunt, incipiuntur a Psalmo consueto, omissis Prophetiis, Litaniis et Introitu (Decr. S. R. C. *Resolutionis Dubiorum*, 28 Iulii 1821). Sed cum in casu de Missa agatur Solemnis Officii diei, privatae nullimode comparanda est, ita ut, etiamsi legatur, prout in Missali ordinanda sit.

b) Quoad Vigiliam Pentecostes, quamvis Missae privatae celebrentur, Missa solemnis nequit ad instar illarum decantari, sed antea locum habere debent Prophetiae et Litaniae (et Fontis benedictio, ubi de iure), ex S. R. C. Congregationis Decreto diei 8 Augusti 1835, *Montis Regalis Prov. Pedem.*, nec valet ratio Legati adimplendi.

2.° Quamvis Prophetiae ad Catechumenorum instructionem olim legerentur, et ad hoc praescriptae fuerint; tamen, etiam hac deficiente ratione, nulli fit potestas, et quidem in uno ex solemnioribus ritibus, rem immutandi; quia Ecclesia in publicis actibus, semper operari intendit ad totius Societatis bonum, etiamsi quandoque in particulari actione non videatur finem attingere. Ergo nulla particularis causa efficere potest, ut solemne immutetur officium. Imo nec permittitur functionem dividere, ita ut unus praecedentes expleat et alter Missam celebret (S.R.C. in *Pinerolien.* die 1 Septemb. 1838). Attamen alias S. Congregatio declaravit, datis peculiaribus adiunctis posse Missam ab aliis celebrari.

IX. *Ex eodem loco.* **De interpretatione Decreti circa Modulatione Cantus in Missa.** Quaeritur an Decretum S. R. C. in Romana, diei 14 Martii 1896, de intonationibus Hymni Angelici ac symboli etc. a celebrante in Missa Cantata exequendis, stricte praecipiantur adhiberi illa intonatione, quae in Missali Romano invenitur, ita ut, quoad intonationes sive Hymni Angelici, sive *Ite Missa est* et *Pater noster* quum in Missali plures apponantur diversae pro diversis temporibus, *a*) possit alterutra ex his indiscriminatim adhiberi cuiuscumque ritus aut dignitatis sit dies festus? *b*) vel e contra exequenda sit ea intonatio quae correspondet ritui, solemnitati aut tempori? *c*) vel tandem non si omnino illicitum pro Hymno Angelico, pro Symbolo et pro *Ite Missa est*, exequi illas intonationes, v. g. iuxta tonos pios Dumont, quae in Gallia universali et fere immemoriali consuetudine observantur?

Resp. a) Nimis clara sunt verba Decreti ut dubitandi fiat locus, utrum de diversis Missalis intona tionibus et cantibus indiscriminatim unus pro alio eligi valeat, ibi enim dicitur quod: *ex praecepto servari debeant prout iacent in Missali* »; ergo attendendum notis, et Rubricis quae dè illis sunt. *b*) Sequitur hinc, ut ea exequenda sit intonatio, quae correspondet ritui, solemnitati, tempori. *c*) Tandem, cum Decretum agit de consuetudine, ait *esse eliminandam*, iuxta Decretum 21 Aprilis 1873; insuper, cum addatur verbum *quamcumque*, significatur sermonem esse etiam de immemorabili. Tenor vero citati Decreti hic est. « Adhiberi debere editiones a S. R. C.

adprobatas, vel exemplaria, quae authentico testimonio Ordinariorum cum illis cohaerent. »

X. *Ex eod. loco.* **De Stola in Vesperis coram Ssmo exposito.** Plures auctores Liturgici, allegantes Responsum Card. Praefecti S. R. Congregationis d. d. 3 Octobris 1851, docent Sacerdotem debere esse *stola* indutum cum pluviali, quando canit Vesperas coram SSmo Sacramento, ratione nempe incensationis ad *Magnificat* facienda. Quid de illa responsione sentiendum? Estne authentica et habetne vim obligatoriam decreti?

Resp. Quidquid sit de authenticitate citati Responsi, illud conferimus cum Decreto diei 19 Septembris 1883 in *Salopien.* ad II, cui cum recentius sit et communis Iuris, omnino attendendum est. Citra obligationem (potest enim aliter gerere celebrans), stola sub Pluviale assumi *potest*, quando Saceedos *canit Vesperas coram SSmo Sacramento* exposito, non ratione incensationis ad *Magnificat*, sed Benedictionis, quae *immediate illas sequatur.*

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro civitate N. in Gallia.* Obtento Apostolico Indulto ter in hebdomada canendi Missas de Requie, diebus ritus dupl. minoris et maioris, illud suffragatur, etiam occurrentibus semiduplicibus aut aliis diebus inferioris ritus. Indultum enim a lege eximit, hoc est permittit ut ter in duplici cantari possit Missa

de requie, quod lege inhibetur. Est autem per accidens, quod alio die, qui semiduplex est, eadem Missa permittatur: hoc est ex lege, illud supra legem. Id quidem intelligas, nisi indultum sit restrictivum, ut nempe tunc tantum eas Missas permittat in duplicibus, quando semiduplicia desint. Id tamen non efficit ut ritus evadat depressior, propter quod celebrari valeant Missae privatae de requie: sed conceditur, quod, non obstante impedimento, Missa solemnis aut saltem simpliciter cantata celebrari possit. Cum autem indultum dicat *Missas*, et non *Missam*, id non significat plures unoquoque ex iis diebus Missas decantari posse, sed tantum indicat, unam Missam, etsi in duplici, cantari posse ter in hebdomada.

II. *Pro eod. loco.* Salvis iuribus parochialibus, quoad exequias cum relativa Missa depositionis defuncti, nullimode vetita dici potest Missa cantata, quatenus illam ritus respective permittat, in Ecclesia quacumque, etiam nullam relationem habente cum defuncto, die obitus, tertia, septima, trigesima et anniversaria: et iure praesenti inspecto, die vel pro die obitus, seu depositionis etiam Missae privatae, non tantum in Ecclesiis, sed et in Oratoriis privatis ac Communitatum.

III. *Pro Verona.* Altero ex Decretis d. d. 10 Iulii 1896 ad II cautum est pro regularibus celebrantibus unico die Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis, ne teneantur aliud celebrare Ecclesiarum Ditionis, ac iussum est servari aliud Decretum diei 22 Iunii 1895 ad II, ut nempe, ritu Regularium proprio, celebrent Anniversarium Cathedralis, si in Civitate degunt. Ergo occurrente dicto Anniver-

sario Ordinis cum altero Ecclesiae Cathedralis, hoc transferendum, illud celebrandum.

Nota. Scimus Clericos Regulares NN. indultum habere utendi ubique Calendario Urbis, cum expressa facultate etiam celebrandi sub ritu dupl. 1. class. et cum octava ipsam Dedicationem Cathedralis Romanae.

IV. *Pro Gallia.* Ad dubium: Quid sentiendum sit de obbligatione consecrandi singulas Ecclesias Cathedrales et Collegiatas? satis respondet Decr. in *Cuneen.* 7 Aug. 1875: Incumbere debent Episcopi ut Ecclesiae saltem Cathedrales et Parochiales solemniter consecrentur. Ad aliud: Quaenam sint, ratione utilitatis et lucri spiritualis, discrimina inter Ecclesiam consecratam et simpliciter benedictam? Reponimus Rm̃um inquirentem exorantes ut relativos ritus perscrutetur, ubi praeter Indulgentias quae lucrantur ratione consecrationis, praeter privilegium Anniversariae solemnitatis, quae in Ecclesia consecrata peragitur omnia noverat, quae spiritualem respectivum bonum respiciunt.

NUNTIUM

Collectionis S. R. Congregationis Decretorum, a Commissione Liturgica revisae, et ab Eminentissimis Patribus ad id a Leone Pontifice XIII deputatis approbatae, nova editio, quae tandiu desideratur, coepta est, Romae, typis Congregationis de Propaganda Fide.

QUAESTIONES ANNI 1895-96

II.

1. *Quaenam antiquitas Crucis pectoralis in Episcopis, seu latinae seu graecae Ecclesiae disciplina inspecta?*

2. *Quaenam illius forma ac reliquiarum qualitas, et in quibus functionibus, vi Caeremonialis Episcoporum aut consuetudinis, Crux adhibenda?*

3. *Quid de usu illius cooperiendae extra loca iurisdictionis, de eiusque usu extra functiones sacras?*

CONCLUSIONES.

Ex dissertatione R. D. G. Zaccherini, habita die 28 Nov. 1895; Epitomatore R.mo D. D. Hilario Passerini.

I. Usus Crucem ad collum appensam gestandi communis fuit Christianis priorum temporum; quam vocabant *philacterium*. Diocletianus Imperator mortis poenam indixit aurificibus, qui Cruces fabricare ausi fuerint; S. Orestes christianus detectus fuit aurea Cruce, quam ad collum gestabat, idque causa martyrii fuit. Etiamdum videmus sive religiosos viros atque feminas, sive simplices fideles Cruces huiusmodi gestantes. Mos reliquias Sanctorum in illis includendi pariter antiquus est. S. Gregorius M. in epistola ad Theodolindam ait: « Adulonvaldo Regi transmittere philacteria curavimus, idest *Crucem cum ligno S. Cru-*

cis Domini. » Episcopos vero pium hunc morem fuisse sequutos non est ambigendum. S. Gregorius Turonensis narrat se incendium extinxisse, *Crucem extractam a pectore* contra ignem elevando (*De Gloria Mart. lib. I, c.* 11); nec alia deficiunt testimonia. Veteres codices liturgici de Cruce episcopali mentionem faciunt. Cl. Durandus (Saec. XIII) episcopalia indumenta enumerans, scribit: « Crux pectoralis, *si quis ea uti velit.* » Unde concludimus Crucem pectoralem non fuisse olim Episcopale exclusivum ornamentum.

Saeculo tamen XIV peculiare evasit Episcoporum signum, dum benedictione donabatur, et assumebatur sub quadam formula (*Missale Fratrum Minor.* in Vaticana Biblioth. N. 474).

Summi Pontifices vero iam antea usi fuere. Hoc testantur Ioseph Vicecomes (*De Missae apparatu lib. IV, c. 30*), Thomassinus, et Ioannes Diaconus (in vita S. Gregorii I). Innocentius III (*lib. 1 Mysteriorum Missae, c. 53*) ait: « pro lamina, quam Pontifex ille (Hebraeorum) gerebat in fronte, Pontifex ipse (Romanus) Crucem gerit in pectore. »

Pro graeca Ecclesia testimonium extat Anastasii Bibliothecarii scribentis: « Encolpion est quod in sinu portatur . . . Moris enim graecorum est Crucem cum pretioso ligno, vel cum Reliquiis Sanctorum ante pectus portare suspensam ad collum. « Anno 811 Nicaephorus, Patriarcha Constantinopolitanus, S. Leoni Pp. III misit auream thecam cum ligno S. Crucis, hoc donum vocatum fuit *Encolpion.* Ratolgus Episc. Suessionensis, in libro ad Nicolaum I, ann. 858, ait: « Locum transiens sacerdotalibus vestitus indumentis,

sanctum Evangelium et lignum S. Crucis circa mea pectora gerens. » Constantinus Imperator, aiunt Legati Patriarcharum Orientalium in VIII Synodo ann. 869, *super colla nostra Encolpion imposuit;* forte ad illos distinguendos episcopali quodam privilegio. Non audemus tamen ex his certam proferre sententiam de veteri Crucis gestandae usu in Episcopis graecae Ecclesiae, eo quod allata testimonia, etiam de non episcopis recte intelligi possunt. Ceterum videtur ibi quoque saeculo XIV mos invaluisse, sicuti in Ecclesia latina.

II. *a)* Quaenam Crucis pectoralis forma? Nulla hactenus data est lex. Fert nihilominus consuetudo ut latina potius forma praeferatur, quam vocant *immissam*. Raro graecae, seu aequilaterae exempla inveniuntur. Crucem duplici hasta transversali instructam passim in cunctis fere stemmatibus Archiepiscoporum et Patriarcharum pictam videmus sub galero, utrum tamen eiusdem formae talium Praelatorum Crux pectoralis esse possit, adhuc sub Iudice quaestio est. Nam ad dubium: « An crux Archiepiscopalis possit esse duplici hasta transversali ac parallela cum alia verticali composita? » S. Rituum Congregatio respondit: « *Dilata* » (S. Jacobi de Chile, 6 Sept. 1895).

b) Quoad Sacras Reliquias in Cruce Episcopali includendas, nihil in Caeremoniali praescribitur. Videtur ergo singulis Episcopis relicta amplissima libertas; praeferrentur tamen Reliquiae SSmae Crucis, B. M. Virginis, vel alicuius Apostoli. Attamen consuetudo Sanctissimae Crucis particulas includendi, eo usque invaluit, ut post Leonis XIII dispositionem,

vim legis acquisivisse dicenda sit. Legatur sane Emi Cardinalis Urbis Vicarii Epistola ad omnes Episcopos, die 25 Martii 1889, Summi Pontificis iussu missa, in qua haec de Reliquiis S. Crucis habentur: « quae ipsis Episcopis, veluti *proprium suae dignitatis gestamen*, rite tradantur . . . Successoribus suis transmittendas curent . . . Quo pacto novis Episcopis nulla erit *necessitas* alias non sine difficultate *aliunde quaerere*, sed omnes tamquam *sibi et officio suo addictas et destinatas* in promptu paratas habebunt. »

c) Quando autem ab Episcopis Crux pectoralis sit adhibenda, vi legis, ex Caeremoniali novimus; cum enim loquitur de vestibus, quas Episcopus induere in solemnibus functionibus debet, Crucem ante stolam imponendam praecipit. Item in Missae privatae celebratione. Vi autem consuetudinis ea utumtur in ceteris etiam functionibus, imo et privato habitu incedentes. Consuetudo huiusmodi quam sit laudabilis, nemo certe non videt, ex sese commendatur. Plurimi vero sacrarum rerum scriptores sustinendam praedicant. Summus Pontifex Benedictus XIV, in Epistola ad Nuntium apostolicum Philippum Acciaioli, ait se velle, quod in pectore Crux semper, etiam domi, gestetur. Notandum autem Crucem pro sacris actibus appensam adhiberi chordulae sericae viridis coloris auro intermixtae, cum flocco eiusdem materiae a tergo; pro ceteris vero usibus catenulae appensam aureae vel inauratae.

III. De usu Crucis cooperiendae extra iurisdictionis loca, dicendum fundamentum habere in opinione existimantium Crucem iurisdictionis signum. At de hoc nulla unquam prodiit sanctio, imo iam vidi-

mus Caeremoniale ne verbum quidem habere de illa extra sacras functiones gestanda. Haec eadem Academia, anno 1870, concludendum censuit « Crucem pectoralem non esse signum iurisdictionis. » Iam citatus Pontifex Benedictus XIV (*eod. loco*) ait huiusmodi opinionem esse *imperitorum legum canonicarum;* hortaturque Nuntium ut in Civitate, in Aula Regia, et coram ipso Patriarcha, Crucem palam deferat, asserens, se Episcopum quemque semper excepisse Cruce ornatum. Idem et Pius IX Concilii Vaticani tempore confirmasse dicitur, nam cum plures vidisset Episcopos Crucem occultantes, dixisse fertur: « Extra Crux appareat, nullum enim signum iurisdictionis ipsa indicat. » Est ergo tantummodo dignitatis indicium. Ceterum Decretum quoddam consuetudinem servandam permittens, a nova Decretorum Collectione expunctum iri nobis relatum est. Haec tamen tantummodo valent pro casibus, in quibus sacra paramenta Episcopus non induat, tunc enim ex lege apparere non debet (V. Caerem. Ep. *Lib. II, c. V, n. 12*, et Decr. *S. Iacobi de Chile 6 Sept. 1895*). Tandem de Crucis usu extra functiones sacras satis dixisse videmur.

QUAESTIO SOLVENDA

pro messa Aprili.

Quonam sensu, *stricto* ne an *lato*, dicat Rubrica (*Tit. XI, n. 9*), feriam non posse concurrere, in ordine ad primam commemorationem faciendam concurrentis officii, post Orationem diei ad Vesperas, iuxta Gen. Decretum 5 Febr. 1895?

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Contin. n. 1. huius anni pag. 8)

TEXTUS

TITULUS N. 11

Quando contingit fieri plures commemorationes, servetur hic ordo (336): de duplici, licet agatur tamquam simplex, fiat ante Dominicam, de Dominica ante festum Semiduplex; de Semiduplici etiam quando reducitur ad modum simplicis ante diem infra Octavam; de die infra Octavam ante Ferias Adventus (337), Quatuor Temporum, Vigiliarum, et Rogationum, et de dictis Feriis ante Festum Simplex. De sancta Maria (quando in secundis Vesperis Festi novem lectionum, quod feria VI celebratum sit, de ea fieri debet commemoratio pro Officio sequentis Sabbati), fiat ante Festum Simplex in Sabbato occurrens (338). De Festo Simplici fit commemoratio ante Suffragia (339), seu communes commemorationes de Cruce, sancta Maria, sancto Ioseph (340), Apostolis et de Pace, et ante commemorationem cuiuscunque Tituli ac Patroni Ecclesiae (341), quae etiam pro sua dignitate aliis suffragiis praedictis praeponeretur. De quibus Suffragiis, quomodo et quando facienda sint habetur inferius propria Rubrica (342).

(336). *Quando contingit fieri plures commemorationes servetur hic ordo* etc... Haec rubrica normam

mus Caeremoniale ne verbum quidem habere de illa extra sacras functiones gestanda. Haec eadem Academia, anno 1870, concludendum censuit « Crucem pectoralem non esse signum iurisdictionis. » Iam citatus Pontifex Benedictus XIV *(eod. loco)* ait huiusmodi opinionem esse *imperitorum legum canonicarum;* hortaturque Nuntium ut in Civitate, in Aula Regia, et coram ipso Patriarcha, Crucem palam deferat, asserens, se Episcopum quemque semper excepisse Cruce ornatum. Idem et Pius IX Concilii Vaticani tempore confirmasse dicitur, nam cum plures vidisset Episcopos Crucem occultantes, dixisse fertur: « Extra Crux appareat, nullum enim signum iurisdictionis ipsa indicat. » Est ergo tantummodo dignitatis indicium. Ceterum Decretum quoddam consuetudinem servandam permittens, a nova Decretorum Collectione expunctum iri nobis relatum est. Haec tamen tantummodo valent pro casibus, in quibus sacra paramenta Episcopus non induat, tunc enim ex lege apparere non debet (V. Caerem. Ep. *Lib. II, c. V, n. 12*, et Decr. *S. Iacobi de Chile 6 Sept. 1895*). Tandem de Crucis usu extra functiones sacras satis dixisse videmur.

QUAESTIO SOLVENDA

pro messa Aprili.

Quonam senus, *stricto* ne an *lato*, dicat Rubrica *(Tit. XI, n. 9)*, feriam non posse concurrere, in ordine ad primam commemorationem faciendam concurrentis officii, post Orationem diei ad Vesperas, iuxta Gen. Decretum 5 Febr. 1895?

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Contin. n. 1. huius anni pag. 8)

TEXTUS

TITULUS N. 11

Quando contingit fieri plures commemorationes, servetur hic ordo (336): de duplici, licet agatur tamquam simplex, fiat ante Dominicam, de Dominica ante festum Semiduplex; de Semiduplici etiam quando reducitur ad modum simplicis ante diem infra Octavam; de die infra Octavam ante Ferias Adventus (337), Quatuor Temporum, Vigiliarum, et Rogationum, et de dictis Feriis ante Festum Simplex. De sancta Maria (quando in secundis Vesperis Festi novem lectionum, quod feria VI celebratum sit, de ea fieri debet commemoratio pro Officio sequentis Sabbati), fiat ante Festum Simplex in Sabbato occurrens (338). De Festo Simplici fit commemoratio ante Suffragia (339), seu communes commemorationes de Cruce, sancta Maria, sancto Ioseph (340), Apostolis et de Pace, et ante commemorationem cuiuscunque Tituli ac Patroni Ecclesiae (341), quae etiam pro sua dignitate aliis suffragiis praedictis praeponeretur. De quibus Suffragiis, quomodo et quando facienda sint habetur inferius propria Rubrica (342).

(336). *Quando contingit fieri plures commemorationes servetur hic ordo* etc... Haec rubrica normam

tradit sequendam in ordinando plures commemorationes, quae clarissime emanat a legibus occurrentiae in sequenti titulo propositis. Quando enim eadem die occurrunt duo festa, de illo agitur officium quod nobilius est, et aliud vel omittitur, vel transfertur, vel commemoratur. Hinc, ut supra N. 227 diximus, commemoratio tenet locum officii, seu est quaedam officii impediti contractio.

Quam ob rem, eadem regula in mensuranda *nobilioritate* (parcant latini idiomatis puristae) festorum, quae praecellentiam habent, inservit pro ordinandis commemorationibus; quae officii impediti locum tenent; ideoque gradum eumdem occupant in scala praelationis, quem occuparet officium ipsum. Quoniam vero, maxime sub Urbano VIII, numquam vel fere numquam habebantur festa plurima simul occurrentia in eodem die, quia in Breviario tantummodo inscripta erant festa mobilia quae a Pascha dependent; haec rubrica ordinem ponit commemorationum, iuxta casus tunc temporis possibiles, scilicet: Duplex, dominica, semiduplex, dies infra octavam, feria maior, simplex.

Post breve *Nullo umquam* revisa quidem haec rubrica fuit, atque adiecta sunt verba *licet agatur tamquam simplex*, et similia post verba *duplex* et *semiduplex*, ideoque tunc bene poterat haec rubrica reformari ita ut casus omnes comprehenderet, postquam invecta sunt tot festa mobilia in Breviario, et postquam nuperrime translationis iure privata fuere duplicia, non doctoris, et semiduplicia. Verumtamen absolutissime haec regula praelationis tradita nunc fuit a S. R. Congregatione, suo decreto generali d. d. 5 Februarii 1895.

Hunc porro locum Rubricarum melius non explanabimus, nisi referendo hoc decretum, et rationes lectoribus subiiciendo, quae S. R. Congregationem moverunt ad decretum ipsum emanandum.

Duo praescribit S. R. C. in hoc suo decreto: 1. Quae commemoratio facienda sit in Vesperis, statim post Orationem diei. 2. Quomodo ordinandae aliae commemorationes. De primo paulo inferius agemus: quod attinet ad secundum, illud nunc oportet enucleare, quia hanc Rubricam maxime clarificat. Quando ergo plures faciendae sunt commemorationes hic ordo sequendus est: 1 *De dominica privilegiata*, 2 *de die octava*, 3 *de duplici maiori*, 4 *de duplici minori ad instar simplicis redactis*, 5 *de dominica communi*, 6 *de die infra octavam Corporis Christi*, 7 *de semiduplici*, 8 *de die infra octavam communem, ad simplicem ritum pariter redactis*, 9 *de Feria maiori vel Vigilia*, 10 *de simplici.*

Et optime per omnem modum; nam licet duplex, maius vel minus, ratione ritus praestantius sit quam Dominica; quando Dominica privilegiata, nempe una ex maioribus, occurrit cum duplici, utpote nobilior ratione officii, huic praefertur. Ergo etiam in ordine commemorationum, Dominica privilegiata primum locum obtinet. Similiter dies octava praevalet in occurrentia super duplici minori et maiori, ergo et in ordine commemorationum. Eadem de causa dies infra octavam Corporis Christi non cedit semiduplici Sanctorum, igitur etiam in ordine commemorationum huic cedere non debet.

Hae sunt rationes quae S. R. Congregationem induxerunt ut normam certam, et principiis a Rubrica

traditis titulo sequenti inhaerentem, in nuperrimo suo decreto opportunissime emitteret. Quaeres autem cur in hoc ordine omnino silet decretum de duplicibus secundae classis?

Responsum in promptu est. Decretum loquitur de duplici maiori, quod licet per se transferibile sit, nihilominus, si aliquando in fine anni desit dies libera, ad ritum simplicem redigendum est, sicut duplex minus et semiduplex; ideoque in dominicis adventus non raro occurrere potest duplex maius quod transferri non possit. De duplici secundae classis, prout infra suo loco videbimus, aliter dicendum venit. Cum enim impediatur, neque in fine anni aliqua supersit dies pro eius translatione, ius habet ut eius officium transferatur in diem semiduplicem, vel, hoc etiam deficiente, in diem simplicem. Impossibile ergo est quod duplex secundae classis ad ritum simplicem redigatur, ac proinde in allato decreto nihil de eo dicendum erat.

Sed citatum decretum diei 5 Februarii 1895, aliud praescripsit, quod pretium operis est fusius hic explicare. Dicit enim: *Post orationem diei ante ceteras commemorationes semper agendam esse de alio cuiuscumque ritus festo quod concurrit.* Aliis verbis: in Vesperis post orationem quae dicitur post repetitam Antiphonam ad *Magnificat*, commemorari debet, ante omnia alia officia commemoranda, officium concurrens, etiamsi ritus infimi hoc fuerit (1).

(1) Lectores nostri meminerint hoc decretum novissimum, nos praevenisse iam ab anno 1888, cum in solutione cuiusdam quaestionis, in eamdem sententiam venimus, tam circa ordinem commemorationum, quam circa primam commemorationem post orationem in vesperis, prout videri est in Vol. II. pag. 229 harum

Licet aliquid novi hoc decretum induxisse videatur in regulis concurrentiae, si attendendi sunt liturgici doctores qui post annum 1759 usque ad 1895 scripserunt; nihilominus nihil aliud egit S. R. C. nisi magis explicite sensum alterius sui Decreti 13 Decembris 1879 (N. 4395 ad 3) exponere. In hoc enim iam decreverat: *quoad ordinem commemorationum servetur quod prius fiat commemoratio de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur officium aut Vesperae, aut capitulum aut dimidium.*

Ad huius decreti intelligentiam, videndum est. de quo impedimento hic loqui voluit S. R. Congregatio. Nam dupliciter *impedimentum* in subiecta materia intelligi potest. Primo modo, intelligitur impedimentum *occurrentiae*, quominus aliquod officium sua die celebrari queat: secundo modo intelligitur impedimentum *concurrentiae*, quominus Vesperae alicuius festi inferioris nobilitatis impediantur a Vesperis festi nobilioris. De primo impedimento, nempe *occurrentiae*, loqui voluit S. R. C. quando dixit: . . . . *de quo secluso impedimento die illa celebraretur OFFICIUM;* de secundo autem, nempe de impedimento *concurrentiae* quando dixit: *de quo secluso impedimento . . . celebrarentur VESPERAE*, aut *Capitulum*, aut *dimidiae.*

Prae oculis ergo habita hac impedimentorum di-

Ephemeridum. Haec quaestio acriter dimicata est usque ad annum 1894; nos quasi soli fuimus contra plures, sed veritas tandem victoriam sibi vindicavit. Nos haud vicimus, vicit S. R. Congregatio quae antiquo suo decreto 18 Decembris 1779 principia posuerat huius conclusionis; nihil aliud eapropter Doct. Petrus Piacenza nos egimus nisi ultimum consectarium inde deducere.

stinctione animadvertendum est, impedimentum *occurrentiae* prohibere quominus *Officium* alicuius festi celebratur; impedimentum vero *concurrentiae* prohibere quominus *Vesperae* alicuius officii celebrentur, saltem a *capitulo*, vel *dimidiae*, nempe ab initio usque ad capitulum.

Meminisse tamen oportet quod Rubrica (*Tit. XI. n.* 10) decernit: *Cum festum . . . in sequenti die non habeat OFFICIUM . . . nec etiam convenit illud habere primas vesperas in praecedenti;* ergo, iuxta hanc Rubricam, festum impeditum a legibus occurrentiae, quoniam *officium* perdit, perdit quoque ius ad Vesperas. Sic e. g. si in feria III ante *Cineres*, actum sit officium de ea, et in crastina feria IV commemorandum sit aliquod festum ab ipsa feria *cinerum* impeditum, feria III aguntur vesperae de ea cum commemoratione duplicis sequentis impediti, clare sonante Rubrica, quod non convenit habere vesperas festum illud quod non habet *officium*.

E contra, festum concurrens cum alio in vesperis, si ab hoc nobiliori impediatur quominus integras vesperas habeat, vel a capitulo, de eo tamen actum est *officium*. Ego nullimode ius amisit ad vesperas ipsas.

Igitur, etiamsi agenda sit commemoratio in vesperis de aliquo duplici maiori simplificato, de quo scilicet *officium* celebrari non potuit, commemoratio huius facienda est post commemorationem *officii* concurrentis, licet hoc sit inferioris ritus et dignitatis. Ratio est, quia, cum festum aliquod ad modum simplicis reducitur, nobilitatem propriam certe retinet supra alia festa inferioris ritus et dignitatis, dummodo

tamen haec quoque festa ad ritum simplicem redacta fuerint. Cum vero confertur festum simplificatum, etiam duplex maius, cum festo, de quo revera agitur totum *officium*, licet sit inferioris ritus, deest fundamentum collationis. In vesperis enim respicitur primum ad *officia* proprie dicta, quae ius habent ad *vesperas*, postea vero ad *commemorationes*, quae nihil aliud sunt nisi commemorationes.

Ad rem cl. Guyetus (*lib.* 4, *c.* XIII, *q.* 1) scribit: *Concurrentium proprie non dari nisi inter OFFICIA, quae ius habent aliquod in vesperas illas veluti intermedias et utrique communes.* Et paulo ante (*c.* 1, *q.* 1), iam docuerat: *Eorum duntaxat fieri commemorationem, quorum contigit OFFICIUM impediri.*

Quando igitur in vesperis composita sunt, ut ita dicamus, iura duorum *officiorum* concurrentium, tunc cogitandum erit de ordine aliarum commemorationum. Prius ergo post orationem diei in vesperis agenda est commemorotio OFFICII concurrentis, cuiuscumque sit ritus, et postea per ordinem aliae dicendae sunt commemorationes.

(*Continuabitur*)

Doct. P. Piacenza.

DE OBLIGATIONE

QUARUMDAM LITURGICARUM FUNCTIONUM IN PAROECIIS.

Dissertatio.

A multo iam tempore Ephemeridum Redactio exquisita fuit, quaenam ex sacris extraordinariis functionibus praeceptivae forent in Ecclesiis parochialibus, praesertim, ubi solus parochus totum Ecclesiae clerum constituit Hucusque distulimus responsionem seu ob spatii augustias, in paginis Ephemeridum, seu ne dubia, quibus facilius ac breviori tempore fieri satis poterat, negligeremus. Cum itaque impraesenti haec duo momenta aliquantam vim amiserint, opportunum iudicamus petitioni propositae respondere, de dilatione interim apud adm. Rev. Consulentem Nostrum excusationes facientes.

1. Sacrae functiones, imo liturgicae, de quibus agendum est, sequentes sunt: 1. Aspersio aquae benedictae in Dominicis; 2. Benedictiones Candelarum, Cinerum et Palmarum in relativis diebus; 3. Functiones matutinae in Triduo maioris hebdomadae; 4. Benedictio fontis in Vigilia Pentecostes; 5. Processiones S. Marci et Rogationum; 6 Processiones et Expositiones Solemnitatis Corporis Domini; 7. Missa solemnis cum Absolutione in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum; 8. Tres denique Missae in Nativitate Domini.

Quin tempus in exordiendo teramus, expendamus petitionem primam. Aspersio aquae benedictae in Dominicis pro paroeciis est ne praeceptiva ?

Responsio haud difficilis, cum sufficiens praestet auctoritas. Equidem Caeremoniale Episcoporum ait (*Lib. II, Cap. XXXI, n. 3*): « Quia tamen in omnibus Dominicis per annum solet fieri *aspersio aquae benedictae etc. etc.* ». Agitur hic de consuetudine: quam tamen in legem posse transire nemo non videt. Rituale Romanum ait: « Sacerdos Dominicis diebus antequam incipiat Missam, aspergit altare, deinde se, et ministros ac populum, prout in Missali praescribitur (*Tit. VIII, Cap. 3, n. 4*) ». Missale autem ordinem describit, quo eiusmodi aspersio facienda est, et pro eo specialem Rubricam habet, uti videre unusquisque poterit post *Orationes diversas pro defunctis.* Fidelis autem asperguntur, ut magis purificati altaris Sacrificio valeant dignius assistere, eiusque fructus uberius participare.

His generaliter praemissis, ad quaesitum directe respondentes dicimus, Ecclesias parochiales, nisi collegiales sint, non teneri ex iure positivo ad aspersionem aquae benedictae in Dominicis. Rubricae enim Caeremonialis respiciunt principaliter Ecclesias Cathedrales et Collegiatas. Rituale docet quomodo haec aspersio et quando sit facenda; sed a quibus et in quibus Ecclesiis, silet. Idem dicendum de Missalis Rubrica. Aliud autem est ritum describere servandum, si aspersio fiat, aliud est dictam aspersionem praecipere: hoc certe non constat pro omnibus Ecclesiis. Ideo autem in Collegialibus Ecclesiis fieri solet iuxta Caeremoniale Episcoporum; quia in illis abundans supponitur ministrorum numerus, quod in paroeciis saepe deest, et quandoque neque est sufficiens. Vel etiam quia haec aspersio aliquo modo pertinet ad solemnitatem, quae in Ecclesiis simpliciter parochialibus haberi, generatim loquendo, nequit. Vel, si momenta ista haud plene satisfaciant, contentus esto positivo iure. S. R. C. d. 9 Dec. anno 1878 sequens vulgavit Decretum: « Cum mos invaluerit omittendi aspersionem aquae

benedictae in Dominicis, etiam ante Missam Conventualem vel parochialem non cantatam, quaeritur, utrum haec consuetudo servari possit? Sacra Rituum Congegatio, referente subscripto Secretario, sic respondendum censuit: Benedictio, de qua agitur, praescripta tantum est ante Missam conventualem, quando haec celebratur cum cantu et Ministris ». Iam vero Missa cum cantu et Ministris habetur quidem in Ecclesiis collegialibus, non autem in parochialibus. Item Missa parochialis, ad instar quidem est et quasi conventualis, sed, stricte loquendo, non est eiusmodi. Ergo aspersio aquae benedictae in Dominicis pro Ecclesiis mere parochialibus non est de iure positivo.

Inferes posse quidem et laudabiliter fieri in dictis Ecclesiis, sed esse praeceptivam, impraesentiarum amplius sustineri non posse. Hinc severus nimis censendus est cl. Wapelhorst, docens: « Si Missa Conventualis vel principalis celebretur sine cantu, nequaquam adspersio aquae omittenda est, sed leguntur quae alias cantantur (*Cap. 6, art. 2, § 80, n. 8*). » Quinimo citat in nota *Romsée, Bouvry, etc.* dici atque eam esse fere omnium sententiam, videlicet: » « Absque culpa haec benedictio et populi aspersio omitti nequeunt, cum quasi pertineant ad Missae principalis substantiam; uti benedictio cereorum in die Purificationis, Cinerum et Palmarum suis respectivis diebus ». Dicendum proinde hanc sententiam secutos fuisse antiquos verum esse. Ex. gr. si legas Gavantum, reperies dictam aspersionem post benedictionem aquae, omittendam nunquam esse in Dominicis. Confirmat Meratus in suis Adnotationibus dicens: « De benedicenda hac aqua qualibet die dominica praeceptum urget adeo rigorosum, ut Gavantus supra constanter asseveraverit, nunquam omitti debere tali die huiusmodi aspersionem etc. etc. (*Pars IV, Tit. XIX, Gav. ad lit. a, n, 1*) ». Citatque ibidem Canonem antiquissimum Concilii Nannetensis, in quo diserte praescribitur, ut *omnibus diebus domi-*

nicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia aquam benedictam faciat..... de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur *(loc. cit.)* ». Verumtamen legitima interpretatio Rubricarum, ex praesenti disciplina, haec est, aspersionem post benedictionem aquae, esse quidem praeceptivam in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis fortasse et in Regularium, saltem si consuetudo vigeat, in quibus de more Missa solemnis agitur singulis diebus dominicis: in aliis vero, ubi Missa vel legitur, vel cantatur sine ministris, posse quidem fieri, sed ex obligatione nequaquam. Cumque inter has Ecclesias citra controversiam recensendae sint paroeciae, palam sequitur, in his benedictionem et aspersionem aquae fieri posse, sed non esse praeceptivam.

2. Quid vero censendum de obligatione Benedictionis Cereorum, Cinerum et Palmarum suis relativis diebus? Vi iuris positivi aliter de his benedictionibus tenendum ac de aquae benedictione et aspersione in Dominicis. Et imprimis cl. Quarti huiusmodi sibi proponit dubium, et affirmative resolvit. Praelatis enim et Ecclesiarum Rectoribus, ait (*De Benedict. Tit. 2, Sect. 1, Dub. 1*), ex vi muneris sui incumbit onus regendi suas Ecclesias, et consequenter *curandi ne omittantur ritus et functiones magni momenti, praesertim publicae, quas populus expectare solet. Quia alias*, prosequitur, *valde minueretur divinus cultus et devotio, seu spiritualis utilitas populorum in detrimentum boni communis ; et daretur pusillis occasio scandali.* Inde concludit : « Cum ergo benedictio et aspersio Cinerum sit functio magni momenti, et maxime fovens devotionem fidelium, sequitur eius omissionem imputari Praelatis ad peccatum (*Loc. cit.*). » Quod autem dictum est de benedictione Cinerum, extendendum, uti patet, et docet idem auctor, ad benedictionem Palmarum, *ob rationes*, addit ipse Quarti, *ibidem explicatas.* Quod pariter ex

iisdem causis applicandum ad benedictionem Cereorum, vix dubitandum.

Haud aliter sentit cl. De Herdt, qui in praenotandis antequam de Palmarum benedictione disserat, haec habet: « 1. Benedictio Palmarum in hac Dominica, Cinerum feria quarta Cinerum, et Candelarum 2 Februarii, regulariter fieri potest *et debet in unaquaque Ecclesia (Pars 5, n. 22).* » Quod nihilominus pro Ecclesiis Monialium, Regularium, Confraternitatum restringit, addens: *salvis tamen conventionibus, pactis, constitutionibus synodalibus, consuetudine.*

Quae communis scriptorum sentiendi ratio iuri positivo innititur, quod in Decreto *Aquileien.* declaratur. Etenim « Petitum fuit responderi: An in Ecclesiis filialibus liceat fieri distributiones Candelarum, Cinerum et Palmarum? Et S. R. C. respondit: « Non solum licere, sed etiam fieri debere praedictas distributiones (hinc et benedictiones) in unaquaque Ecclesia diebus tantummodo praescriptis in Caeremoniali Episcoporum (*31 Mart. 1610*). » Hinc Ecclesiae studium, ut subsidia opportuniora suppeditet parochis, ad praedictas non omittendas, sed meliori qua possint ratione, observandas functiones. Quod ex parvo Rituali, seu Memoriali Rituum, a Benedicto XIII redacto in commodum Ecclesiarum minorum, maxime parochialium, satis abunde patet. In eo enim quivis parochus habet modum facilem ac simplicem dictas peragendi functiones, quatenus tribus quatuorve clericis adiutus optime valebit, praescriptas in illo normas sequens, Ecclesiae voluntati obtemperare, divinum augere cultum, fideles sibi creditos aedificare. Ex quibus omnibus concludere licet, Ecclesias parochiales ad praefatas benedictiones ac distributiones ex iure positivo teneri.

3. Ad functiones pergimus matutinas, proprias ultimi tridui maioris hebdomadae: sunt ne et ad ipsas

parochi obligati? Notamus imprimis, sapienter de functionibus matutinis inquiri, non de vespertinis. Hae namque in Matutinis Tenebrarum consistunt, quae difficulter a parochis, generaliter loquendo, fieri possunt, maiorem enim exigunt clericorum, et quidem satis instructorum, numerum, qui reperiri ut plurimum nequit. Ea propter nemo dubitat, seclusa peculiari obligatione locali, ex iure positivo communi paroecias ad Matutina Tenebrarum decantanda, vel etiam publice recitanda non teneri. De functionibus proinde inquiritur, quae peragi in horis antemeridianis debent, videlicet, de Missa feria V in Coena Domini, de Missa praesanctificatorum feria VI in Parasceve, de benedictione ignis, Cerei paschalis, fontis etc. in Sabbato Sancto. De his igitur quaeritur, utrum in Ecclesiis parochialibus fieri ex obligatione debeant.

Ante omnia notandum, Ecclesias parochiales iure frui et onere SS. Sacramentum asservandi, ergo eas patet recensendas non esse inter illas, quae vetantur a Missa celebranda et a recondenda Eucharistia in altari sepulchri feria V in Coena Domini, iuxta Decretum *Neapolitana* d. d. 14 Iun. 1659. Sed Decretum *Resolutionis Dubiorum* peculiariter perpendendum nobis est, et sic se habet: « 1. An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam paroeciis, praesertim in ruralibus, celebrandi per parochum Missam lectam feria V in Coena Domini, quin peragi valeant eadem feria et sequenti caeterae ecclesiasticae functiones praescriptae, ob clericorum defectum, vel potius abolenda? » Nunc audi responsum: « Affirmative et ad mentem: mens est, ut locorum Ordinarii quoad paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem clerici, sacras functiones feriis V et VI ac Sabbato maioris hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis Benedicti XIII..... (*28 Iul. 1821 ad 1*). » Quod Decretum Sanctitas Sua ratum

habuit, approbavit confirmavitque, atque ut *ab omnibus servetur . . . . . praecepit.* Huic dispositioni innixum audi Tetamum loquentem : « Benedictus XIII iussit, in omnibus Ecclesiis parochialibus celebrari omnes functiones solemnes, etiam sine numero cantorum et ministrorum; et parvum Caeremoniale pro Ecclesiis minoribus evulgari praecepit anno 1725 (*Diar. pro an. eccl. et civ. Tract. II, Lib. IV, pars 2, n. 130*). »

Idem cl. De Herdt confirmat, docens: « Quod ita sit, dubium esse nequit quoad Ecclesias cathedrales, collegiatas et conventuales; neque dubium esse debet *quoad Ecclesias parochiales*, quandoquidem servitium Ecclesiae parochialis eiusque populus subditus, non tantum exigunt, ut officium huius tridui fiat, sed et Rubricae Missalis praescribunt ut solemniter fiat, nec alicuius arbitrio permittunt, ut minus solemniter fiat, ut ex dicendis patebit; cum enim Bened. XIII permittat, ut in Ecclesiis parochialibus, in quibus defectu ministrorum solemniter fieri nequit, servetur Memoriale Rituum pro minoribus Ecclesiis parochialibus editum, supponit etiam, in Ecclesiis parochialibus, habito sufficiente numero ministrorum, officium solemniter esse peragendum (*pars 5, §. 31, n. 3*) ».

Audire iuvet et Wapelhorst scribens: « Hac die (*fer. V in coena Dom.*) et duabus feriis sequentibus functiones sacrae in Ecclesiis cathedralibus, collegiatis et *parochialibus solemniter fieri debent.* Si ob defectum ministrorum vel cantorum solemniter vel cum cantu fieri nequeant, locorum Ordinarii, quoad paroecias, in quibus haberi possunt tres, quatuorve saltem clerici, sacras functiones feriis V et VI ac Sabbato maioris hebdomadae peragi studeant etc. (*Cap. XVIII, art. I, §. 180*) ». Et haec sufficiant ad ius positivum in casu dignoscendum, cum ceterum auctores omnes idem uno ferme ore doceant.

His positis concludimus: aut paroeciae sufficienti ministrorum numero sunt praeditae, aut non. Si pri-

mum, tenentur praedictas fnnctiones solemniter peragere: si alterum, tenentur pariter, sed minus solemniter, videlicet uti expositum est, cum tribus vel quatuor clericorum auxilio. Qui si haberi nec possint, parochi contenti sint petere facultatem ab Episcopo celebrandi solam Missam feria V in Coena Domini, et ab aliis functionibus dispensantur.

4. Nunc de benedictione fontis in Vigilia Pentecostes. Ritualis Rubrica est: « Aqua vero solemnis Baptismi sit eo anno benedicta, in Sabbato Paschatis, vel Sabbato Pentecostes (*Tit. II, Cap. I, n. 4*). » Hanc autem legem ambiguam esse facile quisque sibi suadebit; cum, seu in altero tantum, seu in utroque ex duobus praefatis Sabbatis aqua benedicatur, Rubrica comprobari videtur. Nihilominus sensus esse quoque potest sequens, videlicet: aut in Vigilia Paschatis benedicatur aqua, aut in Vigilia Pentecostes, non autem bis est benedicenda, sed vel in uno, vel in altero Sabbato. Quod tamen non excludit, in utroque Sabbato esse renovandam aquam, ac proinde in utroque benedictione sanctificandam. Iam vero, hanc esse legitimam interpretationem plura Decreta palam praedicant, iisque innixi auctores in eadem sententia unanimes sunt. Ita perspicuum est Decretum in *Urbevetan.* d. d. 7 Dec. 1844, quo edicitur: « Parochos Fontem baptismalem Sabbatis diebus Paschae et Pentecostes benedicere debere . . . . Consuetudinem (*oppositam*) velut abusum et Rubricis contrariam eliminandam. » Hoc autem Decretum invocat aliud antiquius, quod est in *Lucana* d. d. 12 Apr. 1775. Sed praestat referre Decretum recentius in una S. Hippolyti, ex quo magis magisque veritas declaratur. Episcopus enim illius dioecesis non solum contrariam afferebat ad S. Congñem consuetudinem immemorabilem, vi cuius fons in no Sabbato benedicebatur; sed, quod pluris est, notabat suae dioecesis parochos a Decano admonitos invocasse etiam Ritualis Rubri-

cam, quae exigit aquam baptismalem non in utroque Sabbato benedicendam, sed in alterutro. Verum S. R. C., re mature perpensa, idem responsum dedit, nempe: « Aquam baptismalem in parochiis esse benedicendam in Sabbato Sancto et Pentecostes, non obstante quacumque contraria consuetudine, quae omnino eliminari debet (*13 Apr. 1874*). » Arroges recentius quoque Decretum in *Spalaten.* in quo habetur consuetudo benedicendi fontes in utroque Sabbato in Ecclesiis tantum cathedrali, concathedrali, collegiata et nonnullis aliis parochialibus praecipuis; in aliis autem non benedici fontem ex defectu ministrorum, sed aquam benedictam deferri pro usu fontis ex praecipuis Ecclesiis. Iam vero consuetudo reprobatur, et edicitur: *Benedictio fontis, in casu quo fideles non accedant ad Ecclesiam diebus statutis, privatim absolvendi est.* (17 Jun. 1892, V. Ephem. pag. 516 eod. anno).

Hinc cl. De Herdt absque ulla obscuritate docet: « Haec benedictio non tantum in Sabbato Sancto, sed etiam in vigilia Pentecostes fieri debet, non obstante quacumque contraria consuetudine, quae omnino eliminari debet, etiamsi nullus in fonte baptizatus fuerit; quia Ecclesia sine distinctione praecipit, ut nova aqua in his vigiliis benedicatur. » Imo addit, et pleno iure: « Si parochus pluribus Ecclesiis praeficiatur, alium Sacerdotem ad aquam benedicendam delegare debet, vel aquam benedictam ex una Ecclesia ad alteram deferre potest (*pars 5, §. 51*). » Haec quoque doctrina Doctoris Piacenza, uti in Ephemeridibus videre est, dum in suo *Manuale Novissimum pro visitandis Ecclesiis* agit de Benedictione fontis (*V. Volumen 1890, pag. 689, n. 63*). Haec pariter doctrina, quam alibi Ephemerides nostrae docuerunt, et quam etiam Accademia Liturgica professa est (*Vol. Ephemerides 1892 pag. 710*, 2: ut, omnibus probe consideratis, nulla possit, saltem imprae-

senti, ratione dubitari, sicut in Sabbato Sancto Paschatis, ita etiam in Vigilia Pentecostes benedictionem fontis paragendam esse.

(Continuabitur) D. C.

DE OCTAVAE CORPORIS CHRISTI PRIVILEGIO PROVEHENDO

In Conventu Eucharistico, qui mense Septembri elapsi anni Urbeveteri, ubi sacrum Corporale prodigiali sanguine Domini nostri Iesu Christi conspersum colitur, maxima solemnitate habitus fuit, ex humanitate illius Rmi Episcopi mihi evenit sors loquendi de rationibus dilatandi amorem et cognitionem Redemptoris nostri in Sacramento augusto. Evoluto itaque, maiori qua potui diligentia, argumento meo, occasionem arripui exponendi votum, quod iam a multis annis in animo meo conceperam, de privilegio Octavae Corporis Christi provehendo.

Haec igitur sunt, quae vernaculo sermone in illo venerabili Coetu dicere putavi.

Nemo non novit Octavam, idest ritum aliquot festorum per octo continentes dies celebrandorum, morem esse, qui non sine divino consilio ab Ecclesia Iudaeorum ad Christianam pertransiit. Moyses enim

festum Tabernaculorum mense septimo instituit, praecipiens ut dies octavus celeberrimus atque sanctissimus non secus ac primus haberetur. Salomon item regum sapientissimus postquam Arcam foederis in templum adduxit, populum retinuit, dum hostias pacificas et holocausta offerebat, et die octava dimisit. Non aliter se gessit rex Ezechias, quando templum profanationibus gentium expurgavit, et Machabaei fortissimi quum altare dicarunt. Et Redemptor noster, qui se venisse non legem solvere sed adimplere testatus est, quin huiusmodi pias consuetudines aboleret, probavit, imo et exemplo suo firmavit, quando ad festum dedicationis templi, quod Evangelium Encaenia dicit, usque ad octavum diem interfuit. Propterea, ut cl. P. Gavanto scribit, credendum est Apostolos a Spiritu Sancto edoctos, virosque apostolicos eorum auditores, Octavarum solemnitates ad nos transmisisse, et, sicut ait sanctus Ignatius in Epistola ad Magnesianos, ita Octavae tam Paschae, quam Pentecostes, sunt introductae.

Inter Octavas autem, quae in Ecclesia celebrantur solemnius, sine dubio est illa, quam una cum festo sanctissimi Corporis Christi Urbanus IV Pontifex Maximus instituit in hac Urbevetana civitate. At si perpendamus peculiarem celebritatem, qua in Ecclesia universa eadem Octava recolitur, sive solemnibus processionibus, sive expositionibus Sacramenti augusti, dum in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis et Regularium utriusque sexus Horae canonicae recitantur, sive denique speciales inspiciamus Indulgentias ab eodem Pontifice recitantibus et interessentibus divinis Officiis concessas, ritui, quo solemniores Octavae celebrantur, mi-

nime illa respondere videtur, quamvis et ipsa privilegiata existat. Officium enim eius impeditur vel ab ipsis duplicibus minoribus occurrentibus, hinc, ut locum habeat Officium de Octava necesse est ut dies sit libera vel semiduplex tantum occurrat. Quum autem pauci sint dies liberi ab Officio duplici, praesertim eo tempore, quo Octava Corporis Christi occurrere potest, ideo saepe saepius evenit ut Officium et Missa dicatur de Sanctis, et haud raro de Martyribus in paramentis rubris, minime vero de venerabili Sacramento in altari solemniter proposito. Ceterum nos non latet perplurimas Dioeceses obtinuisse a S. Sede huiusmodi Octavam privilegiatam ad instar Epiphaniae, vel cum indulto excludendi duplicia maiora et minora (quod thesim nostrâm liquido confirmat); at in Ecclesia universali et in ipsa Urbe et in aliquot Ordinibus regularibus haec Octava celebratur iuxta rubricas Breviarii, ut supra diximus.

Optandum itaque esset ut ab isto venerabili Coetu Eucharistico Urbevetano humillimae porrigerentur preces SS. D. N. Leoni Pp. XIII, ut elevare dignaretur Octavam Corporis Christi ad idem privilegium, quo gaudet Octava Epiphaniae, quae admittit tantum duplicia primae classis occurrentia, cum hac tantum exceptione, ut illa possint celebrari etiam in, die octava in qua occurrere possunt festa Nativitatis S. Io. Baptistae (ut anno currente eveniet), et SS. App. Petri et Pauli. Quae enim occasio fortunatior isto Conventu in hac ipsa civitate celebrato, in qua Urbanus IV solemne Festum Corporis Christi eiusque Octavam instituit, ob miraculum praesertim Vulsiniense, et Doctor Angelicus, iubente eodem Pontifice, mirabile Officium ipsius solemnitatis conscripsit? Sperare certe iuvat sapientissimum

Pontificem Leonem XIII, de sacra Liturgia optime meritum, ad preces huiusce Coetus extremam manum operi magnifico Decessoris sui appositurum, decernendo ut Octava Corporis Christi eodem privilegio honestetur, quo Octava Epiphaniae perfruitur. Eo vel magis quod ipse, qui tam ardenti et apostolico zelo causam sanctissimam unionis Ecclesiarum aggressus est, probe noscens, sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum una cum pietate in Virginem, beatissimam fore tandem vinculum, quod fratres dissidentes ad sanctam Matrem Ecclesiam Romanam perducet, hunc supremum honorem Sacramento augusto reddere volens, libens non recusabit, ut Princeps Pastorum solemniori hoc cultu in eo Mysterio prosequutus maturare dignetur illud votum suum: *Fiet unum ovile et unus pastor.*

Assensus, quo hoc votum meum exceperunt humanissimi Coadunati universi plaudentes, satis demonstravit in eorum votis esse, ut novus honor decernatur Octavae sanctissimi Corporis Christi. Restat igitur ut venerabiles illius Coetus Praesides, qui tam sapienter illum direxerunt, opportunas preces SS. D. N. Leoni Pp. XIII porrigant, quibus communi voto satisfiat.

† FELIX *Episc. Montis Politiani.*

PRAENOTANDA

Calendariis locorum praemittenda.

I. **Missam privatam votivam aut de requie, cadavere nullo modo praesente, impediunt:** 1. Festa duplicia: 2. Dominicae: 3. Vigiliae Nativitatis D. N., Epiphaniae, et Pentecostes: 4. Dies infra eorumdem festorum octavas. atque etiam Paschae et Corporis Christi: 5. Feria IV Cinerum: 6. Integra Hebdomada maior. 7. **In Ecclesiis parochialibus ubi una tantum Missa habetur,** etiam dies Rogationum, si fiat Processio. 8. **Missam privatam votivam de vivis** etiam dies II Novembris. *Missa votiva solemnis, nisi sit pro re gravi, uti privata habenda est in casu. Missa de requie, etsi solemnis, nisi ad illas pertineat, de quibus dicemus, item uti privata habenda est. Eadem Missa in Com. Omn. Fidel. Defunct. dici etiam potest, Eucharistia pro Oratione 40 Horarum ex praecepto solemniter exposita, sed in colore violaceo.*

II. **Missam votivam solemnem pro re gravi impediunt:** 1. Duplicia I classis: 2. Dominicae I classis: 3. Feria IV Cinerum: 4. Vigilia Nativitatis D. N. et Pentecostes: 5. Integra Hebdomada maior. *Missa votiva nunquam potest dici aut cantari de quo festum recolitur.*

III. **Missam solemnem de Titulari, vel de alio festo cum concursu populi celebrando, si occurrant et transferri debeant, impediunt:** 1. Dominica prima

Adventus et Quadragesimae, et Dominica Palmarum: 2. Feria IV Cinerum: 3. Integra Hebdomada maior. 4. Dominicae Resurrectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus: 5. Festa Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini.

IV. **Missam votivam pro sponsis impediunt, non tamen de die cum com. pro sponsis et benedictione:** 1. Duplicia I et II classis: 2. Dominicae aliaque festa de praecepto: 3. Integra octava Epiphaniae ac Pentecostes, nec non huius Vigilia: 4. Dies octava Corporis Christi: 5. Dies, qui duplicia II classis respuunt: 6. **in Ecclesiis parochialibus, ubi una tantum Missa habetur:** Dies etiam festi suppressi; nec non dies Rogationum, si fiat Processio, et dies 2 Nov. si dicatur officium Defunctorum. *Com. pro sponsis dicenda post alias ex Rubrica, et nunquam sub eadem conclusione cum prima oratione.*

V. **Missam cum cantu et privatas de requie quocumque modo praesente cadavere impediunt:** 1. Omnia festa solemniora universalis Ecclesiae, nempe, Dominica Paschae et Pentecostes, Nativitas, Epiphania, Ascensio, et Corpus Christi, Imm. Conceptio, Annuntiatio et Assumptio Deiparae, Nativitas S. Io: Baptistae, S. Ioseph, Ss. Apost. Petrus et Paulus, et festum Omn. Sanctorum: 2. Dies solemnitatis festi ex indulto translati, modo celebretur in populo: 3. Ultimum triduum maioris Hebdomadae: 4. Festa solemniora localia, hoc est: Patronus loci praecipuus, Dedicatio et Titulus Ecclesiae propriae: 5. Tempus solemnis Expositionis Eucharistiae. 6. Missas insuper privatas in die aut pro die obitus impediunt: 1. Duplicia I classis: 2. Omnia festa cum feriatione

recolenda. 7. **Pro Ecclesiis Parochialibus unam tantum habentibus Missam:** Dies quoque omnes festi, suppressis non exceptis, quibus Parochus debet applicare pro populo, feria IV Cinerum, et vigilia Pentecostes si fieri debeat benedictio Fontis ; atque etiam dies S. Marci et Rogationum, si fiat Processio. *Cadaver censetur praesens, cuius praesentiae defectum excusat causa gravis, dummodo non ultra biduum ab obitu sit tumulatum. Secus, Missa exequialis praefatis diebus impedita, etiam post acceptam mortis notitiam, cantari potest et debet prima die libera a die Dominico vel festo, vel dup. I et II classis.*

VI. **Missam solemnem aut cantatam diebus III, VII, XXX et anniversaria ab obitu vel depositione impediunt**: 1. Duplicia I et II classis : 2. Dominicae ac festa de praecepto : 3. Vigiliae Nativitatis D. N. et Pentecostes : 4. Dies infra Octavas eiusdem Nativitatis, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et Corporis Christi : 5. Feria IV Cinerum : 6. Tota Hebdomada maior : 7. Tempus solemnis Expositionis Eucharistiae : 8. **Pro Ecclesiis parochialibus unam tantum habentibus Missam** : Omnes etiam dies festi suppressi, quibus Parochus debet applicare pro populo, atque Rogationum, si fiat Processio. *Missa, ut supra, impedita vel anticipari vel transferri potest ac debet in primam diem a superioribus impedimentis liberam. Inter anniversaria fundata et privata non datur distinctio in casu.*

VI. **Missa in aliena Ecclesia, aut Oratorio publico,** semper debet convenire cum officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii publici, nisi de semiduplici aut simplici in iis fiat : quo in casu Sacerdos celebrare po-

test iuxta officium vel Ecclesiae vel proprium, vel de feria vel de requie, etc. prouti ei libuerit. Missa autem vel Ecclesiae vel proprio officio conformis erit festiva, non votiva. In privatis vero Oratoriis Missa semper conveniet cum officio Celebrantis.

VIII. **Missam in Oratoriis privatis per se impediunt:** 1. Nativitas D N., Epiphania, Triduum ultimum maioris Hebdomadae, Resurrectio et Ascensio D. N. ac Pentecostes: 2. Annuntiatio, Assumptio, et Conceptio Imm. Deiparae: 3. S. Ioseph, Festum Ss. Petri et Pauli, atque Omnium Sanctorum: 4. Patronus loci praecipuus: si tamen de praecepto serventur. *Dictum est*, **per se:** *ut unicuique innotescat, in singulis locis unamquamque personam posse ac debere relativo indulto se conformare.*

APPENDIX

VIRO CLARISSIMO PETRO PIACENZA.

LEO PAPA XIII.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum ex amplissimis suffragiis exploratum habeamus compertumque, te in canonico iure doctorem atque in theologicis disciplinis egregie versatum, singularis doctrinae laudem cum antiquae religionis pietatisque studio sociare, atque in Epheméride Liturgica typis editis scriptis, sapientium virorum

admirationem et praeconia tibi conciliasse, simulque in parochiali munere obeundo luculenta consilii, prudentiae, zeli, rerumque usus exhibuisse argumenta, dignum idcirco te censuimus quem praecipua voluntatis nostrae significatione cohonestemus. Quare te a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes, hisce Litteris, auctoritate Nostra Protonotarium Apostolicum ad instar participantium, sed non e numero participantium, facimus, eligimus et renuntiamus. Proinde tibi, dilecte fili, concedimus omnia et singula iura, privilegia, honores, praerogativas, indulta, quibus alii huiusmodi honorifico insignes titulo utuntur, fruuntur, vel uti, frui possunt ac poterunt, ex Apostolica potissimum Constitutione de Protonotariorum Conlegio edita, cuius exemplar tibi tradi iussimus. Praecipimus tamen, ut priusquam huius concessionis beneficio perfrui incipias, coram Decano Protonotariorum Apostolicorum participantium si Romae adsis per te, vel per legitimum procuratorem tuum fidei professionem emittas, iuxta articulos ab hac S. Sede propositos, debitum praestes in forma solita iuramentum, aliaque serves, quae per eandem Constitutionem servanda praescribuntur. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XIX Ianuarii **M**DCCCXCVII, Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

ALOISIUS Card. MACCHI

E SACRA RITUUM CONGREGATIONE

1. Exhibitae nobis petitiones Sanctos Beatosve tantummodo spectare debent in Romano Martyrologio conscriptos, aut publico cultu a S. Sede, sive decreto, sive confirmato iamdiu fruentes. At vero semper speciali proprii Episcopi

commendatione opus est, qui etiam si exquiratur, sui Capituli cathedralis consensum allegabit.

2. Ad ceteros Sanctos Beatosve quod attinet, etsi longo iam tempore publico fuerint cultu honorati cum Officio et Missa propriis, necesse est, ut iuxta communes regulas, eorum cultus ab Ecclesia comprobatus et confirmatus sit, antequam Officium ipsum ac Missa permittantur.

3. Postulationes ad obtinenda Officia Missasque proprias pro novis eorum Sanctorum Beatorumve festis, qui alia prorsus ratione publico iam fuerint cultu donati, raro admodum excipientur. Semper autem eae rationibus omnino specialibus ac solidis, gravissimaque commendatione, et si id materia ipsa exposcat, historicis documentis apprime validis fulciantur oportet.

4. Ex Kalendariis perpetuis, cuiusque Dioeceseos propriis, quae huic Congregationi Sacris Ritibus tuendis praepositae approbanda exhibentur, ii sive Sancti, sive Beati expungendi sunt, quibus conditiones in § 1 recensitae desunt, novaque item festa in § 3 indicata; cum de his singillatim ac serio agendum sit.

5. Quaelibet novi Officii ac Missae postulatio Commissioni Liturgicae prius examinanda subiicietur, dein summa diligentia in Congressu cui Emus Cardinalis Praefectus praesidet, discutienda. Cuius discussionis exitus si postulanti faverit, postulatio exhibita, una cum allegatis, et necessariis declarationibus super peracto examine, et insuper cum Rmi Promotoris Fidei adnotationibus, typis mandabitur. Documentorum fasciculus ita comparatus, ab uno e Cardinalibus Relatoribus, Sacrae Congregationi in ordinariis Comitiis exhibebitur.

6. Si S. Congregatio petitioni favens annuat, illius sententia SSmo Patri confirmanda subiicietur; ac tantummodo post Pontificiam confirmationem, Officii et Missae schema, quod exibitum fuerat, cooperante Hymnographo S. Congregationis, cura Card. Ponentis, et Rmi Promotoris Fidei, recognoscetur et approbabitur.

7. Extensio Officii et Missae, alicui particulari Ecclesiae

vel Dioecesi iam concessorum ad alias Dioeceses Ecclesiasve, specialibus rationibus inniti debet. Eae vero a delectis per Nos viris sacrae Liturgiae peritis, et a Congressu supradicto, sicut primitivae postulationes, expendentur; et, si id ille necessarium iudicaverit, in plenariis S. Congregationis Comitiis proponentur, antequam Pontifici comprobandae exhibeantur; nisi forte primitiva concessio *singulis petentibus* facta fuerit.

8. Immutationes vel additiones, quas in Officiis vel Missis iam concessis fieri contigerit, eaedem examini ac discussioni sicut extensiones, de quibus in § praecedenti sermo est, subiicientur.

SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII, in Audientia die XIII Iulii MDCCCXCVI infrascripto Card. Praefecto Sacrae Rituum Congregationi facta, cum hasce supra expositas normas sedulo perlegisset, easdem singulas approbare dignatus est, atque earum observantiam quam accuratissimam praecipere.

E SUPR. CONGREGATIONE S. O.

E.me Domine,

Litteris datis die 22 Decembris anni elapsi ad E.mum D. Cardinalem Secretarium huius Supremae Congregationis S. O. Amplitudo Tua sequentia dubia proponebat:

I. Utrum Episcopi in Concilio sive plenario sive provinciali coadunati vera potestate legislativa potiri censeantur?

II. Utrum decreta Conciliorum sive plenariorum sive provincialium a S. Sede modo generali, non autem speciali, adprobata, omnimoda vi legum careant, nisi in statuta dioecesana iam fuerint incorporata?

Re ad examen revocata, in Congregatione Gen.li habita fer. V, loco IV, die 10 Septembris 1896, E.mi D.ni Cardi-

nales, una mecum Inquisitores Generales, reformatis dubiis uti sequitur:

I. Utrum Episcopi in Concilio sive plenario sive provinciali *legitime* coadunati, vera potestate legislativa potiri censeantur?

II. Utrum decreta Conciliorum sive plenariorum sive provincialium, a S. Sede *in forma communi sive specifica confirmata, vel adprobata, vel saltem recognita*, omnimoda vi careant, nisi in statuta dioecesana iam fuerint incorporata, et quidem tantum valeant, in quantum sic fuerunt incorporata?

Respondendum decreverunt:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Et ad mentem.

Hanc ad A. T. notitiam dum defero, fausta quaeque ac felicia a Deo Tibi lubens deprecor.

Ad r. p. d. *Archiepiscopum*

S. Ludovici in America. *Uti Frater*

L. M. Card. Parocchi

Nihil obstat.

Fr. Joannes Neri O. P.

censor deputatus

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta *Patriarch. Antioch., Vicesgerens*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph. in Vico a S. Prisca, 8. *in Col. Avent.*

SACRA RITUUM CONGREGATIO

ROMANA.

Nonnulli Ecclesiarum Rectores sequentia Dubia super legitima interpretatione Decreti Aucto, die 8 Iunii anno nuper elapso 1896 editi, circa Missas privatas de Requie, die et pro die obitus indultas, Sacrae Rituum Congregationi resolvenda humiliter proposuerunt, videlicet:

I. Privilegium circa Missas lectas de Requie ex praefato Decreto concessum sacellis sepulcreti, favetne sive Ecclesiae vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, sive aliis Ecclesiis vel Cappellis, extra cœmeterium, subter quas ad legitimam distantiam alicuius defuncti cadaver quiescit?

II. Missae privatae de Requie, quae sub expressis conditionibus celebrari possunt praesente cadavere, licitaene erunt in quibuslibet Ecclesiis vel Oratoriis sive publicis sive privatis?

III. Huiusmodi Missae privatae de Requie celebrarine poterunt sine applicatione pro Defuncto, cuius cadaver est vel censetur praesens?

IV. Eaedem pariter Missae possuntne celebrari diebus non duplicibus, qui tamen festa duplicia I classis excludunt, uti ex. gr. feria IV Cinerum?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative ad utrumque.

Ad II. Affirmative, dummodo cadaver sit physice vel moraliter praesens; sed, si agatur de Ecclesiis et Oratoriis publicis, fieri debet etiam funus cum Missa exequiali.

Ad III et IV Negative.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 12 Ianuarii 1897.

CAIETANUS Card ALOISI MASELLA S. R. C. *Praef.*

D. Panici, *Secretarius.*

L. ✠ S.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE
SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI

III.

In quadam Ecclesia die 30 Decembris occurrit festum S. Ioseph a Cupertino repositum. Cum autem eiusmodi festum gaudeat lectionibus I. nocturni propriis, redactor Calendarii nescit quomodo se gerere debeat circa initium Epistolae ad Romanos eadem die 30 legendum. Eapropter consilium petiit a Titio et Sempronio, Rubricarum legum peritis, ex quibus ille respondit, praefata die lectiones proprias S. Iosephi esse omittendas ut legatur initium; iste vero opinatus est, in casu, initium anticipandum die 29,et 30 legendas lectiones proprias de S. Ioseph. Praeterea, cum hodie festum S. Thomae evectum sit ad ritum duplicem minorem, anceps haeret circa ordinandas illius Vesperas in consursu cum S. Ioseph. *Hinc quaeritur:*

1. *Unde origo lectionum seu quod graecam, seu quod latinam attinet Ecclesiam, maxime de Sacra Scriptura in officio?*

2. *Quare* initia *Librorum Sacrae Scripturae omitti nunquam debeant iuxta Rubricas Breviarii Romani et S. R. C. Decreta?*

3. *Pro quo ex duobus consilium dantibus, ut in casu, ratio pugnet?*

4. *Quomodo resolvendum Dubium Redactoris calendarii circa ordinem Vesperarum, ut in casu?*

SOLUTIO

Ex dissertatione R. D. Evandri Settimii, Almi Collegii Capranicensis Alumni, habita in Ecclesia Congreg. Missionis prope Curiam Innocentianam die 23 Decembris 1896; acta Epitoma per R.mum D. D. Alphonsum Carinci Apost. Caerem. Magist.

I. *Unde origo lectionum seu quod grecam, seu quod latinam attinet Ecclesiam, maxime de Sacra Scriptura in Officio?*

Optime S. Isidorus Hispalensis (*De lectionibus, Cap. X*) finem ab Ecclesia sibi praefixum in lectionibus divinis laudibus inserendis demonstrat: « Est autem lectio non parva audientium aedificatio. Unde oportet ut quando psallitur ab omnibus psallatur, cum oratur, oretur ab omnibus. quando lectio legitur, facto silentio eaque audiatur a cunctis.... Obtentu orationis ne perdideris lectionem, quia non semper eam quilibet paratam potest habere, cum orandi potestas in promptu sit; nec putes parvam nasci utilitatem ex lectionibus, auditu. Siquidem oratio fit ipsa pinguior dum mens recenti lectione saginata, per divinarum rerum, quas semper audivit imagines currit. » E divinae revelationis deposito, nempe Sacra Scriptura et Traditione, S. Ecclesia materiam harum lectionum trahit, quae e fontium unde eruuntur diversitate, variis nominibus appellantur, sunt enim Scripturales, Patristicae et Agiologicae. Lectiones dividuntur et in Capitula, nempe lectiones breves, quae in singulis horis canonicis recitantur, et lectiones proprie dictas, quae in

Matutinis locum habent: de his postremis tantum sermo noster erit, cum praecipuum sit propositi casus argumentum.

Si de tempore quaestio instituatur, a quo lectionum usus in divini Officii recitatione invectus fuerit, haud facilis labor, nec fructu dives: in Ecclesia enim latina prioribus saeculis, hac super re, liturgica disciplina varia fuit, sicuti etiam nunc in graeca Ecclesia. Praeterea documentorum caritas, nos non sinit tuto procedere pede tam ardua in re; quinimo, cum iampridem divinum Officium ac Sacrificii oblatio unam eamdemque rem constituerint, non omnia, quae supersun documenta et ad primum referri videntur, indistincte sunt acceptanda, possunt enim interpretari uti ad alterum pertinentia. His praemissis, de lectionibus Scripturalibus brevi calamo disseremus. Sicut iam sub veteri lege, tam in Synagogicis conventibus *(Macab. 12.)*, quam in actibus cultus, qui in Templo celebrabantur *(Exod. 8)*, mos viguit Sacras scripturas legendi ad populi instructionem, ita Ecclesia christiana usque a primordiis idem invexit in liturgicis conventibus, ad divini Sacrificii celebrationem, prout ex Actibus Apostolorum docemur et ex Apologia secunda S. Iustini; ac semper servavit, ita ut universalis dici possit seu quoad tempora seu quoad diversas Ecclesias; a S. Sacrificio demum ad divinum Officium quoque transiit. Vetustiora documenta, quae innuere videntur usui sacrarum lectionum in divinis Officiis, sunt: locus quidam Tertulliani in libro *De anima*, et graeca collectio triginta et octo canonum, ad nos provecta sub S. Hippolyti nomine, quae tamen, ut notat cl. Batiffol (*Histoire du Bréviaire Romain, C. II*), videtur potius synodale

romanum opus Victoris Pp. I. coaevum (an. 190-200). In primo documento, Tertulliano incidenter describente Vigilias Dominicales formam primitivam divini Officii, legimus: « In Ecclesia inter Dominica solemnia . . . . . psalmi canuntur . . . . *Scripturae leguntur*, . . . petitiones delegantur. » Canones Hippolyti vero (ed. Achelis, n. XXI) Synaxes liturgicas, ad S. Sacrificii celebrationem ordinatas, distinguunt a Synaxibus euchologicis, unice ad Domini laudes institutis. Pro his, psalmorum cantus praescribitur, Sacrarum Scripturarum lectio ac orationum recitatio: « vacentque psalmis et *lectioni Scripturarum* cum orationibus. » Constitutiones Apostolicae item statuunt psalmos canendos, *Scripturas legendas* et Sacrificium celebrandum in locis ubi Martyrum corpora quiescunt. Concilium Laodicense plures confecit Canones hac super re; Can. 17: « Non oportet in conventibus contexere, sed in unoquoque psalmo interiecto spatio *lectionem fieri* »; Can. 16: « Ut Evangelium cum aliis *Scripturis* in Sabbato legatur ». Can. 59: « Quod non oportet plebeios psalmos in Ecclesia cantare, nec libros praeter canonem legi, sed solum *sacra volumina* novi testamenti vel veteris. » Gennadius refert Museum presbyterum Massiliensem, qui Saec. IV floruit, de sui Episcopi mandato, in ordinem redegisse varias Sacrarum Scripturarum partes, pro lectionibus toto anni decursu recitandis (Martene, *De antiquis Ecclesiae Ritibus, Lib. IV, c. V*). S. Benedictus in sua Regula, in qua diligenter ordinem Monastici Officii designat, lectiones S. Scripturae praecipit in *Vigiliis Nocturnis*. Theodemarus Abbas Montis Cassini, causam exponens, ob quam

S. P. Benedictus in feriis aestivis non praecipit lectiones, ait : « necdum eo tempore in Ecclesia Romana, sicut nunc leguntur sacras scripturas legi mos fuisse ; sed post aliquot tempora hoc institutum esse, sive a beato Papa Gregorio, sive, ut ab aliis affirmatur, ab Honorio. Qua de re maiores nostri instituerunt ut hic tres cotidianis diebus aestivo tempore ex veteri testamento lectiones legantur, ne a sancta romana Ecclesia discrepare viderentur (Migne, *Patrologia Latina, T. XCV. p. 1584*) » (1). S. Gregorius II, in suo Capitulari ad Episcopum Martinianum, legatum ad visitandas Christianas communitates Bavariae, inter cetera peculiariter iubet inquirendum de S. Scripturae lectionibus, his verbis : « ut loca singularum Ecclesiarum providentes quomodo unusquisque Sacerdos et minister erga ecclesiam debeat conservare, vel qualiter Sacra Missarum solemnia, sive cetera diurnarum atque nocturnarum horarum officia, sive etiam *lectionem sacrorum novi atque veteris Testamenti* ordinabilia praedicamenta studeat observare, secundum traditum apostolicae Sedis antiquitatis ordinem disponatis (Labb. Concil. Tom. VI,

(1) Nonnulli auctores, ex. gr. Meratus (in not. ad Gavant- Sect. V, Cap. XII. I, n. 3), Mabillonius (Disquisit. de Cursu Gallicano, n. 9) hunc locum interpretantur, quasi Theodemarus significare voluerit, in Ecclesia Romana nullimode lectiones lectas fuisse, nec in Dominicis usque ad S. Gregorii M. tempora, vel Honorii; Batiffol autem (*Histoire du Bréviaire Romain C. III, p. 93)* interpretatur de feriis in genere, at nobis quidem magis verum attingere videmur sensum accipientes de feriis aestivis tantum, ob id enim tantum S. Benedictus propter brevitatem noctium (Reg. C. X) lectiones non praescribit, dum pro aliis feriis tres adsignat lectiones.

p. 1452) ». In fragmento *Ordinis* cuiusdam Monasteriorum basilicalium romanorum octavi saeculi (ab Abbate Gerbert, saec. elapso publicato), iam novimus institutum ordinem librorum S. Scripturae in anni decursu legendorum, fere hodierno similem : a die 1ª Decembris ad Epiphaniam, Isaiae, Hieremiae, Daniel; ab Epiphania ad idus Februarii, Ezechielis, duodecim Prophetarum minorum et Iob. Tempore verno, Pentateuchi, Iosue et Iudicum, usque ad hebdomadam maiorem. A Paschate ad Pentecosten, Epistolarum catholicarum, Actuum Apostolorum et Apocalypsis. Tempore aestivo, Regum et Paralipomenon. Tempore autumnali usque ad diem 1ªm Decembris, librorum Sapientialium, Esther, Iudith, Machabaeorum et Tobiae (Batiffol, *loc. cit. c. III*). Officium ultimi tridui maioris hebdomadae Romae saec. VIII easdem lectiones eodemque ordine dispositas habebat ac nunc est. Id constat ex antiquioribus et magis authenticis *Ordinibus Romanis*, et praecipue ab *Einsidlensi* a cl. De Rossi publicato (*Inscriptiones christianae, T. II, p. 31*). Gratianus in suo Decreto canonem inseruit de ordine librorum Scripturalium, pro toto anno decursu.

« Ceterum qui libri in Ecclesiasticis Officiis per anni circulum a nonnullis legantur (quod Ritum Apostolica non reprobat, sed sequitur Ecclesia), pro fidelium aedificatione adnotandum censuimus. Quidam quod in Septuagesima ponunt Pentateuchum usque in XV diem ante Pascha, XV die ponunt Hieremiam usque in Coenam Domini. In Coena Domini legunt tres lectiones de Lamentatione Hieremiae : *Quomodo sedet etc.* et tres de Tractatu S. Augustini in Psal-

mum LIV: *Exaudi Deus etc.* et tres de Apostolo..... in Epistola ad Corinthios: *Convenientibus vobis etc....* In Parasceve tres lectiones de Lamentatione Hieremiae, et tres de Tractatu S. Augustini in Psalmum LXIII: *Exaudi Deus etc.* et tres de Apostolo... in Ep. ad Hebraeos: *Festinemus ingredi etc.* In Sabbato Sancto tres lectiones de Lamentatione Hieremiae Prophetae, et tres de tractatu S. Augustini in eumdem Psalmum LXIII, et tres de Apostolo. . . , in Epistola ad Hebraeos: *Christus assistens etc.* . . . . In Pascha Domini Homilias ad ipsum diem pertinentes, infra hebdomadam homilias. In Octavis Paschae ponunt Actus Apostolorum et Epistolas Canonicas, et Apocalypsim usque ad Octavas Pentecostes. In Octavis Pentecostes ponunt libros Regum et Paralipomenum usque in kalendas Septembris. In Dominica prima Septembris ponunt Iob, Tobiam, Hester, Esdram, usque in kalendas Octobris. In Dominica prima mensis Octobris ponunt librum Machabaeorum usque in kalendas Novembris. In Dominica prima mensis Novembris ponunt Ezechielem et Danielem et Prophetas minores usque in kalendas Decembris. In Dominica prima mensis Decembris ponunt Isaiam prophetam . . . In Dominica prima post Nativitatem Domini ponunt Epistolas Pauli usque ad Septuagesimam (Decretum, *Part. I, Distinct. XV, cap.* Sancta Romana). »

Nonnulli auctorem huius canonis dicunt S. Gelasium I^um^, alii (forte maiori cum probabilitate) S. Gregorium I^um^; notatu quidem dignum est hoc in canone ordinem librorum aliquantum differre ab illo, quem vidimus in fragmento *Ordinis* octavi saeculi,

ac receptum fuisse in Breviarii Romani Reformatione a S. Pio V facta, in minima tamen parte immutatum, et semper servatum fuisse in aliis Breviarii correctionibus. Lectiones scripturales in praefata reformatione, has correctiones subiere: exclusi fuere libri Paralipomenon, Esdrae et Baruch, decretum fuit ne amplius legerentur in feriis Quadragesimae et Quatuor Temporum et Vigiliis Lectiones Scripturales, sed tres Lectiones Homiliae super Evangelium Missae. Selecti insuper fuere loci ac bene determinati, recepta tandem editio vulgata, seu melius ratihabita, cuius usus iam invaluerat, a tempore nondum satis nobis noto, sed certe saeculo XVI antiquiore, uti apparet ex editione Veneta Breviarii, *secundum morem Romanae Curiae* (V. Schober, *Explanatio critica edit. authent. Brev. Rom. Cap. II*); ideoque perperam nonnulli auctores S. Pio V attribuere vulgatae introductionem in Divino Officio. Sixtus V, data Bulla *Aeternus ille*, quae tamquam praefatio legitur ante editionem vulgatae, eius iussu correctae, mandat omnibus editoribus ut in Missalibus, Breviariis, Psalteriis, Ritualibus, Pontificalibus atque aliis ecclesiasticis libris corrigant Scripturales textus, *iuxta hunc nostrum textum ad verbum et ad litteram*. Omnes norunt quomodo immediate huius editionis reassumpta revisio fuerit, ob censuras cui extitit obnoxia, ita ut anno 1592 Clemens VIII novam curare debuerit editionem, unde perturbationes maximae in partibus divini Officii scripturalibus (Batiffol, *loc. cit. C. V, p. III*). Addes typographorum incuriam, ex quibus factum est ut, trigesimo post publicationem anno, S. Pii V Breviarium rursus corre-

ctione indiguerit. Id per ipsum Pontificem Clementem VIII praestitum fuit, qui correctiones in partibus scripturalibus exsequutus est iuxta editionem ab se publicatam.

Quod autem Patristicas Lectiones respicit, animadvertimus, S. Hieronymum testatum fuisse (*De Scriptoribus ecclesiasticis*) quod in Ecclesiis Asiae Epistola S. Policarpi legebatur. In Regula S. Benedicti (*C. IX*) fit mentio harum Lectionum, post enim praeceptas Scripturarum Lectiones, addit: « Sed et expositiones earum, quae a nominatissimis et orthodoxis catholicisque Patribus factae sunt. » Saeculo VI, commentaria legebantur ad S. Scripturam S. Gregorii M. (Vid. huius Pont. Epistol. XII, 24). Liber Pontificalis (*T. I, p. 432*) de Papa Zacharia ait: « in Ecclesia Principis Apostolorum omnes codices domui suae proprios, qui in circulo anni leguntur ad matutinum, armariorum ope ordinavit. » In *Ordine* Monasteriorum Basilicalium romanorum Saec. VIII, praecipiuntur in divino officio Lectiones tractatuum S. Hieronymi, S. Ambrosii, *ceterorumque Patrum, prout Ordo poscit.* Eodem Saeculo VIII, potissimumque IX, celebria sunt homiliaria manuscripta; inter ea digna sunt notatu, quae sub nomine prostant Ven. Bedae, Alcuini et prae ceteris, quod nomine Pauli Diaconi venit (publici iuris factum a Carolo M. cum huius praefatione). Ab hoc postremo, quod tunc temporis uti praeclarum critices opus habebatur hodiernum Romanae Ecclesiae homiliarum derivavit (*Revue Bénédictine, 1891, p. 270*). Literariae traditiones horum temporum servatae fuere in Breviario cura Fratrum Minorum correcto, quamvis ceteris Patribus adiunxis-

sent Ven. Bedam et Origenem. Lectiones Patristicae, potissimas subiere correctiones atque substitutiones, in reformatione S. Pii V; in altera Clementis VIII denuo correctae sunt, iuxta magis authenticos codices, ac plures subrogatae; ita v. gr. in festo Cathedrae Romanae S. Petri, locum Homiliae S. Hieronymi excepit alia S. Hilarii; in festo S. Agnetis, pro Sermone 9° S. Ambrosii in 2° Noct. adsignata fuit lectio libri 1 de Virginibus, eiusdem Doctoris. Idem in reformatione Urbani VIII evenit. His autem postremis temporibus quibusdam in festis adscriptae fuere Lectiones ex actibus RR. Pontificum excerptae (V. Lect. 2 Noct. SS. Lanceae et Clavor. aliasque infra Octavam Immac. Concept.).

De usu legendi acta Sanctorum, sermo est in S. Augustini operibus, sicut videre est in Sermone 2° de S. Stephano et in alio sub numero 213; in Conciliis Carthaginiensi III, et Milevitano, quae illum confirmant; Trullana Synodus (*C. 63*) vetuit lectionem falsorum actuum Martyrum, quod denotat licitum usum fuisse probata legendi. Eadem lectio praescribitur in Regulis Monasticis S. Aureliani (in ordine psallendi) et S. Caesarii Arelatensis (*C. 12*), imo hic, in sermone 300, illos reprehendit, qui in Ecclesia sedebant dum legerentur acta Sanctorum. Verum in Ecclesia Romana, saltem Saeculo V, nondum usus invaluerat legendi gesta Sanctorum, namque in quodam Decreto Concilii Romani a Gelasio I° celebrati, ratio redditur, ob quam sancitum fuerit ne in Ecclesia Romana talis lectio haberetur: « Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in S. R. Ecclesia non legantur. Nos ta-

men cum praedicta Ecclesia omnes martyres, et gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur (apud *Labb. p. 1263*). » Regula S. Benedicti (*C. XIV*) in festis Sanctorum praecipit: « Psalmi aut Antiphonae vel *Lectiones* ad ipsam diem pertinentes dicantur. » S. Gregorius Turonensis (*Lib. I de gloria Mart. C. 86*) loquitur de publica lectione actuum S. Polycarpi. *Ordo* Saeculi octavi ad Vaticanam Basilicam pertinens, a Cardinali Thommasio editus, haec (pag. 405) habet: « Passiones Sanctorum, vel gesta ipsorum, usque ad Hadriani tempora, tantummodo ibi legebantur, ubi Ecclesia ipsius Sancti vel titulus erat. Ipse vero (Hadrianus) a tempore suo recitari iussit, et in Ecclesia S. Petri legendas esse constituit. » Ex quo inferre licet Romae publicam lectionem gestorum Sanctorum, ante Hadrianum iam invaluisse. Lectiones agiologicae in compendium redactae fuere ad instar Martyrologii Odonis in Breviario a Fratribus Minoribus correcto. Notabiles quoque fuere immutationes et correctiones sub S. Pio V, nonnullae Lectiones penitus expunctae, uti S. Margaritae, S. Theclae, S. Eustachii (a Clemente VIII postmodum restitutae), aliae innovatae, ut S. Hilarii, S. Pauli I Eremitae, S. Ioannis Chrysostomi etc. In Reformatione Clementis VIII Cardinales Baronius et Bellarminus Lectiones agiologicas recognoverunt et correxerunt, aliasque correctiones subiere in Urbani VIII reformatione. Notae sunt tandem, quas hodiernus Summus Pontifex Leo XIII curavit.

Numerus Lectionum prioribus saeculis determinatus non erat S. Benedictus in sua Regula (*Cap. X*,

XI, XIII) quatuor praescripsit in fine trium Nocturnorum Dominicalium et tres in medio Nocturno feriali, exceptis aestivis feriis, quibus brevem lectionem (hodie *Capitulum*) ex veteri Testamento memoriter dicendam iussit, brevitatis noctium causa. Hodiernus numerus iam a saeculo octavo invectus fuit, a S. Gregorio VII confirmatus dum Sacram Liturgiam a novatoribus defendit (*Microlog. 51*), a Piana reformatione retentus. Quoad earum longitudinem scimus pluribus saeculis ad libitum directoris chori relictas fuisse, qui termini signum dabat dicendo: *Tu autem*; et tunc Lector prosequebatur: *Domine miserere nobis*: Chorus demum respondebat: *Deo gratias* (Merati ad Gavant. *Lect. V, c. XII, n. XIII, 20*). Fratres Minores postmodum breviores reddiderunt, S. Pius V tandem eas certis limitibus definivit.

De Graeca Ecclesia, iam iam ab exordio animadvertimus, divini Officii disciplinam ne hodie quidem uniformem esse. Haec difformitas, iuxta varias Ecclesias et Monasteria, ex eo oritur, quod generales leges deficiant, quibus ordinetur, ita ut etiam nunc sententia probabilis sit, singulos clericos ad quotidianam privatam recitationem non teneri. Nonnihil dicemus de usu quarumdam Ecclesiarum et Monasteriorum. Cassianus de usibus monasticarum Communitatum in Ægypto, saeculo IV, loquens (*Instit. III, 8 Method., Symp. V, 2*), refert quod in duabus Synaxibus euchologicis quotidianis, recitationem Psalmorum sequebantur duae Lectiones Scripturales, una ex veteri, altera ex novo Testamento, quod quotidie observabatur, Sabbatis et Dominicis diebus exceptis, quibus Lectiones legebantur ex novo

tantum Testamento. In historia peregrinationis S. Silviae Aquitanae ad loca sancta (Gammerini, *Romae 1887*) describitur diligenter Officium euchologicum quotidianum Cathedralis Hierosolymitanae (Anastasis) saeculo IV, sed nulla fit mentio de Lectionibus, nisi pro Officio Dominicae, quo die Episcopus legebat Evangelia. In festis tamen primariis D. N. et praesertim maiori hebdomada, lectio fiebat de S. Scripturae locis, qui solemnitati congruerent. In Ecclesia Alexandrina diebus Stationalibus, quibus S. Sacrificium non offerebatur, Sacrae Scripturae legebantur, quas postea Doctores interpretabantur (Philostorg. *H. E.* 112, Socrat. *H. E. VI. 8*). In plerisque Monasteriis Orientis libri SS. Patrum legebantur, non tamen uniformiter, sed vel in Ecclesia, vel ad Capitulum, vet ad mensam communem. Apud Graecos hodiernos, S. Scripturae lectio fit plerumque in Vesperis praecedentibus nonnullas solemnitates, et in Matutinis earumdem, Evangelii occurrentis. De lectionibus agiologicis *Synaxario* utuntur, seu compendio historiae Sanctorum, sed tantum in Choro.

II. Rationes ob quas Rubricae et Decreta praecipiunt, quod Initia Librorum S. Scripturae omitti nunquam debeant, duae sunt. Prima eo quod secus evenire posset ut lectio fieret alicuius libri, de quo nondum Initium recitatum fuerit, eo magis quod antiquitus non praemitteretur quotidie, sicut nunc fit, titulus libri ad denotandum ex quo Lectiones desumptae essent, sed praenunciabatur semel tantum quo die nimirum lectio libri incipiebat. Huius rei vestigium mansit in Lectionibus primi Nocturni Officii Nativitatis Domini, quae sunt libri Isaiae continuatio,

iam Dominica prima Adventus incepti et toto illo tempore lecti. Aliud vestigium in *Capitulis* invenimus, qui absque titulo leguntur, quia olim nil aliud erant, nisi continuatio Lectionum Matutini, vel quia ex Epistola Missae eruebantur, cui semper titulus libri praeponitur (*Merati ad Garant. Sect. V*). Alia ratio est, ut in toto anni decursu, brevis et completa notitia habeatur omnium fere librorum S. Scripturae. Dicimus omnium fere, quia nonnulli semper omittuntur, uti superius adnotavimus; alii vero, quaedam nempe Epistolae S. Pauli, adveniente Dominica Septuagesimae (*Rubr. Tit. XXVI, n. 8*).

II'. Antequam tertiae quaestioni faciamus satis utile nobis visum est adnotare, Initium Epistolae ad Romanos, de qua in casu, ob recentem elevationem ritus festi S. Thomae Episcopi et M. ad duplicem minorem, semper fixum remanere (cum adsignetur diei 30 Decembris), ideoque ex hoc capite distingui ab omnibus aliis Initiis, quae mobilia sunt (quia Dominicae vel feriae affixa). Ante hanc ritus elevationem die 29 Decembris, Initium Epistolae ad Romanos, relationem quodammodo habebat ad Dominicam infra octavam Nativitatis; namque si haec occurrisset die 29, officium S. Thomae (semiduplex) ad 30 transferebatur; die 29 officium fiebat Dominicae et praefatum Initium legebatur, die 30 in officio S. Thomae ad 1. Nocturnum Lectiones de Communi assumebantur. Nunc vero post ritus elevationem, Dominica die 29 occurrens, tantum commemoratur, et Lectiones dicuntur de Communi; die autem 30, in officio aut diei infra octavam, aut Dominicae (occurrentis seu translatae iuxta Rubricas) semper legitur

Initium ad Romanos. Hoc igitur Initium nullam amplius relationem cum Dominica habet.

Leges Rubricarum aut Decreta nulla extant pro Initio ad Romanos, quaestio solvenda proinde indirecte, ex aliis quae cetera Initia respiciunt. Ante omnia tempus ad illud reponendum opportunum novisse prodest. Pro Initiis mobilibus est propria hebdomada, aut etiam sequentes quoadusque lectio eiusdem libri prosequatur (*Rubr. Tit. XXVI, n. 7*). Nunc autem pro Initio ad Romanos propria Hebdomada nulla est (uti iam diximus), quia diei mensis affixum, sed dicta Epistola considerar potest velut unus ex libris, qui plures hebdomadas complectuntur, quocumque demum die incipiat. Verum, iuxta aliquorum sententiam, haec regula applicari nequit exacte, eo quod, si utile tempus extendatur ad Dominicam primam post Epiphaniam posset evenire ut, impeditis diebus 30 et 31 Decembris, dici debeant die 1ª Ianuarii lectiones Epistolae ad Romanos, festi Circumcisionis propriae, et post illam diem reponi *Initium* libri iam partim perlecti, quod praeter patentem ordinis inversionem etiam oppositionem diceret spiritui Rubricarum, quae sedulo incumbunt ut hoc vitetur inconveniens, ut videre est in Rubricis specialibus festorum Ss. Philippi et Iacobi, et S. Ioannis ante Portam Latinam. Sed huic sententiae opponi posset: 1° quod si considerentur Lectiones ad Romanos festi Circumcisionis propriae, nullum esset inconveniens eas legere veluti *proprias*, et aliquo sequenti die (non immediato, uti patet) incipere eiusdem lectio nem veluti de tempore, nec esset contra spiritum Rubricarum, quae citantur, quia idem casus evenire

potest, imo magis absonus, pro supra dictis festis, quando nempe v. gr. festum Ss. Philippi et Iacobi occurrerit Sabbato ante Dominicam IV post Pascha, quo casu duobus continuis diebus legeretur idem Initium Epistolae B. Iacobi. At omnis anxietas evanescit quando considerantur lectiones antecedentis diei tamquam *propriae;* 2° quod in festo ipso Circumcisionis reponi optime valeat Initium Epistolae ad Romanos, quod optime congruit solemnitati prout illius continuatio eidem diei assignata. Imo notabimus hoc bene attingere spiritum Rubricae festi S. Ioannis ante Portam Latinam, etenim, si haec Rubrica ait pro Initio Epistolae 1^ae^ S. Ioannis, satis esse quod legatur de alio occurrenti libro eiusdem Apostoli nempe Apocalypsis, multo magis satis erit legi de Initio libri eiusdem, nempe Epistolae ad Romanos, in casu occurrente. Nec valet opponere hic agi de Initio non proprie occurrente, sed translato, et in casu S. Ioannis de libro vere occurrente, respondemus enim et hoc evenire posse in casu S. Ioannis si v. gr. Initium dicti libri non sit occurrens sed ad illam diem translatum ob aliquod impedimentum. Concludimus ergo tempus utile ad nostrum Initium transferendum esse usque ad Dominicam 1^am^ post Epiphaniam, vel Circumcisionis festo apto considerato ad illud admittendum, uti nobis magis arridet, vel ulterius progrediendo.

Videamus an in casu impedimenti usque ad Dominicam 1^am^ post Epiphaniam, valeat nec ne anticipari. Guyetus (*Heort. Lib. 4, c. 18, q. 9*) et A Carpo (*Comp. Bibl. Lit. P. III, a. II, n. 56*) opinantur Lectiones *A Mileto* non esse proprias festi S. Tho-

mae, sed illi assignatae ob defectum occurrentium. Etenim quando ritu gaudebat semiduplici et transferri debebat in feriam 2^{am}, Initium legebatur die 29, quando vero non transferebatur, Initium legebatur die 30. Nunc vero cum gaudeat ritu duplici, Initium, etiamsi Dominica occurrat die 29, non amplius legitur die ipsa, secus dies 30 absque lectionibus 1. Nocturni remaneret, ergo ex necessitate, non ex privilegio, festum S. Thomae lectiones habet *A Mileto*. Atqui necessitas cessat si transferendum sit Initium aliquod (Cfr. Rubr. part. in festo Ss. Cleti et Marcellini), ergo, impeditis omnibus sequentibus diebus pro translatione Initii Epistolae ad Romanos, anticipari debet die festo S. Thomae.

IV. Iuxta Rubricas et Decreta generalia duo festa concurrentia, de quibus in casu, dimidiare deberent Vesperas. Sed Rubrica specialis in II. Vesperis S. Stephani infra octavam Nativitatis Domini non sinit hanc posse regulam sequi, sed aliam docet ratio autem ea forte est, quia psalmi sumuntur semper de die Nativitatis, et tunc, supposita paritate festorum, potiusquam dimidiare cum sequenti, praefertur Capitulum etc. de praecedenti, quia secus festum iam incoeptum, ius habens ad notabilem partem Officii, nimiam iacturam pateretur gaudens sola commemoratione. Et sane in II. Vesperis octavae praedicti festi S. Stephani, generalis Rubrica observatur, dimidiantur nempe Vesperae, cum psalmis praecedentis et Capitulo sequentis. Ne quis miretur nos dixisse regulam in Breviario praescriptam pro Vesperis S. Stephani supponere paritatem festorum, ac valere et pro ceteris casibus, ex eo forsan motus, quod specialis illa sit praerogativa festi illius,

cui Rubrica voluit favere prae illo S. Ioannis, nam in promptu est responsio: verum est Ecclesiam tribuisse S. Stephano eumdem honorem, quo Apostolos colit, « quia habitus est respectus ad insignem aedificationem per hos Sanctos Diaconos (Stephanum et Laurentium) collatam ob illustrissimum fortitudinis specimen, quod uterque praebuit in martyrio, quo clarificavit Stephanus Ierosolymam, Laurentius Romam (Tetamus, *Tr.* 1, *lib. III, pars II, cap. X*) »; sed verum non est maiorem illi tribuisse, aut S. Apostoli dignitatem non considerasse, uti clare patet ex recensito exemplo octavae, qua S. Stephanus vesperas dividit cum S. Ioanne Ap., sunt enim duo festa primaria eiusdem ritus et aequivalentis dignitatis in casu. Ergo si Stephanus paris habetur iuris cum S. Ioanne, et capitulum assumit, inter cetera, si quae concurrunt, paris item iuris festa, capitulum dabitur praecedenti. Recolantur praeterea, quae docuerunt anno elapso (pp. 279 et 617) *Ephemerides Liturgicae* plane huic solutioni conformia; ubi difficultates ex concurrentia S. Thomae semiduplicis cum Dominica sequenti, vel cum infra octavam desumptae nihili faciendas esse probatur, namque « quod S. Thomas cederet Dominicae sequenti, cum esset semidupl., hoc erat iuxta Rubricas generales, quod vero cederet et diei infra octavam, hoc nihil probat . . . . quia casus specialis est, recitari psalmos de festo non concurrenti, et in hoc casu speciali, Rubrica ad unitatem servandam, maluit post psalmos de Nativitate continuare idem officium in praeiudicium semiduplicis et in honorem octavae tam insignis. » Unde concludendum: in concursu festorum S. Thomae et S. Iosephi a Cupertino, redactor Ca-

lendarii Vesperas sic ordinare debebat: Antiphonae et Psalmi de Nativitate D., Capitulum cum reliquis de S. Thoma, commemoratio sequentis, nempe S. Iosephi, etc.

QUAESTIONES ANNI 1895-96

III.

1. *An Episcopis ius insit, omnes vel aliquas saltem pontificales functiones agendi in sibi non subiectis Ecclesiis, an potius pro omnibus et singulis Dioecesani placitum requiratur, antiqua et praesenti disciplina ac lege inspectis?*

2. *Utrum Episcopus dioecesanus ius habeat, et titularis permittere possit, ut Canonici habitu chorali induti suae Missae privatae assistant?*

3. *Num Canonici et Episcopus ordinarius ius habeant explicationem caudae impediendi in Titulari?*

CONCLUSIONES

Ex dissertatione R. D. G. Scarafia, habita die 8 Ian. 1896; Epitomatore R. P. Bonaventura a Collepardo.

I. Episcopi Apostolorum successores iurisdictionem a Christo Iesu acceperunt, Summo Pontifice mediante, cui velut Capiti subiecti manent. In praeconizatione Episcopus potestatem iurisdictionis et administrationis recipit, in consecratione potestatem Ordinis. Episcopus subditis carens, in quos suam

iurisdictionem exerceat, dicitur *Titularis*, qui autem subditos habet dicitur *Ordinarius* et regimen Dioecesis habere, partis nempe Dominici gregis, cuius universitati Romanus Pontifex praeest. Ex hoc sequitur Episcopum *exclusivam* iurisdictionem habere in propria Dioecesi, ita ut nulli alii liceat *alienam pervadere*, quemadmodum praecavetur in Canone Apostolico XIII.° Uti patet ex S. Bonifacii vita, antiquitus consecrabantur Episcopi etiam sine actuali iurisdictione, sed tunc agebant tamquam Ordinariorum, seu ipsius Summi Pontificis delegati. Secus enim haberentur *unius corporis duo capita*, *unius sponsae duo sponsi*; unde cum Constantius imperator iussisset ut una cum Papa Liberio, Romanam Ecclesiam et Felix (II.) gubernaret, fertur populus exclamasse: *Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus.* Nunc Ecclesiae regimen requirit exercitium ordinis episcopalis, quod aliis verbis dicitur *Pontificalia exercere* (idest munera Pontificis, seu Episcopi). De his Tridentina Synodus *(Sess. VI, cap. V)*: « *Episcopi in aliena Dioecesi nec Pontificalia exerceant, nec Ordines conferant.* - Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu, Pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ob executione ordinum sint ipso iure suspensi. » Plurima S. Sedis Decreta hoc caput illustrant et confirmant. Sequitur indubie ex dictis, quod si cuicumque Episcopo prohibetur Pontificalium usus in aliena Dioecesi, absque Ordinarii licentia, id a fortiori valet pro Episcopis Titularibus, etiam pro-

pria iurisdictione carentibus. Omittimus brevitatis gratia apostolica referre Decreta. Sit pro omnibus Constitutio Pii IV « Cum sicut accepimus » diei 21 Maii 1562, qua *Episcopos Titulares nuncupatos Pontificalia exercere in aliena Dioecesi, nisi de Ordinarii licentia, minime posse sancit.*

Dantur quoque quidam Praelati, qui etiamsi Episcopali charactere non sint insigniti, gaudent tamen, Ordinariorum more, iurisdictione plus minusve extensa. De horum iuribus loquens Pallottinus, ait Episcopum quemcumque non posse Pontificalia exercere, in eorum locis exemptis, si intra fines alicuius Dioecesis existant, nisi praeter Praelati licentiam, illam quoque habeat Episcopi Dioecesis illius: Si vero agatur de Praelatis exemptis cum territorio a quacumque Dioecesi separato, sufficit dicti Praelati licentia. Quod idcirco non valet de Praelatis Regularium, quamquam exemptorum, sine tamen proprie dicta iurisdictione (*S. C. Ep. et Reg. 10 Iun.* 1603). Concludimus ergo, non tantum aliquas, sed omnes pontificales functiones prohiberi ab Episcopis fieri in Dioecesi non propria, ad quas omnes et singulas exercendas, iuxta veterem et praesentem disciplinam consensus Dioecesani requiritur. Notandum tandem, prohibitionem huiusmodi a Tridentina Synodo expressam, ac suspensionem transgressoribus inflictam, confirmatam fuisse in Constitutione « Apostolicae Sedis, » est enim prima ex novem eiusdem S. Synodi, quas Summus Pontifex Pius IX voluit et declaravit retinendas. (1)

(1) Nil contra huius thesis tractationem opponere possumus; verumtamen oportunum, nisi necessarium, erat distinguere, quinam actus sub nomine *Pontificalium* veniant; a nonnullis enim

II. Nullum ex S. R. C. Decretis considerat tamquam privilegium Episcopi Ordinarii assistentiam Canonicorum, cum privatim celebrat in sua Dioecesi; imo ex iis constat S. Congregationem semper Canonicos exemisse ex hac assistentia, etiam instantibus Episcopis. Sacra quoque Congregatio Concilii idem sanxit, declarando Canonicos distributiones amittere si tunc temporis ad Chorum tenerentur. Contraria tamen consuetudo obligationem parere potest (S. R. C. 28 April. 1607). Supposita autem hac assistentia, habitus Choralis, nisi sit superpelliceum seu Rochetum cum superpelliceo, omnino prohibetur. Recens Decretum S. R. C. 10 Iunii 1893 in *Goana*, omnem sustulit dubitationem. Quod vero spectat Episcopum Titularem, evidens est, quod si Dioecesanus non potest cogere Canonicos ad inserviendum cum priva-

praesumitur eo sub nomine omnes actus comprehendi, qui cum pontificalibus paramentis exercentur, ita ut Missa quoque solemnis ab Episcopo non possit fieri, nisi de expressa licentia Ordinarii, sub suspensionis poena. Nunc id sustinere, quid nimis videtur, et, magno cum nostri animi solatio adnotavimus quod, cum a R.mo Moderatore Academiae, post dissertationem, dubium excitatum fuerit, an etiam Missa ab Episcopo cantata sub nomine veniat Pontificalium, magna exorta est quaestio; sed maior Censorum pars negativum iudicium protulit. Et merito, namque contraria thesis, salvo iure Ordinarii quoad Thronum et Baculum, imminuere videtur episcopalem dignitatem, eam, minoris habendo, qua Protonotarii Apostolici participantes gaudent. Hi nimirum Missam agere Pontificalem possunt etiam absque Episcopi Ordinarii consensu, dummodo illi de hoc nuncium mittatur. Imo et poena a Tridentino inflicta rem aliter interpretandam indicat. Iam nunc ut plenior habeatur rei explicatio lectorem ad dubii solutionem amandamus, in N.° 4 *Ephemeridum* praeteriti anni publicatam, ex qua conclusionis Academiae Liturgicae dilucidationem inveniet. *(Redactio)*

tim celebrat, a fortiori non posse Titularem, qui tali tamen frui valet assistentia si sponte praestetur.

III. Gavantus in suo *Manuale Episcoporum* (voce *Episcopus*, n. 12) ait: « Episcopus potest in aliena Dioecesi facere sibi deferre caudam. » Martinuccius item hanc concedit libertatem (lib. 8. c. 1.) « Si quod Officium de commissione Ordinarii sit celebraturus . . . . in Officiis tantum solemnibus nunquam vero in celebratione Missae lectae. » Et re quidem vera, cauda iurisdictionem non indicat, atque universalis cousuetudo hac ratione viget; cauda explicata significat potius solemnitatem. Sequitur ergo Episcopum Dioecesanum et Canonicos ius non habere explicationem caudae impediendi in Titulari, qui consequenter uti valet Caudatario.

DE OBLIGATIONE
QUARUMDAM LITURGICARUM FUNCTIONUM IN PAROECIIS.

(Contin. Dissertat. V, n. 2, pag. 108.)

7. Alia, de qua inquiritur, functio, est processio seu S. Marci, seu Rogationum. Praemittamus oportet, huiusmodi processiones esse antiquissimas; communiter enim S. Mamerto Viennensi Episcopo tribuuntur, qui floruit circa annum Domini, refert cl. Quarti, 452. Ita Valfridus, Rupertus Abbas, Micrologus, Amalarius, Durandus, aliique plures: ab Ecclesia autem universali approbatae deinde fuerunt, et receptae, (1) utpote ait praecitatus Quarti, eximia

(1) Auctor vitae S. Leonis III scribit: « Constituit, ut ante tres dies Ascensionis Dominicae Litaniae celebrarentur. » Praefatus autem Pontifex sedit ab anno 795 ad 816.

pietate conspicuae, et merito introductae (*De process. in partic. punct. X*). Causa vero fuit aversio calamitatum a christiano populo, divina propitiatio, et aeris salubritas: ut fructus terrae dare et conservare dignetur Deus, omnibusque necessitatibus suorum fidelium benigne prospiciat. Eapropter mos est praesertim in villis et rusticanis parochiis agros lustrare, et circumeundo eorum fines supplicationes hasce peragere; idcirco ab ambiendis arvis dicuntur processiones ambarvales, de quibus meminit Concilium Coloniense (*cap. 8*) et Mediolanense (*Tit. de process.*), atque tali ritu benedicuntur agri et asperguntur aqua benedicta, ut benedictionis fructibus fideles repleantur, iuxta benedictionem, quam dedit Isaac filio suo Iacob (*Gen. 27*), de rore caeli et de pinguedine terrae (*V. Quarti, loc. cit.*).

Ex his facile sequitur, duas praefatas processiones plurimi esse faciendas, ad easque pertinere functiones, de quibus superius diximus (*num.* 2) magni esse momenti, quas consequenter praeceptivas iudicare oportet. Hinc pluries citatus Quarti docet, earum omissionem, quia ordinariae sunt et ab Ecclesia praescriptae, esse contra obligationem, qua tenentur Episcopi et Rectores Ecclesias suas regendi, et curandi, ut nec Deo subtrahatur cultus debitus, nec minuatur fidelium devotio, et utilitas inde proveniens (*De oblig. celebr. process. punct. II, quaer. 1*). Eiusmodi autem sensus, ne dicamus et verba, ab omnibus fere auctoribus referuntur, et peculiariter a De Herdt et Wapelhorst, eamdem admittentibus in Ecclesiarum Rectoribus obligationem.

At quaerendum nunc, utrum haec obligatio dictas processiones agendi afficiat nec ne parochos, qui neque ad Cathedrales, neque ad Collegiatas pertinent Ecclesias, qui imo nullum clerum possident. Cui petitioni aliqua cum distinctione reponimus, scilicet: aut una est tantum in loco paroecia, aut plures: si

primum, parochus tenetur dictas processiones agere: si alterum, tenetur tantum parochus principalis Ecclesiae. Adeo ut in unoquoque loco debeat fieri una saltem processio, tam die S. Marci, quam in Rogationibus. Ratio est, quia huiusmodi processiones inter eas recensentur, quae ordinariae sunt, generales et publicae, de quibus sic loquitur Tridentinum: « Exempti omnes tam clerici saeculares, quam regulares quicumque, etiam monachi, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura vivunt (*Sess. XXV, cap. 13*). » Porro vix explicari tam severa ordinatio posset, nisi dictae processiones magni essent momenti atque in aliqua saltem loci Ecclesia praeceptivae. Hinc cl. De Herdt notat, distingui processiones: « in generales seu publicas et privatas. Generales sunt, ad quas clerici omnium Ecclesiarum illius loci seu civitatis conveniunt. Tales sunt processiones Litaniarum maiorum et minorum seu Rogationum' etc. (*S. Liturg. praxis, Pars 3, n. 313, 2°*). » Quod si ponas, unum esse in loco parochum, et has non fieri processiones, facile patet, id necessario contra ius esse, et contra finem earum institutionis. Si ver plures alicubi sint paroeciae, et una tantum, seu principalior, dictas peragat processiones, satis manifestum apparet, nil contra ius fieri, quod adimpletur, neque contra institutionis finem, quippe qui reapse obtinetur. Hinc, quamvis obligatio generaliter admittatur, sunt enim ex praescriptis; nihilominus communiter quoque retinetur, tunc eiusmodi obligationem afficere parochos, quando aut commode eae fieri possunt, aut quando secus nulla in loci Ecclesia fieret. Ita Quarti, De Herdt, Wapelhorst et alii: ex quibus dictus De Herdt scribit: « Id tamen limitandum est, si commode fieri possint, et tantum intelligendum de principali loci vel civitatis Ecclesia, si plures dentur, ad cuius processionem in diebus Rogationum omnes aliarum

Ecclesiarum istius loci vel civitatis Ecclesiastici convenire debent (*Pars p. 3, n. 74, 2°*). »

6. Transeamus ad processiones et expositiones in solemnitate Corporis Christi. Animadvertendum ante omnia est, processionem in festo, vel per octavam Corporis Christi, ad ordinarias et publicas indubie pertinere, id declarante S. R. Congñe. In una enim *Eugubina* explicite ait: « Processiones publicas esse SS. Corporis Christi, Litaniarum maiorum, Rogationum etc. (*2 Dec. 1661*). » Insuper satis explicite quoque id docet Rituale Romanum: adeo ut sicut pro aliis, de quibus hucusque in superioribus numeris disseruimus, ita et pro ea, de qua nunc inquiritur, optime valeant sequentia, quae ex praefato codice verba excerpimus. Postquam enim loquutus est Rituale de publicis sacrisque processionibus, *de quibus fideles praemonere et erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, PAROCHORUM OFFICIUM EST* (*Tit. IX, cap. 1, n. 1*), num. 8 habe: « Processiones autem quaedam sunt ordinariae, quae fiunt certis diebus per annum, ut in festo Purificationis B. Mariae semper Virginis, et in Dominica Palmarum, et in Litaniis maioribus in festo S. Marci, et in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, et in festo Corporis Christi. » Quod consequenter de aliis processionibus exposuimus, ad hunc quoque extendendum est. Imo potiori etiam iure; abunde enim constat: « Pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis, peculiari quodam et festo die, praecelsum hoc et Ven. Sacramentum . . . in processionibus reverenter et honorifice per vias et loca publica circumferretur (*Conc. Trid. Sess. XIII, Cap. 5*). »

Igitur, sicuti praefatas processiones diximus praeceptivas, ita hanc pariter praeceptivam tenemus. Quod tamen ut supra intelligas, seu cum praefata limitatione. Obligationem autem suadent sive lex Ri-

tualis, sive consuetudo, uti Tridentina Synodus loquitur, sive etiam nobilissimus huius processionis finis, sive denique fructus ab ea percipiendi, quibus privarentur fideles, si omitteretur.

Quod vero ad expositiones attinet, idem iudicandum est, quippe quae sunt veluti processionis consectaria. Laudabilis enim et universalis consuetudo est, ut SSmum Sacramentum aliquoties (non tamen multoties iuxta Decreta) deponatur super altaribus per viam erectis, flexisque genibus adoretur et laudetur, atque in fine detur populo adstanti solemnis benedictio. Eiusmodi autem consuetudo tam sancta atque utilis omnino servanda, cuius neglectus admirationem et scandalum citra controversiam in populo pareret. Aliunde satis notum ponimus, vix processionem aliquam consuevisse fieri, non solum cum Venerabili, sed etiam cum sacris Reliquiis, quin aliqua expositio habeatur, ac fideles benedictione donentur. Caveant ergo Parochi, ne et suis ovibus spirituali sint detrimento, sibique dedecori, quatenus boni in populo nominis iacturam faciunt, has seu processiones seu expositiones omittendo.

7. Quid vero de Missa solemni dicendum cum Absolutione pro defunctis die secunda Novembris? Si agatur de solemnitate Missae, hoc est de Missa cantata cum Diacono et Subdiacono, acolythis etc. certum est, dictam Missam non esse praeceptivam in paroeciis; imo nec esse praeceptivam dicendum, si agatur de simplici Missa cum cantu. Primo, quia nulla paroecia, a peculiaribus obligationibus abstrahentes, ad Missam cum solemnitate, vel cum cantu solum, tenetur; ergo neque ad eamdem tenetur Parochus die II Novembris. Secundo, quia Caeremoniale Episcoporum explicite loquitur, in casu, de Cathedralibus Ecclesiis, et quod pro Cathedralibus statuit, ad Collegiatas tantum extendit Ecclesias: « Et ita fiet in Collegiatis et Cathedralibus Ecclesiis, absente

Episcopo (*Lib. II, cap. X, n. 10*). » Equidem de officio loquitur, sed ad Missam quoque extendendum, quae potior est illius pars, nemo ibit inficias. Tertio Rituale de hac Missa silet, Missale autem habet: « Secunda die fit Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum : et dicitur Missa *Requiem aeternam* etc. Sed in Cathedralibus et Collegiatis dicuntur duae Missae, una de Octava post Tertiam, altera principalis pro defunctis post Nonam (*Die 2 Nov.*) » Ergo lex huiusmodi Missae cum cantu non tangit simplices paroecias. Quarto, denique, Missa solemnis aut cum cantu, eiusmodi est, ut obligare parochum, uti talem, nequeat; quia facienda esset hypothesis, adesse semper in illa ministros sacros, vel alios clericos paroeciae addictos, quod ut plurimum a vero alienum esset. Ergo Parochi, per se, ad dictam Missam solemnem, vel etiam cum cantu, die II Nov. nulla lege tenentur.

Haec quod Missam attinet; quid autem quod spectat Absolutionem censendum? Idem quod de Missa. Sive enim Caeremonialis liber inspiciatur, sive Missale, sive Rituale, aliud inferri non potest. Caeremoniale quidem respicere nequit simplices paroecias: de cetero nonnisi Absolutionem respicit, quae locum habet post solemniorem Missam. Missale, pro defunctis, idem supponit cum habeat : « Solemni Missa absoluta, Celebrans et Ministri etc. » Hoc de absolutione super cadavere ; sed idem quoque supponit, uti facile perpendenti patebit, cum agit de Absolutione super tumulum. Quod autem magis praestat, verba sunt, quibus Rubrica se exprimit loquens de Absolutione super tumulum, absente nempe corpore. Ait enim : « Post Missam Celebrans et Ministri, si facienda sit Absolutio, retrahunt se etc. » Haec autem dicendi ratio, eadem prorsus est, qua utitur Rituale Romanum, adeo ut utrumque codex perfecte consonent in admittenda pro Absolutione libertate, saltem quando cadaver non est praesens, uti die II Nov. com-

probatur. Hinc cl. De Herdt opportune notat: « Licet autem obligatio non detur (*de Absolutiones pos Missam facienda*), fieri tamen potest in istis diebus (*diebus III, VII, XXX et anniversario*), sicut etiam in Commemoratione Fidelium Defunctorum, et quibuscumque aliis diebus, modo dies permittat (*Pars 3, n. 261*). » Concludendum proinde est, sicut non datur obligatio in simplicibus paroeciis, de quibus agimus, canendi Missam die II Novembris, ita nec Absolutionis faciendae post privatam Missam: quod tamen intelligas, nisi specialis in loco obligatio detur aliunde proveniens, quam a Rubricis, de quibus nos locuti sumus.

Attamen non possumus, quin omnes singulosque Parochos enixe adhortemur, ut et Missam canant hac die, si fieri possit, et Absolutionem peragant super tumulum: vel etiam post Missam etsi privatam, dictam non relinquant Absolutionem, uti mos est propemodum universalis quarumcumque Ecclesiarum. Id enim et populi devotioni satisfacit, eiusque in defunctos pietati, propriae quoque pietati in eosdem defunctos satisfacit Parochus, et fideles exemplo suo aedificat, et defunctorum animas sublevat. Oppositum enim admirationem pareret, et scandalum quoque, dum tot suffragiis privaret sine causa animas piacularibus flammis addictas.

8. Denique aliquid dicendum super tribus Missis in Nativitate Domini. Super qua quaestione animadvertimus primo nullam existere legem, ex qua ad tres Missas teneatur simplex Sacerdos; ergo neque, si ipse est Parochus. Sacerdos non tenetur, quia, ut communiter omnes admittunt moralis scientiae periti, tres Missas celebrare merum privilegium est; ergo quivis Sacerdos illi renuntiare potest. Atqui si privilegium est pro simplici Sacerdote, privilegium est pariter pro Parocho; ergo sicut ille, ita et iste illi poterit renuntiare. Unica enim ratio, ex qua tenere-

tur Parochus, prae simplici Sacerdote, esse posset, quia fideles sibi subiecti ad eas audiendas obligarentur; sed hoc falsum esse compertum est omnibus, ergo Parochus ad tres Missas dicendas non tenetur.

Hanc pertractat quaestionem Tetamus; et licet nonnulli affirmative respondeant, ipse negat dicens: « Non est, unde huiusmodi obligatio Parochis imponatur (*Tract. I, Lib. III, Pars II, Not. Mens. Dec. C.XXV, n. 21*). » Citatque pro sua sententia Fagundez, Franciscum de Lugo, Bonacina, Busembaum, Raynaudum, Barbosa, La Croix, Diana, *et communissime Doctores simpliciter asserentes, nullum esse praeceptum dicendi tres Missas in Nativitate Domini.* His addere praestat S. Alphonsum, cuius sententiam facit suam Ballerinius (*Tract. X De Sacram. Lect. IV De Euchar. n. 301 in nota*). Casus exponens S. Doctor, in quibus non licet pluries in die celebrare, tres exhibet quoque casus exceptos, quorum primum sic ponit: « 1. Nocte nativitatis Domini; qua tamen non tenetur, *ne Parochus quidem*, celebrare tres Missas, sed potest aliquam pro arbitrio omittere (*Lib. VI, Tract. III De Euchar. n. 351*). » His positis, concludere omni certitudine licet, Parochum non teneri tres Missas celebrare in Nativitate Domini.

Cum Tetamo nihilominus adiungere fas est: « Limita vero, secluso contemptu et scandalo, quod quidem facile dari posse videtur, si fideles viderint se a pastore suo, absque legitima causa tam sancto et communi desiderio, et pia expectatione defraudari. Communissime enim fideles hodie volunt tres Missas audire, ut cum abundantiore fervore animi et spirituali laetitia, secundum intentionem ipsius Ecclesiae et universalem consuetudinem, Natale Domini celebrent (*Tract. I, Lib. III, Pars II, Not. Mens. Dec. n. 24*). » Quod, eadem de causa, subintelligas applicandum quoque esse ad Missam cum cantu et absolutionem in Com. omnium Fidelium Defunctorum, sicut ad alias functiones, quae licet *per*

se possint non esse praeceptivae in paroeciis, nihilominus, obligare possent ex alio motivo, puta consuetudinis, scandali, etc. etc. Haec pro responsione propositis Dubiis, qua pro modulo nostro arbitramur fecisse satis Ven. Consulenti. D. C.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Dioecesi Septempedana.* **De obligatione Decretorum particularium.** Plura dubia Decreti *Ord. Min. Capuccinorum*, d. d. 17 Dec. 1888, respiciunt Religiosos Fratres, pro quibus dictum Decretum factum est. Iam quaeritur: Utrum eadem aliaque Dubia inducant obligationem etiam pro aliis Ecclesiis?

Resp. Principium, quod verum credimus, est, ex Decretis alia esse Generalia, alia particularia: ex his autem alia stricto sensu particularia sunt, alia Generalibus aequivalentia. Generalia obligant universam Ecclesiam, uti patet, quia pro omnibus facta sunt Ecclesiis particularibus: aequivalentia pariter omnes Ecclesias particulares afficiunt, sunt enim declarationes vel explicationes Rubricarum, quarum observantia universam respicit Ecclesiam: stricte particularia illam unam afficiunt Ecclesiam cui data sunt; respiciunt enim aliquam consuetudinem localem, vel aliquod privilegium, vel quid aliud aliis Ecclesiis non extendendum. Expositum applices principium, et nullius negotii erit propositi Dubii solutio. Ex. gr. Dubium VII citati Decreti quaerit, *utrum Missae conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes*, sive quoad *collectas, sive quoad preces* post Missam dicendas ex mandato Pontificis. Iam nunc Missae conventuales sunt ex Rubri-

cis, et iuxta Rubricas sunt ordinandae; ergo responsio ad hoc Dubium, afficit omnes Ecclesias, in quibus Missa conventualis dicitur sine cantu, eaque consideranda, licet lecta, uti solemnis. Dubium V agit de cantu Missae recitativo, de quo inquirit num tolerari queat. Eiusmodi dubium respicit consuetudinem Fratrum Capuccinorum, et nonnisi illis applicari potest Ecclesiis, in quibus eadem consuetudo viget. Dubium XIII inquirit, an sacra tabernacula esse possint ex nudo ligno, an inaurari debeant. Hoc Dubium eiusque proinde responsum, fratres tantum Capuccinos afficit, cum de speciali concessione agatur, uti ex eodem responso abunde patet. Ex principio consequenter, quod admisimus, quod et exempla confirmant, facile est coniicere quid in praefato Decreto, imo et in aliis similibus, alias Ecclesias obliget, quid vero nequaquam.

II. *Ex eod. loco.* **De Commemoratione praecedentis omittenda, Desponsatione cum sequenti Sacra Familia concurrente.** Pluries in Ephemeridibus actum est de Desponsatione concurrente cum sequenti Sacrae Familiae festo, et nihil definitum est: nunc quaeritur, utrum eiusmodi quaestio resoluta censenda sit post Decretum *Ord. Min. S. Franc. Capuccinorum*, d. d. 13 Nov. 1896?

Resp. Affirmative; citatum namque Decretum edicit, in Suffragiis commemorationem B. Mariae et S. Ioseph non esse agendam in Ecclesia, cuius Titulus est Sacra Familia. Verum qua de causa, nisi quia tam de B. Maria, quam de S. Ioseph memoria facta fuit in Suffragio de Titulari? Etenim eiusmodi commemorationes in Rubricis Breviarii praescribuntur, consequenter si S. R. C. eas agendas non esse

in casu decernit, id citra dubium unica hac de causa disponit, quia videlicet secus haberetur *bis in idem*. Atqui quod in Suffragiis, etiam in concursu ad Vesperas nostro in casu pariter comprobaretur; ergo per dictum Decretum resoluta est quaestio, ut in casu com. de S. Maria et S. Ioseph omitti debeat.

III. *E Gallia*. **De concursu inter duo festa secundaria**. Concurrunt simul festum translatum Decollationis S. Io. Baptistae. et Commem. Ss. Episcoporum Massiliensium, utrumque secundarium et eiusdem ritus: quomodo ordinantur Vesperae?

Resp. Iuxta Decretum *Viglevanen*. d. d. 21 Febr. 1896 ad 1, ex duobus festis ritu paribus primariis *aut secundariis*, praecedentia competit digniori; ergo in casu integrae Vesperae tribuendae sunt Decollationi S. Ioannis Baptistae, et sola commemoratio dabitur alii concurrenti festo, cum illud sit isto dignius.

IV. *Ex eod. loco*. **De trium festorum cccursu.** Die 21 Nov. occurrunt hic tria festa, nempe: dies octava Omnium Ecclesiarum, Praesentatio Deiparae et festum Reliquiarum Ecclesiae Massiliensis. Primum ex tribus agendum est, alia duo transferenda: quaeritur, quaenam ex his duobus in repositione praeferenda?

Resp. Nullam Dubium praefert difficultatem, cum festum Reliquiarum ad primaria pertineat, Praesentatio ad secundaria, et primaria festa sunt secundariis praeferenda in occursu, in concursu et repositione. Ergo primo reponetur festum Reliquiarum, inde Praesentationis.

V. *E Friburgo in Helvetia*. **De quodam concurrentiae casu.** Die 15 Febr. alicubi hoc anno factum

est de S. Tito Ep. Conf. dup., die vero sequenti, seu 16, actum est de Oratione D. N. in Monte Olivarum dup. mai., et ad instar simplicis redactus B. Gregorius X. P. C. Porro duorum Calendariorum alterum ordinabat Vesperas sequenti modo: *Vesp. de seq. com. B. Gregorii X. P. C. (dup. simpl.) et praec.* alterum vero habebat: *Vesp. de seq. com. praec. et B. Gregorii X. P. C. simplif.* Nonne hoc ultimum recte, primum male redactum fuit?

Resp. Affirmative, citra omnem controversiam. Decretum enim Gen. d. d. 5 Febr. 1895 satis explicite ac perspicue loquitur, adeo ut vix detur facultas explicandi rationem, ex qua com. redacti ad instar simplicis praeferri adhuc valeat praecedenti. Lex est universalis, ut prima com. post Orationem diei ad Vesperas esse omnino debeat alterius festi concurrentis; nec ulla datur exceptio, si a commemorationibus abstrahas, quae ratione concomitantiae, ut ita dicam, nunquam separantur. De his, ceterum, non agit praecitatum Generale Decretum, sed tantum de illis commemorationibus, quae vices supplent officii, quod fieri non potest. Ea propter, post dictum Decretum, Vesperae quaecumque maxima cum facilitate ordinantur, quod saltem spectat primam commemorationem post Orationem diei; cum sufficiat scire quodnam ex officiis concurrat, ut eius commemoratio statim Orationem diei subsequatur, ritu, qualitate primarii, dignitate, aut quibuscumque aliis concurrentis praerogativis neglectis. Cum ergo in casu officium concurrens esset S. Titus, huius com. praeponenda erat alteri de B. Gregorio X ad ritum simplicem redacto ac proinde non concurrenti.

VI. *E Galliis* **De voce** *Alleluia* **in Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu.** In Decreto 3 Iun. 1892 in Lincien. ad X in Missa votiva SS. Cordis Iesu *(Miserebitur)* extra tempus paschale, *alleluia* dici debet ad Introitum, ad Offertorium et ad Communionem. Quaeritur: *a*) Curnam in Missa votiva de Sacramento eadem vox *alleluia* dici non debet, uti in Missali videre est? *b*) Qui ex indulto utuntur Missa *Egredimini*, quomodo se gerere debent circa *alleluia* in Missa votiva per annum?

Resp. a) De *alleluia* in Missa votiva SS. Cordis Iesu extra tempus paschale alibi diximus (*V. an. 1894, pag. 63, Dub. IV*), haesitantes, num dicenda ea vox esset, an non; idque ob duo Decreta, ex quibus generaliter antiquius respuit, recens exigit dictam iubilationis vocem. Nunc, quasi certum omnino esset, recentiori, non antiquo standum esse Decreto, inquiritur, quare dum *alleluia* in Missa votiva de SS. Corde dici debet, nihilominus iuxta Missale omitti debet in Missa votiva de Sacramento. Nos vero reponimus, impraesenti vix amplius dubitare posse, Decreto esse adhaerendum antiquiori, haud vero recentiori. Ratio est, quia iubilationis vox extra paschale tempus reperitur quidem pluries in Offertorio, et in Communione, sed in Introitu bis repetita invenitur nunquam, uti etiam in supercitato Ephemeridum loco notavimus, nonnullis quoque adductis exemplis, quibus alia permulta addi possent, si necessarium esset. Ergone Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu primum et unicum efformaret exceptionis casum de duplici *alleluia* in Introitu extra tempus paschale? Absolute negamus; sed potius dicimus, *alleluia* in Introitu cuiuscumque

Missae, etsi festivae, multoque minus votivae, nullo pacto habere locum extra tempus paschale. Consequenter neque in Missa votiva SS. Cordis Iesu, uti Decretum *Cameracen.* iure merito edicit, dictum *alleluia* habere potest locum. Cumque hoc certum sit de *alleluia* ad Introitum, et idem Decretum eodem modo rem quoque disponat circa *alleluia* ad Offertorium et Communionem; hinc etiam inferimus, *alleluia* neque ad Offertorium neque ad Communionem esse in casu adiiciendum. Ergo servandum plane Decretum *Cameracen.* d. d. 16 Sept. 1865 ad V, haud vero recentius *Lincien.* d. d. 3 Iun. 1892 ad X: quod fortasse typographicum continet errorem, nempe *Negative* pro *Affirmative.* Hoc autem eo magis certum iudicamus, quod Missa de SS. Corde Iesu iisdem debet normis dirigi, ut Missa votiva de Sacramento; sicut enim Missa festiva de SS. Corde assimilatur festivae de Sacramento, ita de eodem SS. Corde votiva votivae de Sacramento assimilari debet, uti optime Rm̃us Consulens iure supponit. Atqui votiva Missa de Sacramento extra tempus paschale habere non debet *Alleluia* neque ad Introitum, neque ad Offertorium, neque ad Communionem; ergo idem dicendum de Missa votiva SS. Cordis Iesu. His positis quid primo respondebimus? Iure in Missa votiva de Sacramento *alleluia,* non dici, quia nil aliud illa est quam Missa de eodem festiva, quae tamen ritum paschalem imitatur, ob tanti festi laetitiam: quam, cum exprimere non possit Ecclesia die Institutionis Eucharistiae ob mysteria Passionis, die festivitatis explet. Nunc autem Missa votiva, quae extra tempus paschale dicitur, absonum est, ut ritu pa-

schali dicatur; ergo nullum ferre debet *alleluia*. Inde concludimus: Missa votiva de SS. Corde Iesu nullum habebit ad Introitum, ad Offertorium et ad Communionem *alleluia* extra tempus paschale: habebit autem dicto tempore, more aliarum Missarum votivarum: sicuti Missa de Sacramento nullum habet pariter *alleluia* extra tempus paschale, sed pariter habebit intra id tempus, uti in Rubrica speciali ante Missas votivas posita legere est.

b. Ex dictis sequitur responsio ad alterum quaesitum: nam eodem modo ratiocinandum de Missa votiva *Egredimini*, ac ratiocinati sumus de Missa *Miserebitur*, cum ratio non suppetat, ex qua aliter de illa iudicandum sit. Ea propter Missa *Egredimini* sine *alleluia* extra tempus paschale, et additis consuetis duobus *alleluia* ad Introitum paschali tempore dicenda est. De *alleluia* addendo ad Offertorium et Communionem silemus, iam enim habent, quae tamen extra id tempus more solito omittentur.

VII. *E Bohemia*. **De Missis de requie privatis pro die obitus non transferendis.** Possunt ne Missae privatae praesente cadavere permissae in casu impedimenti, transferri in aliam (post biduum) diem liberam, quando etiam Missa solemni de Requie iuxta decret. 7 Sept. 1816 in Tuden. ad 43 (4526) in eandem diem transferenda est? Ex. gr. defunctus vespere fer. 4. mai. Hebd., terrae mandatur fer. 6. in Parasceve; Missa vero solemnis de Requie transfertur in primam diem liberam, quae est fer. 4. infr. Oct. Pasch., et qua dein fit *pro die* depositionis. (Confer decret. in Sutrina 23. Sept. 1837, ad 1).

Resp. Negative. Missam enim exequialem in ca-

su exposito transferri asseri potest. sed magna cum limitatione; quia illa Missa, quae omnibus diebus, etiam duplicibus I classis (dummodo officia divina non impediantur aut magna diei celebritas non obstet) permittebatur et permittitur, eo quod praesente cadavere, prohibitam Decreta volebant, cadavere sepulto, in quibuscumque duplicibus I et II classis ac diebus feriatis. Quomodo autem nunc, teneri potest. Missas privatas praesente vel phisice vel moraliter cadavere permissas in duplicibus II classis et inferioris ritus, dummodo non feriatis, transferri posse in alium diem, nisi lex eundem diem aliquo modo determinet? Nemo profecto sibi potestatem facere potest, dictas Missas translatas censendi permissas, uti die vel pro die obitus, in duplicibus II classis, sed neque in duplicibus maioribus aut minoribus, cum lex taceat, eiusque loco staret arbitrium.

Nota 1. Dubia super Missis privatis de requie, praesente cadavere, omisimus: videat adm. Rev. Consulens Decretum initio huius numeri relatum.

Nota. 2. Quid velit censura notari in Dubio IV, nos non intelligimus. Refertur, nos dixisse (*an. 1896, pag. 686*) aliquod extare Decretum praeferens S. Barnabam aliis Sanctis eiusdem ritus in translatione, et Decretum istud antea retulisse (*pag. 516*) quod edicit: *Festum translatum S. Barnabae esse adhuc celebrandum iuxta ordinem temporis ante alia festa eiusdem ritus*; ergo . . . *existit purgatorium.*

VIII. *Ex eod. loco.* **De doxologia** *Iesu tibi sit Gloria* **ratione officii votivi commemorati.** Concurrit praecedens festum Sanctae Virg. cum sequenti Officio votivo de SSmo Sacramento: Vesperarum Hymnus

Iesu, corona Virginum, propter commem. de sequenti Officio votivo, estne concludendus per *Iesu tibi sit gloria*, et ℣. *Benedicamus* canendus modo ut in festis B. M. V.? Affirmare videntur « *Ephemerides Liturg.* (an. 1896. pag. 439 in Nota 1). - *Gavantus* (Sect. V. Cap. VI. n. 15): in verbis: « si in primis Vesperis . . . fiat tantum Commemoratio, adhuc illud dicitur in Completorio » pro Hymno Vesperarum in hoc casu affirmare non videtur. - *Decret. S. R. C.* 11. Mart. 1871 Societ presb. SS. Sacram. ad 1. (5476), hunc casum non comprehendit.

Resp. Quando alterum ex duobus officiis concurrentibus gaudet doxologia propria et habet saltem commorationem, dicta doxologia accipienda, si metrum permittat, in hymno alterius festi concurrentis, de quo Vesperae fiunt. Hoc non pertinet ad opinionem auctorum, sed ad legis dispositionem. Lege ex. gr. Rubricam officii S. Mariae in Sabbato, quae extat ante Matutinum et habebis: « In fine hymni *Te lucis ante terminum* dicitur *Iesu, tibi sit gloria, etc. etiamsi in Vesperis facta sit tantum Commem. de B. M. etc.* » Item legas Decretum *Societatis Ss. Sacramenti* d. d. 11 Mart. 1871 ad 1, eandemque veritatem perspectam habebis. Nescimus autem quare Decretum istud casum expositum non comprehendat, specialiter si responsum consideres, quod praefatam Rubricam invocat, ad eamque remittit. Officium enim S. Mariae in Sabbato votivum, lato saltem sensu, dici potest: adeo ut optime quadrare possit proposito Dubio.

IX. *E Pechino in Sinis.* **De** *Regina coeli* **dicenda pro** *Angelus Domini* **in Sabbato Sancto ad meridiem.** Decretum S. C. Indulg. 20 Maii 1896

(*V. Ephem. an.* 1896, *pag.* 576) declaravit, in Sabbato infra octavam Pentecostes recitandam esse antiphonam *Regina coeli*, non vero *Angelus Domini*. Sed hic alia quaestio insoluta adhuc viget de hac vel illa recitanda in ipso Sabbato Sancto. Quaeritur ergo, qualis ex duabus antiphonis ea die recitari debeat ad indulgentiam lucrandam.

Resp. Certum est, gaudia paschalia incipere ab *alleluia*, quae canitur in Missa Sabbati Sancti : de hoc nemo dubitat. Certum est ex eo tempore *alleluia* pluries repeti in functionibus liturgicis, aut ecclesiasticis, si quae locum habent. Antiphona *Regina coeli* equidem in Vesperis Sabbati Sancti locum non habet, sed tantum ad Completorium ; verum si antiphona finalis dicenda esset in dictis Vesperis, uti in aliis ordinario accidit, putasne recitaretur *Angelus Domini?* Vix credibile est ; quia *alleluia* incepit, et non est ratio cur ad antiphonam *Angelus Domini* sit redeundum. Benedictus XIV iussit : « ut tempore paschali perdurante . . . recitetur . . . *Regina coeli* (*Notific. 20 Apr.* 1742). » Tempus autem quod incipit ad Missam in Sabbato Sancto usque ad Dominicam in Albis est veluti antonomastice paschale, melius indubie quam quod decurrit a dicta Dominica ad usque Sabbatum Trinitatis. Haec, quantum scimus, universalis praxis fidelium.

Opponitur, Ecclesiam in meridie nondum recitasse *Regina coeli ;* sed reponi potest id non obstare eius recitationi. Ideo namque nondum recitavit, quia vi legum liturgicarum nonnisi post Completorium ea die recitari debet, non quia antea recitatio illius non congrueret, sed tantum quia locum non habet. Adeo

ut, si recitari deberet finalis antiphona ad Vesperas in Missa, non *Angelus Domini* i dubie recitaretur, ut superius animad ertimus, sed *Regina coeli*, haec enim tempori respondet, non amplius altera. His perpensis, ad propositum dubium respondemus, in meridie Sabbati Sancti antiphonam *Regina coeli* esse dicendam, haud vero *Angelus Domini*.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Placentia*. Plura in Officio divino signa devotionis ex laudabili consuetudine fieri solent, quae in Rubricis praescripta non sunt. Ex. gr. ad *Converte nos Deus* in Completorio fit in pectore signum crucis: ad *Indulgentiam* post Confessionem fit consuetum crucis signum: in fine dum dicitur *Benedicat et custodiat nos etc.* fit pariter signum crucis, etc. etc. Constat autem ex Decretis, eiusmodi signa fieri posse, vigente consuetudine; nihilominus in officio chorali maxime optandum, ut servetur uniformitas.

II. *Pro eod. loco*. In benedictione Rosariorum, numismatum etc. pro indulgentia applicanda sufficit ea manu benedicere, nulla adhibita formula: ita S. C. Indulg. 14 Apr. 1840 et 7 Ian. 1843. Excipe Rosaria S. Dominici et Coronas B. M. V. a doloribus dictae; pro his enim eadem S. C. exigit peculiarem praescriptam formulam (*Decr. 29 Febr.* 1864).

III. *Pro Ora divite in America centrali*. Parochus qui eadem die plura sepelire debet cadavera, adeo ut pro exequiis agendis tempus illi non suppetat, nec alius ibi praesto sit sacerdos, utatur iure

suo ex recentioribus S. R. Congñis dispositionibus: vi quarum potest exequias peragere duobus insequentibus diebus, eodem modo ac si cadaver esset physice praesens. Quod vero pertinet ad dies III, VII, XXX et anniversarium, nulla certa lex permittit. eos posse vel anticipari vel transferri, nisi ratione liturgici impedimenti. Attamen, cum dies praefati computari possint ab obitu vel a sepultura, iam patet diem quartam ab obitu, quae tertia esse facile potest a sepultura, pro uno defuncto eligi posse, tertiam pro alio: idem dicas de aliis privilegiatis diebus, sicque commode potest parochus suffragio defuncti, sibique consulere.

IV. *Pro eod. loco.* Indulgentia festis adnexa, vi Decretorum transfertur semper cum externa solemnitate; hinc Episcopus facile providere potest, ut populus occasionem Indulgentiae alicuius lucrandae non amittat.

V. *Pro Civitate Calceatensi.* *a*) Si Missa solemnis exequialis prohibetur tempore solemnis Expositionis Eucharistiae, a fortiori privatae. *b*) Omnes norunt Missam et Benedictiones in ea contentas ad solemnitatem nuptiarum pertinere, ac proinde prohiberi tempore clauso, ita ut, nec commemoratio fieri possit in Missa diei. *c*) Nil mutatum est de iure antiquo, quoad Missas de Requie vetitas tempore expositionis SSmi Sacramenti, ita ut expositio privata prohibeat in Altari tantum expositionis, publica in omnibus Altaribus Ecclesiae. *d*) Celebrans Missam de Requie nesciens aut oblitus nominis defuncti, pro quo illam applicat, nulla anxietate affici debet coactus omittere illius mentionem in oratione propria,

quae unica, vel primo loco dicitur; imo si nesciat an applicatio sit facienda pro vivis an pro defunctis, Missam de Requie dicere optime potest cum orationibus prout in Missis quotidianis. *e*) Ex Decreto d. 13 Febr. 1892 ad XXVI in *Calagur. et Calceat.*, satis innotescit non debere fieri capitis inclinationem ad nomen Sancti, de quo agitur Vigilia et non festum.

Nota. Rmum Inquirentem emendationes circa Praenotanda iam perlegisse putamus in num. 2 currentis anni, ideoque ab aliis responsionibus abstinemus. Quoad Processionem S. Marci, dicimus minus distincte comprehendi sub verbo Rogationum. *Causam gravem* excusantem phisicam praesentiam cadaveris, respondemus non esse tantum morbum contagiosum aut civile vetitum, sed posse dari alias; ita ex novissimo iure.

MONITUM.

Publicationem quaestionis pro mense Martio propositae, a pluribus solutae, consequenter et promissi largitionem praemii in sequentem Aprilem differre cogimur. Ratio est, quia cum fere omnes inter se, alii per totum, alii per varia capita, ita discrepent, ut ubi sit veritas dignosci difficile queat; gravi metu perculsi fuimus, ne alicuius evulgemus dissertationem, ac praemio proinde donemus, quae fortasse in errore versatur. Hinc excusationes apud Ven Solutores facimus, si mensis dilationem accipimus, ut ubi, maiori saltem probabilitate insit, veritas certiores reddamur. Interim alia de more proponitur.

QUAESTIO SOLVENDA

pro mense Maio.

Quinam sit sensus verborum, quae Episcopus post factam Ordinationem dirigit ad Neosubdiaconos et Neodiaconos, hoc est: « (*dicite*) nocturnum *talis* diei. »

APPENDIX

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Officiorum ac munerum, quae diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque haec summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si unquam alias, maxime est necessarium hoc tempore, cum, effrenatis licentia ingeniis ac moribus, omnis fere doctrina, quam servator hominum Iesus Christus tuendam Ecclesiae suae ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variae profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi: sed cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad inquinandos animos per contemptum religionis perque illecebras multas peccandi. Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturrime intellexit, remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda: ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet. Vehemens hac in re studium beati Pauli viderunt proxima originibus tempora: similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantia, iussa Episcoporum, Conciliorum decreta, omnis consequens aetas.

Praecipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint romani Pontifices, ne haereticorum scripta, malo publico, impune serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I Pelagii, Leo magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere. Cognitae eadem de re sunt litterae *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris,

quas Gelasius opportune dedit. Similiter, decursu aetatum, Monotheletarum, Abaelardi, Marsilii Patavini, Wicleffi et Hussii pestilentes libros, sententia apostolicae Sedis confixit.

Saeculo autem decimo quinto, comperta arte nova libraria, non modo in prave scripta animadversum est, quae lucem aspexissent, sed etiam ne qua eius generis posthac ederentur, caveri coeptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua caussa, sed omnino tutela honestatis ac salutis publicae per illud tempus postulabat: propterea quod artem per se optimam, maximarum utilitatem parentem, christianae gentium humanitati propagandae natam, in instrumentum ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X, decessores Nostri, certas tulere leges, utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores librarios in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius oportuit malarum haereseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X, posteaque Clemens VII gravissime sanxerunt, ne cui legere, neu retinere, Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies, ampliore ac praesentiore remedio opus esse videbatur. Quod quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV, decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo post Tridentinae Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate iussuque lecti ad id praesules et theologi non solum augendo perpoliendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas: quibus Regulis Pius IV apostolicae Auctoritatis robur adiecit.

Verum salutis publicae ratio, quae Regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem romani Pontifices nominatimque

Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV, gnari temporum et memores prudentiae, plura decrevere, quae ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt.

Quae res praeclare confirmant, praecipuas romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderet. Neque fructus fefellit operam, quam diu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex aeterna praefuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis praescriptiones, quae excidisse opportunitate pristina videbantur; vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitigavit. Praeterea, propinquo iam Concilio magno Vaticano, doctis viris, ad argumenta paranda delectis, id negotium dedit, ut expenderent atque aestimarent Regulas Indicis universas, iudiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, iudicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliae extant hac de re litterae, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *illae Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliori instaurarentur.* Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium, ut *Regulae Indicis... recenti revisioni et redactioni submittantur.* Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures.

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane aequa postulant et cum materna Ecclesiae sanctae caritate convenientia. Etenim

in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litterae licentius excurrant: inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicae. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum: ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatae lectionis diligentissime recognosci Indicem; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum, vulgari iussimus. Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur: quae quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanatosqe ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt: quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae synodi iussu editis, *Observationibus*, *Instructione*, *Decretis*, *Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV: *Sollicita et provida*, quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.

DECRETA GENERALIA
De prohibitione et censura librorum.
TITVLVS I. DE PROHIBITIONE LIBRORVM.
CAPVT I.

De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.

1. Libri omnes, qui ante annum MDC, aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnates aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

CAPVT II.

De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permituntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

CAPVT III.

De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri, Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur Versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilomibus Versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

CAPVT IV.

De Libris obscenis

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

CAPVT V.

De quibusdam specialis argumenti Libris.

11. Damnatur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui,

vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio n mis coarctatur. Prohibentur quoque libri qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere, in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitionis docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

CAPVT VI.

De Sacris Imaginibus et Indulgentiis

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

Caput VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et Litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

Caput VIII.

De Diariis, foliis et libellis periodicis.

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quid quam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

Caput IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quos-

cumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem Apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptos, nisi eis in Apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

Caput X.

De denunciatione pravorum librorum.

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denunciare, id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum, doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur, ob quas liber censura dignus aestimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apo-

stolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

TITVLVS II. DE CENSVRA LIBRORVM.

CAPVT I.

De Praelatis librorum censurae praepositis.

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si Auctor Romae degens librum, non in Urbe, sed

alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAPVT II.

De censorum officio in praevio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant, Ecclesiae sanctae dogmata, et communem Catholicam doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

CAPVT III.

De libris praeviae censurae subiiciendis.

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

CAPVT IV.

De Typographis et Editoribus librorum.

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ad Apostolica Sede damnati ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant: nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudentur existimare possint, ab emptore legitime peti.

CAPVT IV.

De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excomunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes, vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate

serio ab Episcopo moneantur; et si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, VIII. Kal. Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

A. Card. MACCHI.

A. PANICI Subdatarius.

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium. I. CVGNONIVS.

EX SUPR. CONG. S. OFFICII.

R. P D. Episcopus N. N. sequentia exposuit:

N. N. Sacerdos dubitat de validitate suae Ordinationis ob sequentes rationes:

1.° Episcopus ordinans, dum calicem cum patena, vino et hostia ordinandis traderet et formam Pont. Rom. proferret, *forsan* ipsa instrumenta non tangebat, quamquam, ante eum genuflexi, interim canditati tangerent, aliquo modo clerico ea sustentante.

2.° Ipse N. N. ordinatus, post primam manuum impositionem, ab altari, ut alii sex ordinandi bini et bini accederent impositionem huiusmodi accepturi, secessit, spatio circiter trium metrorum, ibi scamno innitens genuflexus institit, *fortasse* seiunctus ab aliis ordinandis, qui erant propius altari, nec ad altare accessit cum Episcopus et Sacerdotes secundam dexterae manus agerent impositionem, quae est de essentia Ordinationis.

Dignetur Em. V. rescribere mihi an Sacerdos sic ordinatus rursus ordinationem *sub conditione* suscipere teneatur, vel imponi ei possit ut conscientiae tranquillitatem resumat, tum quia traditio istrumentorum *probabilius* non est de essentia Ordinationis, tum quia dum Episcopus et Sacerdotes manum extensam tenerent, in secunda impositione, ipse ordinatus moraliter vicinus seu aliis unitus et physice praesens erat, in ipso Praesbyterio, seu Sanctis Sanctorum, quamquam, ut supra ab altari distans.

Quibus dubiis ad examen sedulo vocatis, in Congregatione Generali habita feria IV die 2 Decembris 1896 Emi ac Rmi Dni Cardinales, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum mandarunt:

Ad utrumque: *Adquiescat.*

Sequenti vero feria IV die 4 eiudem mensis, SSmus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, in solita audientia r. p. D. Adsessori impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem benigne approbare et confirmare dignatus est.

I. Can. Mancini *S. R. et U. I. Notarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDVLGENTIIS ET SS. RELIQVIIS PRAEPOSITA

—

DECRETVM

VRBIS ET ORBIS

EX AVDIENTIA SSMI DIE 2 FEBRVARII 1897

Iam diu apud Christifideles praesertim Italos ea in more est piarum laudum formula, cuius initium, *Dio sia benedetto:* qui religionis actus, praeter quam per se optimus, etiam opportune valet, quemadmodum initio institutus fuit, ad honorem compensandum divini Nominis rerumque sanctissimarum, tam multis quotidie impiis vocibus passim violatum. Proximis autem temporibus inductum est multis locis, Episcoporum concessu vel iussu, ut ea ipsa formula recitetur publice in Ecclesia, sive ad benedictionem cum Venerabili Sacramento impertitam, sive post divini sacrificii celebrationem. Huiusmodi increbrescentem consuetudinem SSmus Dominus Noster Leo PP. XIII, non semel, data occasione, probavit et commendavit. Nuper vero, quo illam vehementius commendaret eoque amplius foveret, constituit, tum eidem formulae laudem interserere in sacratissimum Cor Iesu, tum augere munera sacrae indulgentiae, quibus ea donata est a Decessoribus suis sa. me. Pio VII et Pio IX. Alter enim die 23 Iulii 1801 concessit « indulgentiam unius anni pro qualibet vice laudes eas corde saltem contrito ac devote recitantibus .» Alter vero, die 22 Martii 1847, « eam ipsam indulgentiam animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem esse declaravit »; tum etiam eodem anno, die 8 Augusti, indulsit « ut omnes « utriusque sexus Christifideles semel saltem in die dictas lau-« des per integrum mensem recitantes, indulgentiam plenariam « una tantum cuiuslibet mensis die, uniuscuiusque arbitrio « eligenda, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Com-« munione refecti fuerint, et aliquam Ecclesiam seu publicum « oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium

« iuxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effu-
« derint, lucrari possint et valeant: facta insuper potestate
« ipsam etiam plenariam indulgentiam fidelibus pariter de-
« functis applicandi. »

Itaque SSmus Dominus Noster, quod spectat ad contexctum formulae earumdem laudum, statuit ut laudi quarto loco positae, scilicet *Benedetto il Nome di Gesù*, haec subiungatur: *Benedetto il suo sacratissimo Cuore.* Quod vero ad indulgentiam attinet, benigne tribuit ut, confirmatis indulgentiis partiali et plenaria supra commemoratis, duplicetur ipsa indulgentia partialis, quoties eaedem laudes publice devoteque (quocumque idiomate expressae sint) recitentur vel post divini sacrificii celebrationem vel ad benedictionem cum Venerabili Sacramento; quae item indulgentia cedere in suffragium possit animabus piis Purgantibus. — Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro, absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis et SS. Reliquiis praepositae, die 2 Februarii 1897.

FR. HIERONYMVS M.ª CARD. GOTTI PRAEFECTVS

L. ✠ S.

† A. ARCHIEP. NICOPOLITAN. SECRETARIVS

Hic subiicitur integra laudum formula, de qua supra, in commodum eorum quibus non satis ea sit cognita:

Dio sia benedetto:
Benedetto il suo santo Nome:
Benedetto Gesù Cristo, vero Dio e vero Uomo:
Benedetto il Nome di Gesù:
Benedetto il suo sacratissimo Cuore:
Benedetto Gesù nel Santissimo Sacramento dell' altare:
Benedetta la gran Madre di Dio Maria Santissima:
Benedetta la sua santa ed immacolata Concezione:
Benedetto il Nome di Maria Vergine e Madre:
Benedetto Iddio ne' suoi Angeli e ne' suoi Santi.

Roma, dalla Segreteria della Sacra Congregazione dei Riti 15 Febbraio 1897.

In occasione dell'omaggio da offrirsi a Gesù Cristo Redentore alla fine di questo secolo e al principio del nuovo, il quale divisamento ha ricevuto la benedizione e l'incoraggiamento del S. Padre, si continua in alcuni giornali e programmi, ad associare questa idea all'altra del Centenario della Redenzione o della Nascita di Nostro Signore. A questo proposito è necessario ricordare, a norma dei Fedeli, che la Sacra Congregazione dei Riti, per ordine di Sua Santità, prese già in esame la proposta del detto Centenario, e venne a quelle determinazioni, che si leggono nella lettera, la quale ci crediamo in dovere di pubblicare.

Al signor Conte
Giovanni Acquaderni — Bologna

Roma, 14 maggio 1895

Illmo Signore.

Per ordine della Santità di Nostro Signore, la Sacra Congregazione de' Riti nella sua adunanza tenuta in Vaticano il 7 corrente, ha preso ad esame, insieme con la Lettera diretta da V. S. all'Emo Cardinale Segretario di Stato il 24 p. p. marzo, l'unitovi Programma per la celebrazione del XIX Centenario della Redenzione il quale, secondo il computo volgare ricorrerebbe nel 1900.

È cosa del tutto lodevole e meritoria il trarre argomento da ogni occasione per ridestare la pietà ne' Fedeli e per ravvivarne la devozione alla Sede Apostolica; il che certamente si volle dai promotori dell'ideata Festa e dagli Autori del Programma. Ma pur ciò riconoscendo, la Sacra Congregazione dovette incontanente avvedersi come fosse affatto nuovo, inopportuno ed anche poco conveniente lo appropriare l'uso ormai invalso e tanto frequentemente adoperato delle Feste secolari ai principali Misteri della nostra Santa Religione. Non può nè deve per fermo supporsi che sia mestieri di ravvivare la memoria di essi dopo trascorsi 25, 50 o 100 anni. Chi vuol considerarli al modo delle particolari Festività, è tratto mal suo grado a far proposte non dissimili da quella

che leggesi nel Programma, di erigere, cioè per ricordo della celebrata secolare solennità un *Altare alla Redenzione*, come se in tutti gli Altari delle nostre Chiese non si adorasse il Crocefisso che è il segno più visibile dell' umano riscatto, e in tutte le nostre preci non s'invocasse, quale intercessore presso l' Eterno Padre, il Divino Redentore.

A tutto ciò senza dubbio non pose mente chi ideò e promosse la centenaria commemorazione; e neppure ricordò la decisione emessa il 31 maggio 1884 dalla medesima S. C. dei Riti in risposta alla domanda di molti illustri Personaggi Ecclesiastici e Laici che si proponevano di celebrare il centenario della Natività di Maria SSma. Questa decisione fu notificata all'Emo Cardinal Haynald con Lettera 1° giugno, pubblicata poco dopo da' giornali cattolici. Nel foglio qui annesso V. S. ne troverà la parte che con tanto maggior ragione deve appropriarsi alla domanda ora presentata, la quale non poteva quindi ricevere una risposta diversa da quella data allora, cioè: *Non expedire.*

Avendo eseguito, nel parteciparle la risoluzione della S. Congregazione, i voleri di Sua Santità, mi è grato ripeterle i sentimenti della mia perfetta stima.

Di V. S.

Devmo servitore
GAETANO Card. ALOISI-MASELLA
Prefetto della S. Cong. dei Riti.

Ecco la parte della Lettera precedentemente citata:

Consuetudinem autem, quae invaluit, celebrandi sacras centenarias commemorationes, rei praesenti minus congruere deprehensum fuit. Quandoquidem, uti iidem centenarii fautores testantur, expetitum festum prima vice hoc decimonono saeculo foret inducendum, veluti quid novum in Dei Ecclesia, et cunctis saeculis retroactis ne cogitatum quidem ab eximia maiorum erga inclytam Dei Genitricem pietate et devotione, aut certe illis inusitatum. Profecto satis congrua theologica atque liturgica ratione inolevisse censendum est, ut saecularia solemnia, quae aliis Sanctis cum Cristo regnantibus non denegantur, ea de praecipuis sacratissimis Beatae Virginis vi-

tae actis et mysteriis, scilicet de Nativitate. de Annuntiatione, de Assumptione, ac porro de caeteris, non celebrentur. Nam eminentiori veneratione supra caeteros Sanctos colit Ecclesia Coeli Reginam et Dominam Angelorum, cui *in quantum ipsa est mater Dei... debetur... non qualiscumque dulia, sed hyperdulia* (*S. Thom. 3 part. quaest. 25, art. 5*). Ideoque plusquam centenaria solemni commemoratione, eâdem semper cultus praestantiâ, eodemque honoris tributo Ecclesia celebrat recurrentes eius mysteriorum solemnitates; cum de caetero cultus Deiparae in Ecclesia sit plane quotidianus, ac prope nulla temporis mensura limitatus.

Haec pauca, vel leviter tantum adumbrata, satis ostendunt prudentiam Sacrae Congregationis, quae proposito dubio: « An recoli expediat anno proximo 1885 in toto Orbe centenaria commemoratio Nativitatis Beatae Mariae Virginis? » mature expensis omnibus unanimi, suffragio respondit: *Non expedire.*

NOTITIAE EX EADEM S. C.

Die 14 Februarii vertentis anni 1897 occurrente Dominica Septuagesimae, SS. Dominus Noster Leo Pp. XIII, Salutari Hostia ferventer oblata, in Vaticanas Ædes accivit Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella S. R. C. Praefectum, causaeque *B. Petri Fourier de Mataincouria*, Sacerdotis Lotharingi, Praepositi Gen. et Reformatoris Congnis Salvatoris nostri nuncupatae, Ord. Reg. S. Augustini, atque Institutoris Monialium Congnis sub titulo Dominae Nostrae ex Regula eiusdem S. Augustini, Relatorem, nec non R. P. D. Gustavum Persiani in S. Fidei Promotorem deputatum, et R. P. D. Diomedem Panici S. R. C. Secretarium, iisque praesentibus edixit: « *Tuto procedi posse ad solemnem dicti B. Petri Fourier de Mataincouria Canonizationem* ».

Super quo Decretum publici iuris fieri, et in acta Sacror. Rituum Congnis referri, Litterasque Apostolicas sub plumbo de Canonizationis solemniis in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrandis expediri mandavit, sextodecimo calendas Martias, 1897.

Eadem die Summus Pontifex ad Se accersiri iussit Rmos Cardinales Aloisi Masella et Lucidum Mariam Parocchi

Episcopum Portuensem et S. Rufinae, et Causae *B. Antonii Mariae Zaccaria*, Fundatoris Congñis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, nec non Virginum Angelicarum, Relatorem, una pariter cum deputato in S. Fidei Promotorem ac S. R. C. Secretario, hisque adstantibus solemniter edixit: « *Constare de tribus miraculis*, videlicet de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Vincentii Zanotti ab inveterato et insanabili ulcere varicoso in laevo crure ;* et de altero: *Instantaneae perfectaeque sanationis Paulae Aloni a chronica et incurabili affectione organica nervei centri spinalis ;* denique de tertio: *Instantaneae perfectaeque sanationis Francisci Aloni Cremonensis ex chronico inveteratoque ulcere in dextero crure.* Quod pariter Decretum evulgari et in Saeror. Rituum Congñis actis inseri praecepit.

Die autem 23 Febr. ultima de eodem Beato habita Congregatio Generalis coram SS. Domino Nostro: in qua Eñi Patres, Rñi Officiales et Consultores iudicium tulerunt super Dubio: « An tuto procedi possit ad illius Canonizationem. »

Fertur, utriusque Herois Canonizationis solemnissimum festum in Basilica S. Petri apud Vaticanum collem celebrandum, propitiante Altissimo, die 27 mensis Maii huius anni, recurrente gloriosissima Domini Nostri Ascensione in caelum. Summus Pontifex, *quem diu adhuc sospitet Deus*, nisi Missarum Pontificalia, solemniorem certo peraget Assistentiam.

Nihil obstat.

Fr. Ioannes Neri O. P.
censor deputatus

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta *Patriarch. Antioch*, *Vicesgerens.*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph. in Vico a S. Prisca, 8. (*in Col. Avent.*)

SACRA RITUUM CONGREGATIO

I.

MEDIOLANEN.

Quum iuxta liturgicas constitutiones in Archidiœcesi Mediolanensi vigentes, Quadragesima decurrente, Sanctorum quorumcumque festivitates celebrari nequant, et Officium de tempore cum respectiva Missa peragatur, Festum S. Ioseph Sponsi B. M. V. ad diem XII Decembris et festum Annuntiationis ipsius Deiparae ad Dominicam ante Nativitatem Domini amandata sunt. Haec vero festa solemniora, quae in universa Ecclesia diebus XIX et XXV mensis Martii semper quadragesimalibus sub duplici praecepto recoluntur, nulla speciali ac liturgica prece, eo tempore, sive in Breviario sive in Missali Ambrosiano donantur Quin imo si alterutrum incidat in feriam VI aliturgicam, Sacerdotes ab offerendo, fideles ab audiendo sacrum, non sine animi mœrore, in Ecclesia Ambrosiana se abstinent.

Quapropter iam ab anno 1886 in votis erat quamplurium e clero et populo mediolanensi Sanctam Sedem adire ad impetrandam pro enunciatis festis ac diebus Apostolicam dispensationem a severioribus, haud tamen primaevis, Liturgiae Ambrosianae praescriptionibus. Quae vota magis in dies aucta, gravibus rationum momentis suffragiisque virorum rei liturgicae apprime peritorum communita, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Andreas Ferrari Archiepiscopus Mediolanensis, praehabito R.mi Capituli Metropolitani consensu, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII una cum supplici libello humillime porrexit ad supradictam dispensationem obtinendam, ad modum Ecclesiae Romanae omnium Ecclesiarum Matris ac Magistrae, exhibitis quoque Officio et Missa utriusque Festi

more solemnitatis dominicae et stylo quadragesimali ipsi Liturgiae Ambrosianae consono exaratis.

Placuit autem eidem Sanctissimo Domino Nostro huius negotii examen Sacrae Rituum Congregationi committere, quae, exquisito voto Commissionis liturgicae et audito R. P. D. Gustavo Persiani Sanctae Fidei Promotoris munere fungente, omnibusque mature perpensis, in Conventu subsignata die ad Vaticanum habito, ad relationem infrascripti Cardinalis Sacrae Rituum Congñis Praefecti, proposito dubio: « Utrum in Liturgia Ambrosiana, prouti fit in Romana, celebrari in posterum valeant Festa S. Ioseph Sponsi B. M. V. et Annuntiationis ipsius Deiparae diebus XIX et XXV Martii, etiam feriis sextis Quadragesimae occurrentibus, adhibitis isdem Officiis et Missis iam revisis, quae huic praeiacent Decreto, atque servatis rubricis? » Respondendum censuit: *Affirmative in omnibus, si Sanctissimo placuerit.* Die 23 Februarii 1897. Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habuit et confirmavit, iisdem die mense et anno.

C. Card. ALOISI MASELLA *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S. P. PANICI *Secret.*

II.

Beatissime Pater

Andreas Cardinalis Ferrari Archiepiscopus Mediolanensis Sanctitati Vestrae humillime exponit ea quae sequuntur:

In Liturgia Ambrosiana iuxta morem hucusque vigentem omnes clerici in sacris Ordinati per totam Quadragesimam, praeter Dominicas et Hebdomadam Maiorem, integrum Officium, defunctorum, non paucis vero feriis per annum eiusdem Officii partem recitare tenentur. Quum vero ipse Ordo Breviarii Ambrosiani praesertim feriis in longum se proferat, et Sa-

cerdotes aliis gravibus proprii ordinis vel officii curis distenti nequeant Breviarium ea qua par est attentione et pietate perlegere; humilis Orator, praehabito sui Capituli Metropolitani consensu, a Benignitate Sanctitatis Vestrae implorat, ut, servata obligatione recitationis choralis praedicti Officii defunctorum, prouti nunc viget, omnibus de cetero clericis in sacris constitutis obligatio recitandi idem officium de Apostolica venia relaxetur; scilicet ut diebus quadragesimalibus ferialibus et non festivis nec Hebdomadae Maioris iidem Ordinati in sacris recitare valeant tantum Vesperas defunctorum, et nulla alia lege obligentur, quam die secunda Novembris, integrum officium defunctorum persolvere.

MEDIOLANEN.

Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII hisce precibus ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatis clementer deferens, exquisito etiam voto Sacrae ipsius Congregationis, indulgere dignatus est ut, hoc anno a die praesentis Rescripti computando, omnes clerici in sacris constituti qui Ambrosianum ritum sequuntur, extra officiaturam choralem, singulis Quadragesimae diebus, exceptis Festivis et Hebdomadae Maioris, Vesperas tantum defunctorum, et die secunda Novembris integrum Officium pro defunctis recitent, dispensatione eisdem indulta ab onere sive integri sive partialis ipsius officii persolvendi per huius anni decursum: atque servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 23 Februarii 1897.

C. Card. Aloisi Masella *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S. P. Panici *Secret.*

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Contin. n. 2. pag. 107)

Quam ob rem, si liceret, diversimode vocandae forent in casu commemorationes: nempe commemoratio maior, et commemoratio minor. Maior commemoratio est quae agitur de officio concurrenti, quod ius habet ad vesperas ipsas, ita ut cessante impedimento *concurrentiae*, vesperas sibi vindicaret. Minor commemoratio est, quae agitur de festo, cuius eo anno totum periit *officium:* ita ut, licet in *vesperis* cessaret impedimentum *concurrentiae*, nihilo tamen secius nullum novum ius haberet ad vesperas ipsas, sed de sola commemoratione contentum esse deberet.

Quibus ex causis optime et opportunissime S. R. C. decretum 5 Februarii 1895 emisit, quo normam veram tradidit pro ordine commemorationum. Hic locus ergo Rubricarum bene reformari posset iuxta decretum ipsum.

(337) *De die infra octavam ante ferias Adventus etc....* Hic optime Rubrica silet de feriis quadragesimae. Ideo autem omissae fuerunt feriae quadragesimae, quia hic loquitur Rubrica de commemoratione diei infra octavam, quae in quadragesima non habet locum, cum prohibitae sint octavae. Quod si alicubi ex privilegio, uti in monasteriis Benedictinorum pro S. Benedicto, atque in Ecclesiis antiqui Veneti pro festo An-

nuntiationis, aguntur octavae, dies infra easdem octavas commemorandi sunt ante feriam quadragesimae. Obiici quidem posset, in ordine commemorationum, utique oportuisse quod mentio fieret de feriis quadragesimae, ut unusquisque probe nosceret, in quadragesima, licet non sint commemorandi dies infra octavas, quo loco de feria agi deberet commemoratio. Sed consultius Rubrica censuit de Ecclesiis particularibus omnino silere, cum nihilominus satis suppleverit S. R. C. in allato decreto, in quo sapienter posuit 9° loco verba: *de feria maiori vel vigilia*, quibus comprehenditur etiam quadragesima.

(338). *De S. Maria..... fiat ante festum simplex in Sabbato occurrens.* Officium S. Mariae in Sabbato, prout suo loco dictum est, recitatur extra quadragesimam et Adventum, quando non occurrit in Sabbato aliud officium dignius. Si ergo Feria VI actum sit officium duplex vel semiduplex, et cras agendum sit officium de S. Maria in Sabbato, in 2 Vesperis fit commemoratio S. Mariae, ante festum simplex.

(339). *De festo simplici fit commemoratio ante suffragia.....* Et optime, quia licet inter suffragia adsint commemorationes nobiliores, quoad dignitatem personalem ; nihilominus suffragia nihil aliud sunt nisi simplices *commemorationes*, festum vero simplex, vere habet *officium*. Hinc festum simplex praecedit suffragia communia.

(340)..... *communes commemorationes de cruce, S. Maria, S. Ioseph.....* commemoratio S. Ioseph hic addita est in ultima Rubricarum emendatione, postquam Patronus catholicae Ecclesiae declaratus fuit a Pio Papa IX.

(341)..... *et ante commemorationem cuiuscumque Tituli ac Patroni Ecclesiae....* Profluit ex dictis. Cum vero Titulus vel Patronus non habeat in suffragiis locum *assignabilem* nisi ex dignitate personali, hinc Rubrica post suffragia de Titulo et Patrono loquitur, dicens: *quae etiam pro sua dignitate aliis suffragiis praedictis praeponeretur.*

(342). *De quibus suffragiis, quomodo et quando facienda sint, habetur inferius propria Rubrica.* Nempe Titulo XXV, in quo de suffragiis singillatim dicemus, et tractabimus ex professo quaestionem de commemoratione Tituli et Patroni in suffragiis ipsis.

TITULUS X.

DE TRANSLATIONE FESTORUM.

N. 1.

Si aliquod Festum duplex (343) occurrat in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in albis inclusive, in Vigilia Nativitatis Domini (344), in die Circumcisionis, in tota octava Epiphaniae (345), in feria quarta Cinerum, in tota maiori Hebdomada et infra Octavam Paschae (346), in Ascensione Domini, in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad Festum SS. Trinitatis inclusive, in Festo Corporis Christi et eius die octava (347), in Festo Immaculatae Conceptionis et Assumptionis beatae Mariae Virginis, in Festo S. Ioseph Sponsi eiusdem (348), et Omnium Sanctorum, transfertur in primam diem Festo duplici non impeditam (349), exceptis ta-

men Festis Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, quae in die octava Corporis Christi celebrantur (350); excepto quoque Festo quocumque solemni alicuius loci (351), quod in propria tantum Ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis II, III et IV Adventus et Quadragesimae, Dominica Sexagesimae et Quinquagesimae (352) et diebus infra Octavam Epiphaniae (353) (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum est), celebratur. Si autem Festum Purificationis beatae Mariae venerit in aliqua Dominica secundae classis, transfertur in feriam secundam sequentem. quamvis impeditam (354). Idemque est de Annunciatione beatae Mariae (355). Item si Festum Nativitatis sancti Ioannis Baptistae venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem, cum commemoratione Octavae (356), et in secundis Vesperis Corporis Christi, fit tantum commemoratio sancti Ioannis: sequentibus autem diebus fit officium de eadem Octava Corporis Christi, cum commemoratione Octavae S. Ioannis (357). Dies autem Octava S. Ioannis tunc veniens in die octava Corporis Christi (358), non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei octavae Corporis Christi (359); et id semper servetur quando Festum habens Octavam transfertur. ut non ideo dies octava transferatur, sed ipsa die de ea fit commemoratio, quae alias erat Octava, si Festum non fuisset translatum (360). Quod si Festum post totam suam Octavam trans-

ferri contigerit, illo anno celebretur sine Octava (361), nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat (362). Festa tamen duplicia minora, exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum, si occursu Dominicae, vel maioris Festi seu Officii (363) quomodocumque impediantur, non transferuntur (364), sed ipso die, quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio, et legitur nona lectio historica ad Matutinum, si tamen haec eo die fieri possint (365); secus huiusmodi Festa duplicia minora eo anno penitus omittuntur (366), ut in praecedenti Rubrica dictum est num. 7 et 10, et infra de Simplici dicetur num. 8 (367). Iisdem comprehenduntur regulis alia Festa duplicia quorum translationi in toto anni decursu locus non super est (368).

(343) *Si aliquod festum duplex....* De semiduplici paulo inferius loquitur Rubrica, hic de officiis quae ritu duplici recoluntur, pertractat, cuiuscumque sint classis.

(344).... *In vigilia Nativitatis....* Hoc loco subintelligitur etiam festum Nativitatis Domini. In novissima emendatione bene poterant hic inscribi verba: *In vigilia* et festo *Nativitatis*, sicut suo tempore iam desideraverat Meratus. Si enim Vigilia, quae nihil aliud est, quam festi praeparatio, excludit quodcumque festum, multo magis festum ipsum. In hoc omnes consentiunt doctores, sensus Ecclesiae, et cohaeret cum Rubrica (5 Tit. IX *De Commemorationibus*) in quo Nativitas Domini, uti par est, inter solemnissima festa recensetur.

(345).... *in tota octava Epiphaniae....* Desideratur hic festum Epiphaniae; idem dicendum est de hac omissione, quae diximus de Nativitate Domini.

(346).... *infra octavam Paschae....* Licet hic non exprimatur festum Paschatis, quae est festivitas festivitatum, nihilominus iam comprehenditur in locutione superiori: *in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in albis inclusive.*

(347)... *in festo Corporis Christi et eius die octava.* Hic nunc adiici poterat festum Cordis Sacratissimi Iesu, iuxta decretum d. d. 28 Iunii 1889.

(348)... *in festo Immaculatae Conceptionis et Assumptionis beatae Virginis, in festo S. Ioseph Sponsi eiusdem.* In nova emendatione bene adiecta fuere festa Immaculatae Conceptionis et S. Ioseph, sunt enim festa duplicia primae classis primique ordinis; sed absque haesitatione erant quoque adiicenda festa Ss. Petri et Pauli et S. Ioannis Baptistae, iuxta enim S. R. C. Decretum (11 Maii 1743, N. 4143) haec duo festa praeferenda sunt omnibus festivitatibus etiam primae classis, localibus. Si hanc Rubricam cum alia conferimus, item emendata, quae legitur post tabellam occurrentiae, novimus in hac adiectum fuisse festum Ss. Petri et Pauli. Non satis intelligitur cur omissa fuerit Nativitas S. Ioannis Baptistae.

In Diurnali Romano, edito a typographia Ven. Hospitii S. Michaelis annis 1845 et 1847 legitur in notandis post tabellam occurrentiae: *Insuper primaria festa S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli.*

Imo in editione Diurnalis Romae peracta anno 1888 a Societate editrice liturgica, quae specialiter

approbata fuit a Secretaria S. R. C. et Rubricas emendatas iam habet, in primo ex praedictis notandis, post *in festo Corporis Cristi*, addita leguntur verba: *in festo Assumptionis et Immaculatae Conceptionis B. Virginis*, in Nativitate S. Ioannis Baptistae, *in festo S. Ioseph, Ss. Apostolorum Petri et Pauli etc.* Ergo sicut S. R. C. optime permisit in hac rubrica Nativitatem induci S. Ioannis, bene quoque inducenda erat, simul tamen cum festo Ss. Apostolorum, in Rubricis generalibus.

Item post nuperrimum S. R. C. Decretum d. d. 23 Aprilis et 27 Maii anno 1895 confirmatum, hoc loco Rubricarum inscribi quoque debet Annunciatio B. M. V. ut in quibusdam Breviarii editionibus recentioribus iam legimus.

Doctor PETRUS PIACENZA.

(*Continuabitur*)

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI.

IV.

Die 11 Febr. Romae dudum recolebatur officium dup. min. S. Antheri, repositum e die 3 Ianuarii. Postea vero praescriptum fuit, ut festum Ss. septem Fundatorum eadem die celebraretur ab universa Ecclesia. Denique ea ipsa die concessum fuit pro clero Urbis festum Apparitionis Deiparae a Lourdes dictae.

Nunc autem accidit, ut calendariorum redactores diversimode se gererent in eorumdem officiorum repositione. Nam aliqui, officio S. Antheri die 11 Febr. retento, reposuerunt die 21 Febr. festum novum Ss. Fundatorum: aliqui vero viceversa egerunt. Superveniente vero festo Apparitionis Deiparae, omnes praedicta die 11 Febr. statuerunt iuxta praescriptionem, utpote dup. maius, ipsum Immaculatae festum. Tandem primi ex dictis calendariorum redactoribus retinuerunt officium Ss. Fundatorum die 21 Februarii et ad diem 28 eiusdem mensis officium S. Antheri amandarunt. Alteri e contra die 21 Februarii reposuerunt officium S. Antheri, et amandarunt ad diem 28 officium Ss. septem Fundatorum. *Quaeritur*:

1. *Quomodo Patres nostri se gesserint in antiquitate, quando una eademque die plura occurrebant festa celebranda?*

2. *Quaenam certae sequendae sint normae pro officio recolendo aut reponendo, quando aliquod novum festum a S. Sede celebrandum statuitur in die, quae pro aliqua Ecclesia sit ab alio officio vel festo impedita?*

3. *Reposito prima die libera officio aliquo in sua impedito, si aliud officium pariter impeditum sit reponendum, quaenam dies huic competat?*

4. *Quid de casu exposito, et quomodo resolvendus?*

SOLUTIO

Ex dissertatione R. D. Alexandri Stilman habita in Ecclesia Presbyterorum Congreg. Missionis prope Curiam Innocentianam die 27 Iannuari 1897; acta Epitoma per R.mum. D. Calce donium Mancini Academiae Moderatoris.

I. Quomodo Patres nostri se gesserint in antiquitate quando una eademque die plura occurrebant festa celebranda? Plura diversaque officia in anni decursu, ut satis cuique notum est, celebrantur ab Ecclesia. Si unumquodque ex officiis fixe statutum esset determinata die duodecim mensium, ut patet omnia semper eumdem locum tenerent, nec fieri posset inter ea conflictus seu occursus. At cum alia assignata sint diebus mensis (sicut maxima pars festivorum), alia vero (sicut illa de tempore et nonnulla etiam ex festivis) alicui feriae vel Dominicae; et cum ob cursum naturalem anni, et multo magis ob instabilitatem Paschatis (quod est veluti centrum ex quo pendent omnia officia de tempore), Dominicae et feriae non incidant quotannis iisdem diebus mensium: absolute vitari nequit frequens occursus plurium officiorum eodem die. Frequentia, quae magis magisque augetur ex novis officiis, quae ab Ecclesia conceduntur in honorem Sanctorum, quorum memoria celebratur aut in toto orbe, aut in aliqua regione vel a determinato caetu personarum. Nunc haec officiorum coincidentia uno eodemque die illud efficit, quod liturgice dicitur *occurrentia*. Haec esse potest *perpetua* vel *temporanea* sive *accidentalis*.

Perpetua nuncupatur quando eodem die occurrunt in perpetuum duo officia, ut v. gr. festi S. Hilarii Ep. et Doctoris et S. Felicis Presb. et Mart., quae ambo eodem die 14 Ianuarii occurrunt. Occurentia temporanea habetur cum accidendaliter aliquo anno duo occurrunt officia, ex quibus unum est mobile, ut v. gr. currenti anno festum S. Timothei et festum S. Familiae, Dominica tertia post Epiphaniam. Et quia unico die celebrari non potest ex integro nisi unum officium, necessario consequitur, in plurium occurrentia, unum prae aliis praeferri debere. Oritur hinc translatio festorum, quae si accidentalitur eveniat, hoc proprie *translationis* vocabulo distinguitur, sin vero perpetuo, *assignatio* vel *repositio* appellatur. In nostro casu, ut cito dignoscitur, de *repositione* agitur, nempe de impedimento perpetuo. Et, ut primae quaestioni respondeamus, notabimus Martyrologium Romanum plurima exhibere exempla repositionis festorum ac saepe memoriam faciens natalis alicuius Sancti, ait festum illius alio die peragi. Ita ex. gr. die 29 Ianuarii (quarto Kalendas Februarii) legimus: « Lugduni in Gallia S. Francisci Salesii Episcopi Gebennensis Confessoris, de quo agitur quinto Kalendas Ianuarii. » Et quinto Kal. Ianuarii, nempe 28 Decembris: « Lugduni in Gallia natalis S. Francisci Salesii..... eius festus dies agitur, de mandato eiusdem Pontificis (Alexand. VII), quarto Kal. Februarii, quando illius sacrum corpus inde Annesium translatum fuit. » Ita pariter die 6 Decembris (Octavo Idus Decembris) dicitur: « Granatae in Hispania passio B. Petri Paschasii Martyris.... cuius festivitas, Clementis Pp. X iussu, celebratur X Kalendas Novembris ». Et die 23 Octobris (decimo Kal. Novem-

bris): « Granatae in Hispania B. Petri Paschasii Ep.... qui passus est octavo Idus Decembris ». Atque ita est de aliis plurimis exemplis, quae brevitatis gratia omittimus.

Ex hoc inferre licet, quod usque ab antiquo nonnullorum Sanctorum festum ad aliam diem amandatum fuit, quando impeditum erat die, quo celebrari debuerat. Verum si consideremus quibusnam regulis haec festa reposita fuerint, videbimus non semper uniformiter applicatas fuisse, unde principia generalia et fundamentalia dignoscere non datur. Extant sane plura S. R. Congñis Decreta, quae de hac re loquuntur, at ex his nulla pariter lex efformari valet constans, ac certum criterium. Rubrica Breviarii Romani, quae de hoc loquitur (*Tit. X, de Translatione Festorum, n. 6 et seq.*) non multum clara apparet, nec omnium casuum possibilium solutionem praevidet ac insuper distinctionem nullam ponit inter impedimentum perpetuum et accidentale. Et quamvis hae Rubricarum regulae partim variatae fuerint ab Apostolico Brevi « Nullo unquam » Papae Leonis XIII (28 *Iulii* 1882), tamen haec variatio certo applicanda est tantum in casu impedimenti accidentalis, sicut optime probavit cum aliis cl. Doct. Petrus Piacenza (*V. Ephem. Liturg. An. I, pag.* 115 *et seq.*), et erui potest ab ulterioribus Decretis a S. Rituum Congñe emanatis (*V.* 23 *April.* 1884, *in Colonien. et* 13 *Septemb.* 1885 *ad Episc. Engolismen.*). Cl. De Herdt (*S. Liturgiae Doct., Vol. II, n.* 276 *et seq.*) loquitur de festorum immutatione, et iam ab initio (*Not.* 2°) notat: « Licet regula generalis sit officio semper impedito diem fixam assignandam

esse, eaque regula per plurima Decreta probata et confirmata sit; nulla tamen Rubrica, nulloque Decreto generali praescribi aut declarari, officium semper impeditum, de praecepto in diem fixam transferendum esse, et in primam diem liberam singulis annis transferri non posse. Unde si particulari officio dies fixa assignari nequeat, quia haec facultas in concessione officii reservata fuit, hoc officium semper impeditum, in aliam diem fixam transferri nequit. Mutatio alicuius officii in diem fixam, *de iure antiquo* S. R. Congregationi reservata erat (*V. Decr.* 13 *Iunii* 1671. *ad* 1.); sed postea generalis data fuit facultas mutationem faciendi S. R. Congregatione inconsulta (*Decr.* 22 *April.* 1741, et 15 *Maii* 1745, *etc.*) Adeoque mutatio officii perpetuo impediti, sive sit Ecclesiae universalis, sive particularis, nunc fieri potest iuxta Rubricas et S. R. C. Decreta, absque alia facultate a S. R. C. obtenta, cum approbatione tamen Rmi Episcopi loci Ordinarii circa electionem diei, et iustificatis apud ipsum translatorum numero et causis, dierumque assignatorum ordine et qualitate (*S. R. C.* 22 *Aug.* 1744 *ad* 5 *etc.*)». Uti superius diximus, usque nunc hae regulae pro *repositione* officiorum eaedem erant, quae pro *translatione*; notandum tamen quod (ait cit. auctor, *ibid.* 277), illa fieri « debet in primam diem non impeditam ... Haec autem mutatio in primam diem non impeditam fieri debet in primam diem non perpetuo impeditam, idest 1. ante alia officia ex accidenti, pro hac aut altera vice translata, licet haec sint maioris ritus, dignitatis aut prius translata; et 2. post officia modo in perpetuum translata seu mutata, quamvis haec

sint minoris ritus, dignitatis aut a breviori tempore translata ». Quod autem praevalentiam officiorum respicit, Decreta, quae hac de re habentur a S. R. Congñe emanata, insolutam relinquunt quaestionem, non enim uniformiter data fuere, ut principium aliquod statuatur. Nullimode ambigendum est quod, in paritate conditionis in ceteris omnibus, officium vetus praevalere debeat novo, iuxta principium: « qui prior in tempore, potior in iure ». Sed in casu, quo unum ex duobus officiis sit in natalitia vel quasi-natalitia et aliud in die assignata, nonnulla Decreta ritum tantummodo praevalere decernunt, adeo ut, si antiquior esset in die natalitia vel quasi-natalitia, sed ritus inferioris quam novum, hoc illi praevaleat (S. R. C. *11 Iulii 1730 in Teapien*; *7 Dec. 1844 in Mechlinien.*); alia ex opposito, sed opportunius, praeferunt diem natalitiam vel quasi-natalitiam diei assignatae, etiamsi haec ritu potiori gauderet. Sit ad exemplum Decretum diei 12 Septembris 1840 *in Mechlinien.* ad 2.um huius tenoris: « Quum ex Decreto Urbis et Orbis festum S. Alphonsi Mariae de Ligorio in posterum sit celebrandum praedicta die (*2.a Augusti*), quaeritur: Quid si alicubi die 2.a Augusti hactenus celebrari consueverit festum aequalis aut altioris ritus, ex. gr. S. Petri ad Vincula in Ecclesiis ubi 1a Augusti celebrari debet dies octava S. Iacobi Apostoli tanquam Patroni?» Et S. R. Congregatio respondit: Quum *sint translata* ulterius progrediantur, dies enim 2.a Augusti est *propria* S. Alphonsi Mariae de Ligorio.» Unde concludendo, usque adhuc non semper a S. Congregatione distinctio facta fuit inter *festum* et *officium*, ut patet ex quodam monito ab illius

Secretaria misso 11 Iulii 1891, sed saepe indiscriminatim accepta sunt. Verum non est qui non videat quanti sit facienda eiusmodi distinctio, in occurrentia. Nec ceterum desunt potissimae rationes ad nostram opinionem tuendam, quippe quae fundantur super rectum ac indiscutibile principium. Non inficiandum, fatemur, spernenda non esse ritum, dignitatem personae, primarietatem vel secundarietatem festorum, sed ante omnia cavendum ne dies facile pereat, quo de iure celebrandum est. Et revera Sanctus aliquis, de quo *officium* celebratur die assignata, etiamsi ritu gaudeat superiori, cedere debebit novo cuidam Sancto, de quo *festum* celebratur, die natalitio vel quasi natalitio. Cum enim antiquus iam a sua die remotus fuerit, nullam patitur iniuram quocumque demum die reponatur, semper enim extra suam diem celebraretur; secus eveniret quod novus Sanctus etiam quaerere debeat sedem sibi assignandam, et sic neutrum die sua recoleretur, dum e contrario novum celebrando die natalitia, seu a S. Sede pro illa designata in Decreto institutionis, unus saltem recoletur die vere propria. Ex quo manifestum apparet, quod, dum maxime novi festi interest statuta die celebrari, quoad antiquum nullius momenti res est. Addendum quoque est quod, quamvis festum utrumque sit generatim aeque praeceptivum, nihilominus inficiari non potest novi festi celebrationem strictius urgeri illa determinata die, prae illa antiquioris, dum festum hoc nonnisi ex quadam legis dispositione diem illam adeptum est, quae tunc libera erat, nunc vero alterius iuri vel ex natura sua vel ex S. Sedis dispositione reservatur. Dies ergo *natalitia* semper praevalere de-

bebit diei *assignatae*, etiamsi haec potiori gaudeat ritu. Gaudemus autem nobis, quod a fide dignissimo viro certiores facti sumus, S. Rituum Congregationem quamprimum talia principia sua auctoritate consecraturam, quae regulis continentur, a nobis in insequentis quaestionis solutione mox exhibendis.

II. Quaenam certae sequendae sint normae pro officio recolendo aut reponendo, quando aliquod novum festum a S. Sede celebrandum statuitur in die, quae pro aliqua Ecclesia sit ab alio officio vel festo impedita?

1. « Si duo festa alterum antiquum, alterum no-« vum, ambo sint in die propria, natalitia scilicet aut « quasi-natalitia, *ceteris paribus*, illud celebretur, istud « vero in primam diem liberam perpetuo transferatur « iuxta Rubricas. *Ceteris* vero *non paribus*, si alterum « prae altero sit potioris ritus, praeferatur illud quod « ritu nobiliori gaudet. In paritate ritus, si unum sit « primarium, aliud secundarium, illud huic praeferatur. « Si ambo primaria fuerint vel secundaria, dignius « minus digno praeferatur iuxta ordinem dignitatis in « Rubricis praescriptum tit. X, num. 1 et XI n. 2. « Si denique utrumque fuerit eiusdem dignitatis, fe-« stum magis proprium loci minus proprio praefera-« tur ».

2. « Si ex duobus festis, unum sit in die natalitia, « aliud in quasi-natalitia, quorum alterum antiquum, « alterum novum, festum diei natalitiae *ceteris paribus* « festo diei quasi-natalitiae praeferatur. Si vero quod « est in die quasi-natalitia fuerit potioris ritus, aut « aequalis sed proprium, vel primarium, vel potioris « dignitatis, alteri praeferatur, quod in die prima li-« bera reponetur iuxta Rubricas ».

3. « Si ex duobus Sanctis, quorum alter anti-« quus, alter novus, unus sit in die natalitia aut quasi-« natalitia, alius in die assignata, seu non própria, aut « tamquam propria ; ille, ritu, ratione primarii, atque « etiam dignitate posthabitis, praeferatur huic, qui « prima die libera reponendus erit iuxta Rubricas ».

4. « Si duo officia, alterum antiquum, alterum « novum, ambo sint in die assignata, antiquum novo « praeferatur, quamvis nobiliori, vel etiam ab anteriori « die translato, ritu etiam aut ratione primarii, vel « dignitate posthabitis. Cum nihilominus perpetuum « alicuius Ecclesiae calendarium reformari contingat, « serventur, si adfuerint, ordo ritus, ratio primarii, « excellentia dignitatis ac prioritas translationis ».

5. « Quemadmodum autem pro die natalitia San-« ctorum illa est intelligenda, qua iidem Sancti ae-« ternam ingrediuntur vitam, atque illa pro quasi-na-« talitia, quam S. Sedes eligit extra natalitiam ad « liturgica festa recolenda; ita S. R. C. declarat, il-« lam intelligendam esse pro die *assignata*, quae « prima post propriam liberam fixe in calendario iu-« xta notas occurrentiae leges ab Ordinario inscribi-« tur, sicuti pro *translata* illam, quae pariter post « impeditam prima a calendariorum redactoribus ad « annum libera reperitur ».

III. Reposito prima die libera officio aliquo in sua impedito, si aliud officium pariter impeditum sit reponendum, quaenam dies huic competat?

Facilis responsio: iuxta mentem Sacrae Rituum Congregationis, quando repositum fuit prima die libera aliquod officium die propria impeditum, uti v. gr. in casu proposito S. Antheri, superveniente alio

festo, in casu Ss. VII Fundatorum; hoc aliud officium simili vice impeditum, ob novum festum, nempe, in casu, Apparitionis B. M. V. de Lourdes, potioris ritus et dignitatis, quamvis ex die vere propria, necesse non est alia iam assignata officia removere; sed officium impeditum assignandum primae diei liberae in perpetuum post alia. Conferatur ex. gr. Decretum diei 22 Augusti 1744: « Cum aliquod festum iam translatum, iterum moveri contigat a die sibi semel assignata; non est opus, ut cetera alia festa post ipsum translata, a diebus sibi respective assignatis denuo amoveantur: nisi forte nova Calendarii constructio ex integro assumeretur. » Ita pariter ex Decreto diei 27 Martii 1773, et sicut ex N. IV regularum superius relatarum eruitur. Notetur, quod in mox citato Decreto habetur: si nova Calendarii constructio efformetur; tunc enim in assignandis diebus pro diversis officiis, observanda quae ritus, primarietatis, dignitatis et prioritatis translationis ordinem respiciunt (Cfr. Decr. S. R. C. *7 Dec. 1743* et *N. IV, ut supr.*).

IV. Quid de casu exposito, et quomodo resolvendus?

Ex hucusque dictis casus resolutio pendet. Unde concludendum: recte se gesserunt qui, superveniente ex apostolico praecepto, festo Ss. VII Fundatorum, toto orbe celebrando die 11 Februarii, primae diei liberae festum S. Antheri assignarunt, iam a die 3 Ianuarii repositum, quae dies libera tunc erat 21 Februarii, ac locum dederunt Ss. Fundatoribus, qui diem 11 reclamabant uti quasi-natalitiam, quia *officium* cedere debebat *festo* proprie dicto (Confer Decr. *S., R. C.*

12 Sept. 1840, Ephem. Liturg. Ann. IV, pag. 576, et novam regulam N. III.). Postquam autem concessum fuit festum Apparitionis B. M. V. de *Lourdes* celebrandum die 11 Februarii, die *propria* natalitiae respondente ritu duplici maiori, recte intelligitur quod, tam qui celebrabant illa die sanctos Fundatores, quam qui officium agebant S. Antheri, debuere locum cedere novo festo Apparitionis; eo quod fuerit in die propria et insuper ritus duplicis maioris, et sane omnes tali ratione se gesserunt. Verum ex praecedentia data, vel non, festo Ss. Fundatorum prae officio S. Antheri ante concessionem festi B. V., necessario evenit quod, Apparitione superveniente, qui retinuerant die 11 S. Antherum et transtulerant VII Fundatores ad 21, assignarunt primae diei liberae post hos, nempe 28 Februarii, S. Antherum (iuxta Decreta iam citata in responsione ad III); et qui merito celebraverant eo usque die 11 Ss. Fundatores ac transtulerant ad 21 S. Antherum, vi eiusdem legis ob hanc novam occurrentiam assignarunt in perpetuum officium Ss. Fundatorum primae diei liberae post alia iam assignata, nempe 28 Februarii. Et quemadmodum iam diximus, hos postremos recte operatos fuisse primo casu, nempe praecedentiam concedendo Ss. Fundatoribus potius quam officio S. Antheri, similiter imitandi sunt et laudandi eo quod, superveniente festo Apparitionis, reliquerint officium iampridem assignatum S. Antheri diei 21 Februarii, ac assignaverint in perpetuum aliud Ss. Fundatorum diei 28 eiusdem mensis.

DECLARATIONES.

Ad pag. 136 proximi praeteriti Ephemeridum numeri, in tertia ante ultimam linea, pro *S. Gregorio I*, lege « S. Gregorium VII ».

Ad pag. 142, in lin. 2, pro *Gammerini* legendum « Gamurrini ».

Ad pag. autem 145, lin. 2, verba *quando nempe* etc. sequenti ratione accomodentur: « quando nempe v. gr. festum Ss. Philippi et Iacobi occurrerit Dominica V post Pascha, quo casu duobus continuis diebus legeretur eiusdem Epistolae S. Iacobi, primum finis, et postea rursus Initium ».

Sub fine autem eiusdem paginae, ante principium versus, seu post verba *ad illud admittendum*, opportune addas:

« Meliori fortasse iure cum lectionibus diei currentis coniunctum, vel, *uti* plerisque *magis arridet, ulterius progrediendo;* idque hac de causa, quia scilicet lectiones I Nocturni in festo Circumcisionis dici quidem *materialiter* queunt de tempore, sed cum de ipsamet Circumcisione loquantur, *formaliter* propriae appellari possunt. Neque praetereundum, ex festis Domini nullum extare nisi cum lectionibus propriis ».

QUAESTIONES ANNI 1895-96

IV.

1. *Utrum antiqua, praesenti disciplina, ac liturgicis legibus inspectis, benedictiones Palmarum, Fontis, Cinerum, Candelarum sicuti et Absolutio pro defunctis, separari queant a Missa, si iura Episcopi, maxime dioecesani, perpendantur?*

2. *Utrum solemnis assistentia ad Missam ab alio cantatam uti verae iurisdictionis actus conside-*

rari possit, aut debeat, nec alii competat nisi Episcopo dioecesano, vel aliis Praelatis iurisdictione fruentibus?

3. *Quodnam iudicium ferendum de Canonicis ad praefata invitantibus, de Episcopo titulari acceptante et de caeremoniarum Magistro conquerente?*

CONCLUSIONES

Ex dissertatione R. D. I. Victorine, ahita die 22 Ian. 1896; Epitomatore R.mo D. Alphonso Carinci.

I. Vetustae aetatis monumenta perscrutantes novimus benedictiones, de quibus supra, iam antiquitus consideratas fuisse veluti unius functionis partes cum Missa. Ità in Ecclesia Laudunensi poenitentes sacros cineres accipiebant ad Offertorium Missae (*Martene V. III. 162 A*). Antiquum Directorium Ecclesiae Trecensis monet quod, Litaniis cantatis post benedictionem Fontis, « Sacerdos incipiat *Gloria in excelsis* »; et prosequitur alias Missae partes determinando. Nec praeterea scimus suscitatam iampridem quaestionem de huiusmodi functionum separatione. De iure autem Ordinarii testimonium praebet liber consuetudinum Monasterii S. Victoris Parisiis, dum innuit ad Abbatem tantummodo spectare benedictiones separatim a Missa facere (*Ibid. V. III. 778 B).* Teste Paride de Crassis in suo Ordine romano, Summus Pontifex benedicere solebat Candelas, Palmas, Cineres, ac deinde unus e Cardinalibus Missam celebrabat; verum, absente Papa, idem celebraturus benedictiones quoque faciebat.

Nec alia desunt documenta similis praxis, ex qua inferre licet Ordinarium tantummodo potuisse benedictiones absque Missa peragere. Et ratio, ut videtur, suppetit iuridica; quia Ordinarius delegandi facultate pollet, et id facere potest vel in totum vel ex parte tantum. Id autem plane concordat cum Caeremoniali Episcoporum in benedictione Palmarum. Ubi agit de benedictione Fontis ait: « Si Episcopus voluerit ipse benedicere Fontem, quod valde convenit, deposita planeta, etc. Si vero non potuerit id praestare, destinabit aliquem etc. (*lib. II. c. 27. n. 16, 17*) »; dum in casu Episcopi absentis seu tantum assistentis, ait ipsum celebrantem, qui fontis benedictionem peregit, ad Missam suo tempore parari debere (*lib. II. c. 28. n. 7, 9*). Idem praedicat Missalis Rubrica. Quod valet et de ceteris benedictionibus. Item pro Absolutione in fine Missae Caeremoniale habet: « Si Episcopus noluerit ipse absolvere, deposita Cappa, etc. capiet amictum, etc. » dum « si Episcopus absolvere ipse voluerit, vel huiusmodi Missae non intererit, Celebrans, finita Missa etc. faciet omnia (*lib. II. c. 12. n. 6*). Rituale pariter nonnisi de unico Sacerdote loquitur: « Sacerdos, deposita casula seu planeta, accipit pluviale nigri coloris (*Tit. VI, cap. 3, n. 7*). » Decreta S. R. C. idem confirmant. Sit ad exemplum unum ex iis, d. d. 23 Sept. 1848 in *Liburnen.* Ad dubium « Utrum Episcopo administratori liceat perficere benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum ac Fontis Baptismalis in Sab. Sanct. quin deinde Missam celebret? » S. C. respondit: *Negative, nam id unice competit Episcopis ordinariis.* Nec aliter dicendum de Absolutione post Mis-

sam scimus enim ex Decretorum collectione, quae paratur expunctis iis, quae dubitationi locum dabant, Decretum proditurum, quo Episcopi titulares vetantur huiusmodi functiones a Missa separare.

II. Iuxta Caeremoniale Episcoporum solemnis assistentia ad Missam est iuris exclusive Ordinarii in sua Dioecesi (*lib. II. c. 9*), Legati et Nuncii facultatem habentes Legati a latere in Ecclesiis eorum legationi subiectis, Patriarcharum et Archiepiscoporum in loco iurisdictionis, et Cardinalium in toto Orbe (*Rubr. Missal. Rit. celebr. T. III. n. 3 ; Caer. Ep. lib. I. c.* 4 *et* 13). Et merito, plura enim, quae in tali assistentia peraguntur, iurisdictionem indicant, ut v. gr. Cappam induere vel Pluviale, textum Evangelii deosculari, circulos habere ad *Kyrie*, *Gloria*, etc. Quod ceterum ex variis S. R. C. Decretis sancitur. Die 22 Aug. 1722 ad dubium: « An ei (Ep. Administr.) dum assistit Missae solemni ab alio cantatae, debeant Canonici facere circulos ad *Kyrie* etc., tuncque ubinam debeat sedere ? » respondit : « Negative et sedeat in primo stallo Chori. » Si ergo administratori id non licet, nec a fortiori cuicumque simplici titulari. Cum ergo solemnis assistentia peragi nequeat sine actuum exercitio, qui iurisdictionem significant, nulli alii competit, nisi Episcopo Dioecesano vel aliis Praelatis iurisdictione fruentibus.

III. Ex Decretis S. R. C. 26 Mart. 1639, 12 Febr. 1628, 12 Aug. 1673, praefatae benedictiones et Missae quae eas sequuntur, peragi debent a prima Capituli Dignitate, eaque impedita, a secunda, et ita successive. Verum si Canonicis placuerit Episcopum titularem invitare, non possunt redargui, et

Episcopus acceptare potest: quod tamen reprehensionem meretur est separatio benedictionum a Missa, ac proinde si Episcopus invitetur et acceptet, utrumque agere debet, benedictionem et Missam. Ita pariter si Missam celebraverit, absolutionem perficiet super tumulum, sin minus eam peraget ipse Celebrans, quamvis Episcopo titulari praesente in Choro.

De assistentia solemni ad Missam a Canonicis requisita et ab Episcopo titulari praestita, dicendum eam nullo iure potuisse sustineri, eo vel magis quod laesiva sit iurium Ordinarii. Unde Caeremoniarum Magister de iis conquestus, omnem laudem meretur. Non ideo tamen, iuxta sententiam illustris huius Academiae (*V. Solut. Quaest. num. praec. p.* 148), Episcopus dicendus est incurrisse in poenam a Tridentino inflictam iis, qui in aliena Dioecesi Pontificalia exercent; quia etsi in solemnibus iis functionibus usus fuerit Throno et Baculo, iura Ordinarii utique laesisset, sed Pontificalia proprio sensu, de quibus Tridentinum, non exercuisset.

MONITUM.

Qui « **Ordo Perpetuus** » acquisierunt P. Buchauer, si brevem ad illum Appendicem cum variationibus, et nonnullis declarationibus iuxta recentius ius liturgicum, desiderant, hanc Administrationem moneant, quae ante Aprilis terminum iis faciet satis. Pretium: Libell. 0,30.

REDACTIO.

SPECIMEN KALENDARII
UNIVERSALIS ECCLESIAE

PRO ANNO DOMINI 1898.

in quo PASCHA contingit die 10 Aprilis.

Tabella Temporaria.

Litera Dominicalis	b.
Aureus Numerus	18.
Epacta	VII.
Litera Martyrologii . . (parva)	g.
Indictio Romana	XI.
Cyclus Solaris	3.
Dominicae post Epiphaniam	4.
Dominicae post Pentecostes	25.

Festa Mobilia.

Septuagesima	6 Febr.
Dies Cinerum	23 Febr.
Pascha Resurrectionis	10 Apr.
Rogationes	16, 17, 18 Maji.
Ascensio Domini	19 Maji.
Pentecostes	29 Maji.
Corpus Christi	9 Iunii.
Dominica 1. Adventus	27 Novem.

Quatuor Anni Tempora.

In vere	2, 4, 5 Mart.
In aestate	1, 3, 4 Iun.
In autumno	21, 23, 24 Septem.
In hyeme	14, 16, 17 Decem.

NUPTIAE CELEBRARI POSSUNT.

A die 7 Ianuarii ad diem 22 Februarii inclusive, et a die 18 Aprilis usque ad diem 26 Novembris pariter inclusive.

IANUARIUS.

✠ 1. S. CIRCUMC. DNI *d. 2. cl.*
✠ 2. D. *(vacat)* Oct. Stephani *d.* c. octavar.
3. F. 2. Oct. Ioannis *d.* c. oct.
4. F. 3. Oct. Innoc. *d.*
5. F. 4. Vigil. Epiph. *sem.* c. Telesphori.
✠ 6. F. 5. **Epiphaniae Dni** *d. 1. cl. cum oct. priv.*

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.

7. F. 6. De 2. die infra oct. *sem.*
8. S. De 3. die infra oct. *sem.*
✠ 9. D. infra oct. 1. p. Epiph. *sem.* c. oct. — *Inc. Ep. I. ad Corinth.*
10. F. 2. De 4. die infra oct. *sem.*
11. F. 3. De 5. die infra oct. *sem.* c. Hygini.
12. F. 4. De 6. die infra oct. *sem.*
13. F. 5. Oct. Epiph. *d.*
14. F. 6. Hilarii *d.* c. Felicis.
15. S. Pauli I. Er. *d.* c. Mauri.
✠ 16. D. 2. p. Epiph. NOMINIS IESU *d. 2. cl.* c. Dom. ac Marcelli I.
17. F. 2. Antonii *d.* — *Inc. Ep. II. ad Corinth.* (ex Dom. praec.)
18. F. 3. Cathedrae Rom. *d. m.* c. Pauli Ap. ac Priscae.
19. F. 4. Canuti *sem. ad lib.* c. Marii et Soc.
20. F. 5. Fabiani et Sebastiani *d.*
21. F. 6. Agnetis *d.*
22. S. Vincentii et Anastasii *sem.* (Romae *d.*)
✠ 23. D. 3. p. Epiph. De ea *sem.* c. Raymundi a Peñaf. ac Emerentianae. — *Inc. Ep. ad Galatas.* — *Romae et aliq. loc.* S. Familiae *d. m.* c. Dom. (Raymundi a Peñaf. *extra Stat. Eccl. tant.)* ac

Emerentianae. — *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* Desponsatio B. M. V. *d. m.* c. Ioseph, Dom. ac Emerentianae.
24. F. 2. Timothei *d.* — (Romae et ubi heri peract. est Off. S. Famil. vel Desponsat. B. M. V. *Inc. Ep. ad Galatas*, ex Dom. praec.)
25. F. 3. Conversio Pauli *d. m.* c. Petri Ap.
26. F. 4. Polycarpi *d.* — *Inc. Ep. ad Ephesios.*
27. F. 5. Io. Chrysostomi *d.*
28. F. 6. Agnetis *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Agnetis — *In Stat. Eccl. et aliq. locis ubi est concess. Off. S. Famil.* Desponsat. B. M. V. *d. m. (f. 23. hui.)* c. Ioseph ac Agnetis.
29. S. Francisci Salesii *d.*
✠ 30. D. 4. p. Epiph. De ea *sem.* c. Martinae *(Romae.* Martinae *d.* c. Dom.) — *Inc. Ep. ad Philipp.*
31. F. 2. Petri Nolasco *d.*

FEBRUARIUS.

1. F. 3. Ignatii *d.* ll. 1. Noct. 1. et 2. *Inc. Ep. ad Coloss.* 3. *Inc. Ep. I. ad Thessal.* (ex fer. 5. seq.) (1)
✠ 2. F. 4. Purificationis B. M. V. *d. 2. cl.*
3. F. 5. De D. 5. p. Epiph. *simp.* (℟℟. fer. 5. *Romae* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. 2. post Epiph.) c. Blasii.
4. F. 6. Andreae Corsini *d.* — ll. 1. Noct. 1. *Inc. Ep. I. ad Timoth.* 2. *Inc. Ep. II. ad Timoth.* 3. *Inc. Ep. ad Titum* (ex Dom. 5. p. Epiph. ac feriis 3. et 5. p. eamd. Dom.)
5. S. Agathae *d.* — *Inc. Ep. ad Philem.* (ex Sabb. infr. hebd. 5. p. Epiph.) *Decr. S. R. C. Burgi S. Domnini 11 Martii 1871 ad 3.*
✠ 6. D. Septuagesimae *2. cl. sem.* c. Titi *(In Stat. Eccl.* loco Titi c. Hyacinthae Mariscott.*)* ac Dorotheae.
7. F. 2. Romualdi *d.*
8. F. 3. Ioannis de Matha *d.* — *aliq. loc.* Orationis Dñi *d. m.* c. Ioannis de Matha.
9. F. 4. Cyrilli Alexandrini *d.* *(In Stat. Eccl.* Titi *d. ass. ex 6 hui.)* c. Apolloniae.
10. F. 5. Scholasticae *d.*
11. F. 6. Sept. Fundatorum *d.*
12. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — *In Stat. Eccl.* Cyrilli Alexandrini *d. (ass. ex 9 hui.)* — *Extra Stat. Eccl. in loc. in quib. concess. est Off. Desponsat.* Raymundi a Peñaf. *sem. (ass. ex 23 Ian.).*
✠ 13. D. Sexagesimae *2. cl. sem. (In Stat. Eccl.* c. Raymundi a Peñaf. *ass. ex 23 Ian.)*
14. F. 2. Valentini *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Valentini.
15. F. 3. Faustini et Iovitae *simp.* — *vel* Vot. Apost. *(Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Faustini et Iovitae — *aliq. loc.* Comm. Passionis *d. m.* c. Faustini et Iovitae.
16. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
17. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
18. F. 6. Simeonis *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Simeonis.

---

(1) Ubi die 3 Februarii fit officium de duplici vel semiduplici, initia Epistolarum S. Pauli insequentibus diebus ordinabuntur ut sequitur:
1. Febr. *Inc. Epist. ad Coloss.* tant.
3. — *Inc. Epist. I. ad Thessal.*
4. — *Inc. Epist II. ad Thessal.*
5. Lect. 1. Noct. ut pr. loco, 9. l. et com. Dom. V. p. Epiph. in Laud. et Miss. in qua Evang. Dom. in fine.

19. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 20. D. QUINQUAGESIMAE *2. cl. sem.*
21. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
22. F. 3. Cathedrae Antioch. *d. m.* c. Pauli Ap.

CRAS CLAUDUNTUR NUPTIAE.

23. F. 4. CINERUM *simp.* c. Vigil. in Missa tant.
† 24. F. 5. MATHIAE *d. 2. cl.* (Per tot. Quadr. in Off. de Ss. dicitur 9. l. de hom. et fit com. feriae).
25. F. 6. Petri Damiani *d.* (*f. 23 hui.*) — *In Italia et ubi est concess.* Margaritae Corton. *sem.* — *aliq. loc.* Spineae Coronae *d. m.* c. Margaritae Corton. (*in Ital. et ubi est concess. tant.*)
26. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept. — *aliq. loc. ac in Ital. et ubi est concess. Off. S. Margaritae Corton.* Petri Damiani *d.* (*f. 23 hui.*)

INCIPIT PARS VERNA BREVIARII.

✠ 27. D. 1. QUADRAG. *1. cl. sem.*
28. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.

MARTIUS.

1. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
2. F. 4. QUAT. TEMP. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
3. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
4. F. 6. QUAT. TEMP. Casimiri *sem.* c. Lucii I. — *aliq. loc.* Lanceae et Clavor. *d. m.* c. Casimiri et Lucii I.
5. S. QUAT. TEMP. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 6. D. 2. QUADRAG. *2. cl. sem.*
7. F. 2. Thomae Aquinatis *d.* c. Perpetuae et Felicitatis.
8. F. 3. Ioannis de Deo *d.*
9. F. 4. Franciscae Rom. *d.*
10. F. 5. Quadrag. Mm. *sem.*
11. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Sacr. Sindonis Dñi. *d. m.*
12. S. Gregorii I. *d.*
✠ 13. D. 3. QUADRAG. *2. cl. sem.*
14. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
15. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
16. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
17. F. 5. Patritii *d.*
18. F. 6. Cyrilli Hierosol. *d.* (1) — *aliq. loc.* (**a, b, e, f.**) Gabrielis Archang. *d. m.* (**c, d.**) Sacr. Quinque Vulner. Dñi *d. m.*
✠ 19. S. **Ioseph** *d. 1. cl.*
✠ 20. D. 4. QUADRAG. *2. cl. sem.*
21. F. 2. Benedicti *d. m.*
22. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *In Italia* Catharinae Fliscae Adurnae *d.* — *aliq. loc.* (**b, d.**) Cyrilli Hierosol. *d.* (*f. 18 vel 20 hui.*) — (**f.**) Sacr. Quinque Vulner. Dñi (*f. 18 hui.*) *d. m.*
23. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *aliq. loc.* (**a, c, f.**) Cyrilli

---

(1) Maioris perspicuitatis gratia diebus 18, 22, 23 et 24 huius mensis litera alphabetica praemittitur variis officiis: earumdem autem significatio heic subiicitur:

a) In Italia ubi est concessum officium S. Gabrielis tantum.

b) Extra ubi etc.

c) In Italia ubi est concessum officium quinque Vulnerum tantum.

d) Extra ubi etc.

e) In Italia ubi est concessum utrumque officium.

f) Extra ubi etc.

Hierosol. *d.* (*f. 18 vel 20 hui.*) (e) Sacr. Quinque Vulner. Dñi *d. m.* (*f. 18 hui.*)

24. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram. — *aliq. loc.* (e) S. Cyrilli Hierosol. *d.* (*f. 20 hui.*)

✠ 25. F. 6. **Annuntiationis B. M. V.** *d. 1. cl.*

26. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept. — *aliq. loc.* Pretiosiss. Sanguinis Dñi *d. m.* (*f. heri*)

✠ 27. D. PASSIONIS *1. cl. sem.* « Cessant Suffragia et Off. vot. »

28. F. 2. Ioannis a Capistrano *sem.*

29. F. 3. Ioannis Damasceni *d.* (*f. 27 hui.*)

30. F. 4. De ea.

31. F. 5. De ea.

APRILIS

1. F. 6. Septem Dolorum B. M. V. *d. m.*

2. S. Francisci a Paula *d.*

✠ 3. D. PALMARUM *1. cl. sem.*

4. F. 2. mai. hebd. De ea.

5. F. 3. mai. hebd. De ea, c. Vincentii Ferreri.

6. F. 4. mai. hebd. De ea.

7. F. 5. in COENA DOMINI *d. 1. cl.*

8. F. 6. in PARASCEVE *d. 1. cl.*

9. SAB. SANCTUM *d. 1. cl.*

✠ 10. D. **Pascha Resurrectionis** *d. 1. cl. cum oct. privil.*

† 11. F. 2. DE EA *d. 1. cl.*

† 12. F. 3. DE EA *d. 1. cl.*

13. F. 4. De ea *sem.* c. Hermenegildi.

14. F. 5. De ea *sem.* c. Iustini ac Tiburtii et Soc.

15. F. 6. De ea *sem.*

16. S. De eo *sem.*

✠ 17. D. IN ALBIS *1. cl.* De ea *d.* c. Aniceti.

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.

18. F. 2. Isidori *d.* (*f. 4 hui.*)

19. F. 3. Leonis I. *d.* (*f. 11 hui.*)

20. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *Inc. lib. Act. Ap.* (ex fer. 2. praec.)

21. F. 5. Anselmi *d.*

22. F. 6. Soteris et Caji *sem.*

23. S. Georgii *sem.*

✠ 24. D. 2. p. Pascha. Fidelis a Sigmaringa *d.* c. Dom.

25. F. 2. MARCI *d. 2. cl.*

26. F. 3. Cleti et Marcellini *sem.* — *aliq. loc.* B. M. V. de Bono Consilio *d. m.*

27. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *aliq. loc.* Cleti et Marcellini *sem.* (*ass. ex 26 hui.*)

28. F. 5. Pauli a Cruce *d.* c. Vitalis.

29. F. 6. Petri *d.*

30. S. Catharinae Sen. *d.* (Romae *d. 2. cl.*)

MAIUS

✠ 1. D. 3. p. Pascha. PHILIPPI ET IACOBI *d. 2. cl.* c. Dom.

2. F. 2. Athanasii *d.* — *Inc. lib. Apocal.* (ex Dom. praec.)

† 3. F. 3. INVENTIO CRUCIS *d. 2. cl.* c. Alexandri I. et Soc. in Laud. et Miss. privat.

4. F. 4. Monicae *d.*

5. F. 5. Pii V. *d.*

6. F. 6. Ioannis ante P. L. *d. m.*

7. S. Stanislai *d.*

✠ 8. D. 4. p. Pascha. Appar. Michaelis Archangeli *d. m.* c. Dom.

9. F. 2. Gregorii Nazianzeni *d.* — *Inc. Ep. Iacobi* (ex Dom. praec.)

10. F. 3. Antonini *d.* c. Gordiani et Epimachi.

11. F. 4. PATROCINII IOSEPH *d. 2. cl. (f. 1 hui.)*
12. F. 5. Nerei et Soc. *sem.*
13. F. 6. De ea (℟℟. ex 1. Noct. Dom. praec.) *vel* Vot. Passionis.
14. S. De B. M. V. in Sabb. *simp. (vel* Vot. Imm. Concept.) c. Bonifacii.
✠ 15. D. 5. p. Pascha. De ea *sem.* — *Inc. Ep. I. Petri.*
16. F. 2. ROGAT. Ubaldi *sem. (aliq. loc.* Ioannis Nepomuceni *d.)* c. fer.
17. F. 3. ROGAT. Paschalis Baylon *d.* (In Miss. 2. or. fer.)
18. F. 4. ROGAT. Vigil. Ascens. Venantii *d.* c. Vigil. (In Miss. 3. or. fer.)
✠ 19. F. 5. **Ascensio Domini** *d. 1. cl. cum oct.* (nihil de Petro Caelestino ac de Pudentiana).
20. F. 6. Bernardini Sen. *sem.* c. oct. — *Inc. Ep. II. Petri.*
21. S. De oct. *sem.* — *In Italia* Felicis a Cantalicio *sem.* c. oct. — *aliq. loc. extra Ital.* Ubaldi *sem. (ass. ex 16 hui.)* c. oct.
✠ 22. D. infr. oct. De ea *sem.* c. oct. — *aliq. loc. in Ital.* c. Ubaldi *(ass. ex 16 hui.)* et oct. — *Inc. Ep. I. Ioann.*
23. F. 2. De oct. *sem.*
24. F. 3. De oct. *sem.* — *In Stat. Eccl.* B. M. V. Auxil. Christ. *d. m.* c. oct.
25. F. 4. Gregorii VII. *d.* c. oct. ac Urbani I. — *Inc. Ep. II. Ioann.*
26. F. 5. Oct. Ascens. *d.* c. Philippi Neri ac Eleutherii. — *Romae* ✠ Philippi Neri *d. 2. cl.* c. oct. (ac Eleutherii in Laud. et Miss. privat.)
27. F. 6. M. Magdal. de Pazzis *sem.* (in Ital. *d.)* c. fer. ac Ioannis I. — *Inc. Ep. III. Ioann.*
28. S. Vigil. Pent. De ea *sem.* c. *(cum 9. l. ex 3 una)* Augustini Cantuar. in Laud. tant. — *Inc. Ep. Iudae.* « Cessant Octavae. »
✠ 29. D. **Pentecostes** *d. 1. cl. cum oct. privil.*
† 30. F. 2. DE EA *d. 1. cl.* (nihil de Ferdinando III. *in Stat. Eccl.* ac de Felice I.)
† 31. F. 3. DE EA *d. 1. cl.* (nihil de Angela Merici ac de Petronilla).

IUNIUS

1. F. 4. QUAT. TEMP. De ea *sem.*
2. F. 5. De ea *sem.* c. Marcellini et Soc.
3. F. 6. QUAT. TEMP. De ea *sem.*
4. S. QUAT. TEMP. De eo *sem.* c. Francisci Caracciolo.

INCIPIT PARS ÆSTIVA BREVIARII.

✠ 5. D. 1. p. Pent. *1. cl.* TRINITATIS *d. 2. cl.* c. Bonifacii et Dom.
6. F. 2. Norberti *d.* — *Inc. lib. I. Reg.*
7. F. 3. De ea (℟℟. ex fer. 2. praec.) — *vel* Vot. Apost. *(Romae* Vot. Petri et Pauli).
8. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
✠ 9. F. 5. **Corporis Christi** *d. 1. cl. cum oct. — aliq. loc. cum oct. privil. ut Epiph.* (nihil de Primo et Feliciano).
10. F. 6. De oct. *sem.* c. *(sine l.)* Margaritae Regin. Scotor.
11. S. Barnabae *d. m.* c. oct.
✠ 12. D. infr. oct. 2. p. Pent. Ioannis a S. Facundo *d.* c. Dom., oct. ac Basilidis et Soc.
13. F. 2. Antonii a Padua *d.* c. oct.
14. F. 3. Basilii *d.* c. oct.
15. F. 4. De oct. *sem.* c. *(sine l.)* Viti et Soc.
16. F. 5. Oct. Corporis Christi *d.*
17. F. 6. **Cordis Jesu** *d. 1. cl.*

18. S. De M. V. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Marci et Marcelliani. — *aliq. loc. in quib. oct. Corp. Chr. est privil. ut oct. Epiph.* Barnabae Ap. *d. m.* (*f. 11 hui.*) c. Marci et Marcelliani.
✠ 19. D. 3. p. Pent. Iulianae de Falcon. *d.* c. Dom. ac Gervasii et Protasii.
20. F. 2. Silverii *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Silverii. — *aliq. loc. notat. 18 hui.* Basilii *d.* (*f. 11 hui.*) c. Silverii.
21. F. 3. Aloisii *d.*
22. F. 4. Paulini *simp.* — *vel* Vot. Ioseph, c. Paulini.
23. F. 5. Vigil. De ea — *vel* Vot. Sacram. c. Vigil.
✠ 24. F. 6. **Nativ. Ioannis Bapt.** *d. 1. cl. cum oct.*
25. S. Gulielmi *d.* c. oct.
✠ 26. D. 4. p. Pent. Ioannis et Pauli *d.* c. Dom. et oct.
27. F. 2. De oct. *sem.*
28. F. 3. Vigil. Leonis II. *sem.* c. oct. ac Vigil.
✠ 29. F. 4. **Petri et Pauli** *d. 1. cl. cum oct.* — *aliq. loc.* c. omn. App.
30. F. 5. Comm. Pauli *d. m.* c. Petri Ap. ac oct. Nativ. Ioannis Bapt.

IULIUS

1. F. 6. Oct. Nativ. Ioann. Bapt. *d.* c. oct. App.
2. S. Visitationis B. M. V. *d. 2. cl.* c. (oct. App. *Romae tant.* ac) Processi et Martiniani in Laud. et Miss. priv.
✠ 3. D. 5. p. Pent. Pretiosiss. Sanguinis Domini *d. 2. cl.* c. Dom. (ac oct. App. *Romae tant.*)
4. F. 2. De oct. *sem.* — *Inc. lib. II. Reg.* (ex Dom. praec.)
5. F. 3. Cyrilli et Methodii *d.* c. oct.
6. F. 4. Oct. Petri et Pauli *d.*
7. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
8. F. 6. Elisabeth Portug. *sem.*
9. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — *Romae.* Prodigior. B. M. V. *d. m.* — *In Stat. Eccl.* Veronicae de Iulianis *d.*
✠ 10. D. 6. p. Pent. De ea *sem.* c. Sept. Fratr. ac Rufinae et Secundae — *aliq. loc.* Comm. omn. Pontif. *d.* c. Dom. et Sept. Fratr. ac Rufinae et Secundae.
11. F. 2. Pii I. *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Pii I. — *Romae* Veronicae de Iulianis *d.* (*ass. ex 9 hui.*) c. Pii I.
12. F. 3. Io. Gualberti *d.* c. Naboris et Felicis.
13. F. 4. Anacleti *sem.*
14. F. 5. Bonaventurae *d.*
15. F. 6. Henrici *sem.*
16. S. B. M. V. de Monte Carmelo *d. m.*
✠ 17. D. 7. p. Pent. De ea *sem.* c. Alexii. — *Romae* Alexii *d.* c. Dom. — *Inc. lib. III. Reg.*
18. F. 2. Camilli *d.* c. Symphorosae et Filior.
19. F. 3. Vincentii a Paulo *d.*
20. F. 4. Hieronymi Aemiliani *d.* c. Margaritae.
21. F. 5. Praxedis *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Praxedis.
22. F. 6. M. Magdalenae *d.*
23. S. Vigil. Apollinaris *d.* c. Vigil. et Liborii.
✠ 24. D. 8. p. Pent. De ea *sem.* c. Christinae.
† 25. F. 2. Iacobi *d. 2. cl.* c. Christophori in Laud. et Miss. priv.
† 26. F. 3. Annae *d. 2. cl.*
27. F. 4. Pantaleonis *simp.* — *vel* Vot. Ioseph, c. Pantaleonis.

28. F. 5. Nazarii et Soc. *sem.*
29. F. 6. Marthae *sem.* c. Felicis II. et Soc.
30. S. De B. M. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Abdon et Sennen.
✠ 31. D. 9. p. Pent. 1. Aug. Ignatii de Loiola *d.* c. Dom. — *Inc. Parab. Salom.*

AUGUSTUS

1. F. 2. Petri ad Vincula *d. m.* c. Pauli Ap. ac Machabaeorum.
2. F. 3. Alphonsi *d.* c. Stephani I.
3. F. 4. Inventio Stephani *sem.*
4. F. 5. Dominici *d. m.*
5. F. 6. B. M. V. ad Nives *d. m.*
6. S. Transfiguratio Domini *d. m.* c. Xysti II. et Soc.
✠ 7. D. 10. p. Pent. 2. Aug. Caietani *d.* c. Dom. ac Donati. — *Inc. lib. Ecclesiastes.*
8. F. 2. Cyriaci et Soc. *sem.*
9. F. 3. Vigil. De ea (℟℟. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) c. Romani — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli.) c. Vigil. et Romani.
† 10. F. 4. Laurentii *d. 2. cl. cum oct.*
11. F. 5. De oct. *sem.* c. Tiburtii et Susannae.
12. F. 6. Clarae *d.* c. oct.
13. S. Vigil. De oct. *sem.* c. Vigil. ac Hippolyti et Cassiani. Miss. Vigil. c. oct. ac Hippolyti et Cassiani.
✠ 14. D. 11. p. Pent. 3. Aug. De ea *sem.* c. oct. ac Eusebii. — *Inc. lib. Sapientiae.*
✠ 15. F. 2. **Assumptionis B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.*
16. F. 3. Hyacinthi *d.* (*aliq. loc.* Rochi *d.*) c. 2 oct.
17. F. 4. Oct. Laurentii *d.* c. oct. Assumpt.
18. F. 5. De oct. *sem.* c. Agapiti — *aliq. loc.* Hyacinthi *d.* (*ass. ex 16 hui.*) c. oct. ac Agapiti.
19. F. 6. De oct. *sem.*
20. S. Bernardi *d.* c. oct.
✠ 21. D. 12. p. Pent. 4. Aug. Ioachim *d. 2. cl.* c. Ioann. Franc. Fremiot de Chantal ac Dom.
22. F. 2. Oct. Assumpt. *d.* c. Timothei et Soc.
23. F. 3. Vigil. Philippi Benitii *d.* c. Vigil. (*except. Romae*) — *Inc. lib. Ecclesiastici* (ex Dom. praec.)
† 24. F. 4. Bartholomaei *d. 2. cl.* — *Romae* Vigil. De ea — *vel* Vot. Ioseph, c. Vigil.
25. F. 5. Ludovici *sem.* (in Gallia *d.*) — *Romae* † Bartholomaei *d. 2. cl.*
26. F. 6. Zephyrini *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Zephyrini. — *Romae* Ludovici *sem.* c. Zephyrini.
27. S. Joseph Calasanctii *d.*
✠ 28. D. 13. p. Pent. 5. Aug. Augustini *d.* (*aliq. loc.* Purissimi Cordis B. M. V. *d. m.*) c. Dom. ac Hermetis.
29. F. 2. Decollat. Ioannis Bapt. *d. m.* c. Sabinae.
30. F. 3. Rosae Limanae *d.* c. Felicis et Adaucti.
31. F. 4. Raymundi Nonnati *d.*

SEPTEMBER

1. F. 5. Aegidii *simp.* c. Duodec. Fratr. — *vel* Vot. Sacram. c. Aegidii et Duodec. Fratr. — *aliq. loc.* Augustini *d.* (*f. 28 Aug.*) c. Aegidii et Duodec. Fratr.
2. F. 6. Stephani Reg. *sem.*
3. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.

Incipit pars autumnalis breviarii.

✠ 4. D. 14. p. Pent. 1. Sept. De ea

sem. — *In Stat. Eccl.* Rosae a Viterb. *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Iob.*
5. F. 2. Laurentii Iustin. *sem.*
6. F. 3. De ea (*In Stat. Eccl.* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. praec.) — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
7. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
✠ 8. F. 5. Nativitatis B. M. V. *d. 2. cl. cum oct.* c. Hadriani in Laud. et Miss. priv.
9. F. 6. De oct. *sem.* c. Gorgonii.
10. S. Nicolai a Tolentino *d.* c. oct.
✠ 11. D. 15. p. Pent. 2. Sept. Nominis B. M. V. *d. m.* c. Dom. ac Proti et Hyacinthi.
12. F. 2. De oct. *sem.*
13. F. 3. De oct. *sem.*
14. F. 4. Exaltatio Crucis *d. m.* c. oct.
15. F. 5. Oct. Nativ. B. M. V. *d.* c. Nicomedis.
16. F. 6. Cornelii et Cypriani *sem.* c. Euphemiae et Soc.
17. S. Stigmat. Francisci *d.*
✠ 18. D. 16. p. Pent. 3. Sept. VII. Dolor. B. M. V. *d. m.* c. Ioseph a Cupertino ac Dom.
19. F. 2. Ianuarii et Soc. *d.* — *Inc. lib. Tobiae* (ex Dom. praec.)
20. F. 3. Vigil. Eustachii et Soc. *d.* c. Vigil.
† 21. F. 4. Quat. Temp. Matthaei *d. 2. cl.* c. fer.
22. F. 5. Thomae a Villanova *d.* c. Mauritii et Soc.
23. F. 6. Quat. Temp. Lini *sem.* c. fer. ac Theclae.
24. S. Quat. Temp. B. M. V. de Mercede *d. m.* c. fer.
✠ 25. D. 17. p. Pent. 4. Sept. De ea *sem.* — *Inc. lib. Iudith.*
26. F. 2. Cypriani et Iustinae *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Cypriani et Iustinae.
27. F. 3. Cosmae et Damiani *sem.*
28. F. 4. Wenceslai *sem.*
✠ 29. F. 5. Dedic. Michaelis Archangeli *d. 2. cl.*
30. F. 6. Hieronymi *d.*

OCTOBER

1. S. Remigii *sem. ad lib. vel simp. de praec.* (in Gallia *d.*) — *Inc. lib. Esther* (ex Dom. V. Sept.)
✠ 2. D. 18. p. Pent. 1. Oct. Rosarii B. M. V. *d. 2. cl.* c. Dom.
3. F. 2. Angelorum Custodum *d. m.* (*f. 2 hui.*)
4. F. 3. Francisci *d. m.*
5. F. 4. Placidi et Soc. *simp.* — *vel* Vot. Ioseph, c. Placidi et Soc. — *Romae* Gallae *d.* c. Placidi et Soc. — *Inc. lib. I. Machabaeorum* (ex Dom. praec.)
6. F. 5. Brunonis *d.*
7. F. 6. Marci *simp.* c. Sergii et Soc. — *vel* Vot. Passionis, c. Marci ac Sergii et Soc.
8. S. Birgittae *d.*
✠ 9. D. 19. p. Pent. 2. Oct. De ea *sem.* c. Dionysii et Soc. — *aliq. loc.* Maternitatis B. M. V. *d. m.* c. Dom. ac Dionysii et Soc.
10. F. 2. Francisci Borgia *sem.*
11. F. 3. De ea (*aliq. loc.* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
12. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
13. F. 5. Eduardi *sem.*
14. F. 6. Callisti I. *d.*
15. S. Teresiae *d.*
✠ 16. D. 20. p. Pent. 3. Oct. De ea *sem.* — *aliq. loc.* Puritatis B. M. V. *d. m.* c. Dom.
17. F. 2. Hedwigis *sem.*
18. F. 3. Lucae *d. 2. cl.*
19. F. 4. Petri de Alcantara *d.*
20. F. 5. Ioannis Cantii *d.*
21. F. 6. Hilarionis *simp.* c.

Ursulae et Soc. — *vel* Vot. Passionis, c. Hilarionis ac Ursulae et Soc.

22. S. De B. M. in Sabb. *simp.* - *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 23. D. 21. p. Pent. 4. Oct. De ea *sem.* — *Inc. lib. II. Machab.* — *Romae.* Redemptoris *d. m.* c. Dom.

24. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. — *aliq. loc.* Raphaelis Archang. *d. m.*

25. F. 3. Chrysanthi et Dariae *simp.* — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) — *Inc. lib. II. Machab.* (ex Dom. praec.) c. Chrysanthi et Dariae.

26. F. 4. Evaristi *simp.* — *vel* Vot. Ioseph, c. Evaristi.

27. F. 5. Vigil. De ea, ll. hom. — *vel* Vot. Sacram. ll. 1. Noct. *Igitur Eleazarus* (ex Dom. V. Oct.) c. Vigil.

† 28. F. 6. Simonis et Iudae, *d. 2. cl.*

29. S. De B. M. in Sabb. *simp.* ll. 1. et 2. *Igitur Eleazarus* (ex Dom. V. Oct.) — *vel* Vot. Imm. Concept. ll. 1. Noct. *Mortuo itaque* (ex fer. 2. post Dom. V. Oct.)

✠ 30. D. 22. p. Pent. 1. Nov. De ea *sem.* — *Inc. lib. Ezechielis.*

31. F. 2. Vigil. De ea — *vel* Vot. Angel. c. Vigil.

NOVEMBER

✠ 1. F. 3. **Omnium Sanctorum** *d. 1. cl. cum oct.*

2. F. 4. De oct. *sem.* Comm. omn. Defunct. *d.*

3. F. 5. De oct. *sem.*

4. F. 6. Caroli *d.* c. oct. ac Vitalis et Agricolae.

5. S. De oct. *sem.* (Hoc anno omitt. Dom. 2. Nov.)

✠ 6. D. 23. p. Pent. 3. Nov. De ea *sem.* c. oct. — *Inc. lib. Danielis.*

7. F. 2. De oct. *sem.*

8. F. 3. Oct. omnium Ss. *d.* c. Quatuor Coronatorum.

9. F. 4. Dedic. Basilic. SS. Salvatoris *d. m.* c. Theodori.

10. F. 5. Andreae Avellini *d.* c. Triphonis et Soc.

11. F. 6. Martini *d.* c. Mennae.

12. S. Martini I. *sem.*

✠ 13. D. 24. p. Pent. 4. Nov. 6. p. Epiph. De ea *sem.* c. Didaci. — *Inc. lib. Osee.* — *In Stat. Eccl.* Patrocinii B. M. V. *d. m.* c. Stanislai Kostka ac Dom. — *In Italia* Stanislai Kostka *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Osee.*

14. F. 2. Iosaphat *d.* (*In Stat. Eccl. Inc. lib. Osee*, ex Dom. praec.)

15. F. 3. Gertrudis *d.* — *Inc. Ioël.*

16. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *In Italia.* Didaci *sem.* (*ass. ex 13 hui.*)

17. F. 5. Gregorii Thaum. *sem.* (Romae *d.*) — *Inc. Amos.*

18. F. 6. Dedic. Basilic. Petri et Pauli *d. m.*

19. S. Elisabeth *d.* c. Pontiani — ll. 1. Noct. 1. *Inc. Abdias* (ex fer. 6. praec.) 2. et 3. *Inc. Ionas.*

✠ 20. D. 25. ult. p. Pent. 5. Nov. Felicis de Valois *d.* c. Dom. (24. p. Pent.) — *Inc. Michaeas.*

21. F. 2. Praesentationis B. M. V. *d. m.*

22. F. 3. Caeciliae *d.*

23. F. 4. Clementis I. *d.* c. Felicitatis.

24. F. 5. Ioannis a Cruce *d.* c. Chrysogoni — ll. 1. Noct. 1. *Inc. Nahum*, 2. *Inc. Habacuc*, 3. *Inc. Sophonias* (ex feriis 2. 3. et 4. praec.)

25. F. 6. Catharinae *d.* ll. 1. Noct. 1. *Inc. Aggaeus* (ex fer. 5.

praec.) 2. et 3. *Inc. Zacharias.*
26. S. Silvestri *d.* c. Petri Alexandrini — *Inc. Malachias.*

INCIPIT PARS HYEMALIS BREVIARII.

CRAS CLAUDUNTUR NUPTIAE.

✠ 27. D. 1. Adv. *1. cl. sem.* « Cessant Suffragia ».
28. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. (Dieb. fer. per tot. Adv. in Off. 9. lect. fit com. fer.)
29. F. 3. Vigil. — De fer. c. Saturnini. Miss. Vigil. c. fer. ac Saturnini — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Saturnini. In Miss. 2. or. fer. 3. Vigil. 4. S. M.
† 30. F. 4. ANDREAE *d. 2. cl.*

DECEMBER

1. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
2. F. 6. Bibianae *sem.*
3. S. Francisci Xaverii *d.*
✠ 4. D. 2. ADV. *2. cl. sem.* c. Barbarae.
5. F. 2. Petri Chrysologi *d. (f. 4 hui.)* c. Sabbae.
6. F. 3. Nicolai *d.*
7. F. 4. Vigil. Ambrosii *d.* (In Miss. 3. or. et Ev. Vigil.)
✠ 8. F. 5. **Immac. Concept. B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.*
9. F. 6. De oct. *sem.*
10. S. De oct. *sem.* c. Melchiadis — *aliq. loc.* Translationis Domus Lauret. *d. m.* (in regione Picena *d. 1. cl. cum oct. quae suspendit. usq. ad diem 16, et terminat. ad Non. eiusd. diei)* c. Melchiadis *extra reg. Picen. tant.*
✠ 11. D. 3. ADV. *2. cl. sem.* c. Damasi I. et oct.
12. F. 2. De oct. *sem.*
13. F. 3. Luciae *d.* c. oct.
14. F. 4. QUAT. TEMP. De oct. *sem. (omitt. 9. l. fer.)*
15. F. 5. Oct. Imm. Concept. B. M. V. *d.*
16. F. 6. QUAT. TEMP. Eusebii *sem.* (*In regione Picena* c. oct. Translat. Domus Lauret. in Laud. et Miss. tant.)
17. S. QUAT. TEMP. De eo « Cessant Off. votiv. » *O Sapientia.*
✠ 18. D. 4. ADV. *2. cl. sem. — O Adonai.*
19. F. 2. De ea — *aliq. loc.* Expectat. Partus B. M. V. *d. m. (f. 18 hui.) — O Radix.*
20. F. 3. Vigil. De fer. (sine com. Vigil.) Miss. Vigil. c. fer. — *O Clavis.*
† 21. F. 4. THOMAE *d. 2. cl. — O Oriens.*
22. F. 5. De ea — *O Rex.*
23. F. 6. De ea — *O Emmanuel.*
24. S. Vigil. Nativ. De ea *simp.* Ad Laud. et deinc. *d.*
✠ 25. D. *(vacat.)* **Nativitatis D. N. J. C.** *d. 1. cl. cum oct. privil.*
† 26. F. 2. STEPHANI *d. 2. cl. cum oct.* c. oct. Nat. — *aliq. loc.* com. omn. Mm. ac oct.
† 27. F. 3. (Romae ✠) IOANNIS *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.
† 28. F. 4. INNOCENTIUM *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.
29. F. 5. Thomae Cantuarien. *d.* c. octavar.
30. F. 6. De Dom. infr. oct. *sem.* c. octavar. — *Inc. Ep. ad Romanos.*
† 31. S. Silvestri I. *d.* c. octavar.

Hodie et Anno insequenti 1899 litera Martyrologii erit **t.**

SOLUTIO QUAESTIONIS

Pro Martio propositae. (1)

« An liceat exponere inter candelabra Altaris non tantum Reliquias Sanctorum, sed etiam SS. Crucis nec non SS. Spineae Coronae D. N. I. C., saltem nobiliori loco, nempe e lateribus Crucis altaris? »

Super altaribus diebus praesertim solemnioribus usum existere ponendi inter candelabra Sanctorum Reliquias in pulchrioribus thecis aut in statuis inclusas nemo est qui ignoret. Usus ille in Urbe viget et ab Episcoporum Caeremoniali congruus declaratur.

An vero Sanctorum Reliquiarum instar et Sanctae Crucis Reliquiae inter altaris candelabra collocari possint, haec est quaestio, quam consociatis suis Ephemerides Liturgicae solvendam proposuerunt.

Antequam ad enunciatum dubium pro modulo meo respondeam, quaedam circa varios modos exponendi Reliquias et circa reverentiae signa illis debita breviter animadvertere necessarium duco.

Reliquiae, quae non omni tempore sed certis tantum diebus Fidelium venerationi exponi solent, communiter super

(1) Solutionem propositae questionis ad ephemeridum Redactionem dederunt: Rmi Dom. Augustus Canon. Orsini e Cemtumcellis.: Angelus Paroch. Fournerest, e Dioecesi Lingonensi, ex Academicis nostris: Evander Settimii, ex alumnis almi Collegii Capranicensis, romanus: Nivardus Paroch.Bossi e Castro Palatio, item ex Academicis: Bernardus Mock, ex alumnis Pontif. Collegii Urb. de Prop. Fide: Felix doct. Ravanat Romae domicilium habens, ex Academiae liturgicae Censoribus. Huius ultimi, solutionem, prae reliquis, evulgare, omnibusque mature perpensis, dignam praemio, quod quamprimum missuri sumus, censuimus.

altaribus collocantur, quamvis etiam poni possint in odeo, ut aliquando in quibusdam Urbis Basilicis fit, vel super credentia ad hoc parata, ut docet de Conny (1).
Triplex videtur distingui posse Reliquiarum expositio iuxta varia festorum genera, quae expositionibus locum dant.

Si Sancti cuius festum celebratur Reliquiae asservantur, tunc illae exponi solent ante crucem altaris maioris vel alterius altaris iuxta locorum consuetudinem, excepto tamen altari in quo asservatur SS. Eucaristia; nam nec supra ciborium, (*Decret. Generale, 3 Aprilis 1821*) nec ante ostiolum cibori[1] in quo SS. Sacramentum existit (*S. Angeli in Vado, 1 Sept. 1845*) Reliquias exponere licet.

Si celebretur festum omnium Reliquiarum quae in Dioecesi vel in Ecclesia asservantur, tunc exponi solent omnes Reliquiae quas possidet Ecclesia, quod etiam observatur in Urbis Ecclesiis quando in eis fit statio. Reliquiae vel super altaris praecipui mensa collocantur vel inter varia altaria distribuntur, super mensa vel inter candelabra disponendae. In festivitatibus omnium Reliquiarum quae in dioecesi vel in Ecclesia asservantur, exponi possunt et Reliquiae D. N. I. C. uti constat ex decreto in Namurcen. (*29 Martii 1885*) Solemnioribus Festis occurrentibus, multis in locis, ut iam diximus, inter candelabra altaris maioris, et etiam, in quibusdam Ecclesiis, aliorum altarium, quatuor aut sex thecae pulchriores Sanctorum reliquias continentes collocantur, quamvis de Sanctis quorum Reliquiae exponuntur, nihil in Officio aut Missa fiat. Illo in casu saepe magis attenditur ad formam thecarum, quam ad Sanctos, quorum in illis extant Reliquiae, unde Reliquiae tunc expositae manent ad altaris ornatum, ut dici solet.

Ante Reliquias, quacumque ex causa exponantur, duo saltem lumina continuo collucere debent. Auctores communiter docent quod ardere etiam debet una lampas, et hoc colligunt ex decreto in una Montis Coronae (*22 Ian. 1701*); sed haec obligatio non videtur amplius vigere post Decretum in Brio-

1 De Conny. — Cérémonial Romain (p. 101).

cen (*12 Aug. 1854 ad 18)*, quod sic sonat: « Ante sacra Lipsana exposita saltem duo lumina ex Decretis collucere debere ». Canestri exigit, ut quatuor saltem ardeant lumina ante Reliquias D N. I. C. (*Rubr. Parochor. Part. 4, c. 2.*), nec desunt Urbis Ecclesiae in quibus Reliquiae huiusmodi numquam exponuntur nisi sex candelis collucentibus.

Expositis Reliquiis in altari chori, incensatio debetur quoties incensatur altare. Reliquias incensandi modus, si inter candelabra collocantur, ab ipso Missali et Episcoporum Caeremoniali traditur; « Si vero in Altari fuerint Reliquiae, seu Imagines Sanctorum, incensata Cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat e medio Altaris, primum incensat eas, quae a dexteris sunt, id est a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum: et iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quae sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolae: deinde prosequitur incensationem Altaris.... (*Rit. celeb. Missam — IV, 5)* ». Quando vero Reliquia in medio Altaris sit exposita, haec incensatur post Crucem triplici ductu si sit Reliquia Domini, ut statuit S. R. C. in Fesulana (*23 Sept. 1885)*: si vero sit Sanctorum, et illa incensatur iuxta praxim Urbis et communem auctorum praesertim recentiorum doctrinam, inter quos Schober (*Caeremoniale Missarum Solemnium*), Solans (*Manual liturgico)*, et auctor Caeremonialis SS. Trinitatis (*Cerimonial de los Religiosos descalzados del Orden de la Santisima Trinidad*, sed tantum duplici ductu.

Ante Reliquias expositas in Altaris principe loco transeuntes caput inclinant, ut plures auctores docent, inter quos Solans (*Manual I*, 240), quamvis tamen reverentiam huiusmodi ante Reliquias insignes tantum faciendam putant Gavantus, Cavalieri, Hyppolitus a Portu, de Herdt et Levavasseur. Si vero exposita sit Reliquia S. Crucis, tunc genuflexio est facienda (*S. R. C. 7 Maii 1746, Varsavien 12*). Cultus signa, quae S. Cruci exhibentur, tribuenda etiam videntur ceteris Dominicae Passionis instrumentis, ut colligere fas est ex Decreto Generali S. R. C. 27 Maii 1826, et docet de Herdt, necnon Reliquiae Pretiosissimi Sanguinis Dni, ut declaratum fuit in Celsonen. 27 Iunii 1868.

His de Reliquiarum cultu praemissis, ad solutionem propositi dubii propius accedamus.

Ad quæsitum: An liceat exponere inter candelabra Altaris non tantum Reliquias Sanctorum, sed etiam SS. Crucis, nec non SS. Spineæ Coronæ D. N. I. C., saltem nobiliori loco, nempe e lateribus Crucis Altaris, mihi videtur respondendum esse negative.

Et revera lex existit prohibens omnino ne aliquid super altare ponatur, quod ad Missae sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat: « Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missae sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertineat (*Rubr. Gen. Miss. — Tit XX*). » Nisi igitur alia lex existat, quæ, derogans legi cita tae, Reliquias SS. Crucis inter candelabra altaris ponere permittat, illas ita disponere licitum non erit, nisi dicere velis illas Sacrificio Missae vel ornatui altaris inservire. Sed nec ulla lex huiusmodi existit, nec Reliquias ita dispositas pertinere ad Sacrificium Missae vel ad altaris ornatum dicere fas est. Ergo Reliquiæ SS. Crucis inter altaris candelabra licite collocari nequeunt.

I. Nulla lex habetur, quæ Reliquias modo superius enunciato disponere permittat.

Iam vidimus haberi Decretum permittens vel ex quo deduci possit, non reprobari usum exponendi Reliquias S. Crucis in medio altaris; sed aliud est Reliquias in medio altaris exponere, aliud illas inter candelabra collocare: priori in casu Reliquiæ exponuntur ad cultum, in posteriori vero, primario et principaliter ad ornatum, ut iam innuimus.

Sed quod ex S. R. C. Decretis licere non constat, nec liturgici textus permittunt. Fateor revera hoc non deduci directe, neque ex Rubrica Missalis (*Ritus celebrandi Missam VI, 5.*), neque ex Caeremoniali Episcoporum *l. I, C. XXXIII n. 6*): « Si vero in Altari fuerint Reliquiæ seu Imagines Sanctorum »; his enim in locis non satis apparet utrum τὸ *Sanctorum* relationem habeat ad Imagines tantum, vel etiam ad Reliquias. Sed ex capite XII. n 12 Caeremonialis, in quo ea enumerantur, quæ super altari congrue collocantur,

haec prostant verba: « Si haberentur Reliquiæ, aut tabernacula cum Sanctorum Reliquiis vel imagines argenteæ...... congrue exponi possent (*a lateribus nempe Crucis*). » Citatis in verbis τὸ *Sanctorum* clare se refert ad Reliquias, et per illa explicare oportet loca alia citata, quæ subobscura videntur: nam obscuros textus per clariores critici explicare solent. Quod eo magis in casu nostro iure procedere fatendum est, si attendatur quod, dum Cæremoniale (*I. XXXIII, 6*) et Missale (*IV, 5*) de Reliquiis loquuntur transeunter tantum, ad tradendum nempe modum quo in altari existentes thurificandæ sunt, Cæremonialis Caput XII, L. I, unice se refert ad ornatum Ecclesiae, et ex professo describit quæ super altari convenienter collocantur. Si igitur Caeremoniale congrue super altare collocari docet non Reliquias in genere, sed Reliquias Sanctorum, cum generi per speciem derogetur, dicendum est ab illo permitti tantum Reliquias Sanctorum, non vero alias. Quod eo magis verum dicendum est, si instituitur comparatio inter numerum hunc 12, et numerum sequens: ubi Cæremoniale cum agit de panno quo intextae sunt imagines, et qui parieti supra altare applicari potest, nominat expresse tum imagines Sanctorum, tum imagines D. N. I. C. Nonne quod voluit expressit, quod non voluit non expresit? Interpretatio, quam tradimus, pro se habet optimam legum interpretem, quae, ut noscunt omnes, est consuetudo. Consuetudo in liturgicis rebus per auctores praesertim probatur, nam auctores liturgici testes sunt consuetudinis, ut innuit Falise (1). Liturgistae non solum leges liturgicas referunt, sed illas interpretantur, et saepe saepius eorum opiniones in legum interpretatione pro fundamento habent communem sententiam communemque praxim, quae apud concives eorum vigent. Si igitur inter tot auctores, qui Rubricas Missalis et Episcoporum Caeremoniale interpretati sunt, nullus reperitur, qui doceat Reliquias SS. Crucis collocari posse inter altaris candelabra, praesumptio in favorem sententiae nostrae quam maxima habebitur; quae praesumptio, si auctores non solum

---

(1) Falise — Cérémonial Romain — P. 2. C. 3.

huiusmodi consuetudinem silerent, sed suo loquendi modo etiam excluderent, evanesceret profecto, et locum daret certitudini. Iam nunc quod res de facto ita se habeat, simplex auctorum examen demonstrat. Nullum enim auctorem mihi datum fuit invenire, qui doceat Reliquias SS. Crucis poni posse inter candelabra, dum multi vel ipsissimis verbis Rubricae Missalis utuntur, vel expresse docent super altare congrue collocari Reliquias SANCTORUM. Ex his ultimis aliquos audire iniucundum forsan non erit. « Loco florum Sanctorum Reliquiae aptiorem constituunt altaris ornatum. » Stella (1). — « Candelabris interponi poterunt Sanctorum imagines vel thecae quibus Sanctorum Reliquiae continentur, vel etiam vasa cum floribus, iuxta rationem officii. » Martinucci (2). — « Exponi etiam poterunt Reliquiae vel thecae, quibus Sanctorum Reliquiae continentur, vel Sanctorum imagines. » Schober (3). Quibus consonant: Laboranti (4), — Falise (5), — De Conny (6) — et Caeremoniale Hispanicum Ordinis SS. Trinitatis, (7).

Ex dictis igitur ad hanc primam conclusionem mihi fas est devenire: legem non existere permittentem SS. Crucis Reliquias inter candelabra altaris.

II. Quod SS. Crucis Reliquiae ad Missae Sacrificium non pertineant, per se patet; sed nec ad altaris ornatum pertinent.

Quod thecae in quibus SS. Crucis fragmenta includuntur, sicut et Reliquiaria in quibus Sanctorum ossa servantur, altare ornare per se nequeant nec mihi in animo est negare.

---

(1) Stella — Institutiones liturgicae — Tract. I. C. I. § 4, n 6.

(2) Martinucci — Manuale Sacrarum Caeremoniarum — L. II, c. IV, n. 5.

(3) Schober —Caeremoniale Missarum Solemnium et Pontificalium — Art. I, c. III, n. 6.

(4) Laboranti — Direttorio Sacro — L. IV. p. III, Tit. II n. 454.

(5) Falise — Cérémonial Romain — P. II, Sect. II, c III, §. 354.

(6) De Conny —Ceremonial Romain — L. I, c. 1,

(7) Ceremonial de los Religiosos descalzados del orden de la Santisima Trinidad, P. I, C. II, §. II.

At Rubrica non de quocumque loquitur ornatu, sed de congruo tantum, et recto liturgico sensui conformi. Quid Eucharisticis monstrantiis pulchrius? et tamen quis unquam somniavit, ostensoria SS. Hostiam continentia, et pretiosissimis gemmis fulgentia, inter candelabra ad altaris ornatum ponere? Et tamen ostensoria illa altari ornamento (materialiter sumpta) utique essent. Sed ornatus huiusmodi, qui infidelibus pulcherrimus forsan videretur, placere nequaquam posset catholicis, qui sub Panis speciebus sciunt existere Christum. Ornatus placet et delectat propter relationem suam ad pulchritudinem, pulchra autem iuxta vulgarem notionem sunt, ut ait S. Thomas, quae visa placent, quia autem aliud vident in ostensorio infideles, aliud catholici, quod prioribus pulchrum videtur, deforme habent posteriores. Sed rem intimius perscrutemur Ornatus placent, ut diximus, quia aliquid pulchri producunt; pulchrum autem quidam definiunt *splendorem ordinis:* ordo, iuxta D. Augustinum (1) est « parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio », et dispositio optima erit quum, ut docet Angelicus, « unaquaeque res... ad suum finem convenienter ordinatur » (2). Conveniens autem finis expositionis Eucharistiae super altari est ipsius adoratio, non altaris ornatus Altare confectioni et expositioni Eucharistiae inservit, non Eucharistia altaris ornatui. Altare utique significat Christum, ut ait Alcuinus, sed contra rerum ordinem est ut persona figurata inserviat ornatui rei, quae est illius repraesentatio, et figura. Quod de Eucharistia evidens est, habita proportione dicendum est etiam de Reliquiis SS. Crucis, quae non solum Christum repraesentant, sed etiam pretioso eius sanguine fuerunt conspersae et Christo ipsi aliqualiter coniunctae (ut ait Marc): und cum maiorem ad Sacram Humanitatem D. N. I. C. relationem habeant quam altare, illius ornatui inservire nullatenus debent, dum contra, altare inservire potest illarum Reliquiarum cultui. Unde sicut nec ostensoria, nec Crucifixi imagines

(1) De Civitate Dei, l. XIX, c. 3.
(2) Contra Gentes, prœm. c. 1.

inter altaris candelabra ad illius ornatum poni queunt, ita nec SS. Crucis Reliquias super altare ad ornatum ponere licet.

III. Insuper alia causa cur usus huiusmodi collocandi SS. Crucis Reliquias inter altaris candelabra, si existeret, reprobandus esset, mihi videtur desumenda ex diligentissimis curis, quas adhibet Ecclesia ad praecavendum, neii sdem reverentiae et cultus signis honorentur Reliquiae SS. Crucis et Reliquiae Sanctorum.

In Ecclesia enim solemne semper fuit, ut varia cultus obiecta variis prosequamur venerationis et reverentiae signis, pro vario eorum excellentiae gradu; et sicut quam maxime interest ut nulla in hoc confusio apud fideles existat, quia tandem aliquando confusio in externis ritibus errorem in fide gignere posset, saltem apud rudes, qui saepe saepius ex his quae vident principaliter notitias attingunt suas; sancta Mater Ecclesia, vigil fidei custos, sapientissimis legibus, a liturgico cultu omnino excludere nititur, quae hac in materia fidelibus erroris occasionem praebere possent.

Propterea dum permisit ut SS. Crucis Reliquiae sub baldachino deferantur, edixit quod tunc sub eodem baldachino aliae Sanctorum Reliquiae nullimode deferri simul valeant (*S. R. C. 23 Maii 1835*).

Propterea sanxit, nullimode includendas esse Sanctorum et SS. Crucis Reliquias in iisdem thecis. Et ratio huius Decreti desumenda est ex differentia cultus, qui debetur Reliquiis Sanctorum. Nam, ut sapientissimus animadvertebat Consultor, in Caenomanensi (*S. C. Ind. Rel.*), cum in eadem theca compositae reperiuntur Reliquiae SS. Crucis et Reliquiae Sanctorum, fit ut quando illas fidelium venerationi exponimus si SS. Cruci signum latriae cultus exhibemus, vel videmur Sanctis exhibere actus reverentiae qui specialem cultum designant SS. Cruci debitum, vel si Reliquiis Sanctorum venerationis actum iuxta duliae cultum tribuimus, irreverentiam Cruci Dominicae irrogare, eamdemque negligere videmur. Dum enim Sanctis eorumque Reliquiis cultus duliae exhibendus est, SS. Crucis Reliquiae latriae cultu adorandae sunt, cultu nempe latriae respectivo: cultu latriae, quia Christum

repraesentant et ei fuerunt aliqualiter coniunctae; respectivo, quia non habent excellentiam propriam, sed extrinsecam. « Vera Christi crux ipsum tetigit, ait Vasquez (1), atque nostrae redemptionis fuit instrumentum, ratione cuius in honore habetur.

Sicut ergo Reliquiae Sanctorum simul cum Reliquiis SS. Crucis nec sub eodem baldachino deferri, nec eisdem thecis includi possunt, ita a pari nec simul inter candelabra altaris collocari possunt. Nec etiam eas solas inter candelabra ponere licet, quia, praeter alias rationes adductas, cum ex usu universali locus ille quasi proprius factus sit Sanctorum Reliquiarum, plerumque fieret ut fideles Reliquiis SS. Crucis eo modo expositis eam reverentiam, quae illis debetur, non exhiberent.

Plurimis enim in casibus fideles agnoscere non valerent utrum Reliquiae, quae exponuntur, sint ex SS. Crucis fragmentis, an ex Sanctorum ossibus, et sic periculum esset ut vel Crucis Reliquias iuxta cultum duliae, vel Reliquias Sanctorum iuxta cultum latriae venerarentur.

Ex his omnibus concludere igitur licet, Reliquias SS. Crucis et SS. Spineae Coronae nullimode exponi posse inter altaris candelabra; sed vel exponendas esse in medio Altaris, ante Crucem, vel non esse exponendas.

FELIX DOCT. RAVANAT Acad. Lit. Rom. Cens.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Aprili propositae

PROPOSITIO.

Quonam sensu, *stricto* ne an *lato*, Rubrica dicit Tit. XI, n. 9, feriam non posse concurrere, in ordine ad primam commemorationem faciendam concurrentis officii, post orationem diei ad Vesperas, iuxta generale decretum 5 Februarii 1895?

---

(1) Vasquez, de cultu adorationis, lib. 3, c. 2.

SOLUTIO.

Duo tantum ex Academicis nostris propositae quaestionis solutionem ad nos dederunt, A. Fourneret ac N. Bossi et ambos Rubricae sensum attigisse iudicamus; primam seligimus, quam praemio censuimus dignam, eoque solutorem quamprimum donabimus.

Rubrica dicens Tit. XI, n. 9, feriam non posse concurrere, ita stricto sensu intelligenda est in ordine ad primam commemorationem habendam, ut si aliquando prius quidem fiat de ea immediate post orationem diei ad Vesperas, hoc tamen non sit quia ipsa concurrit, sed proprie quia in concurrentia non est ullum festum, cui conveniat Vesperas habere integras, vel a Capitulo, seu dimidias, et Ecclesia non sinit feriam praetermitti in casu ratione temporis.

Prima probatio eruitur ex ipsa Rubrica. Verbi gratia, si recolatur die 14 Februarii SS. Spinea Corona, ut in anno 1902, et pridie fiat officium de feria quinta post Cineres: cur post orationem diei ad Vesperas, quae recitabuntur integrae de SS. Corona D. N. I. C., immediate agetur commemoratio Feriae, si non concurrat, et secunda tantum erit de S. Valentino, licet *in se* ius habeat ad primas Vesperas? En responsio Rubricae. *Ad primum*, « feria non potest concurre-« re cum alio officio in secundis Vesperis, neque cum ipsa « potest esse concursus in primis Vesperis, quia eius officium « incipit et desinit ubi desinit et incipit quodcumque aliud « officium. Si autem de ea aliquando fieri debeat commemo-« ratio in Vesperis, non fit ratione concursus, sed quia eo « die, quo officium feriarum Adventus et Quadragesimæ im-« peditur, illarum commemoratio ratione temporis ex praece-« pto ecclesiae praetermitti non debet. (Rubr. Tit. XI, n. 9) » *Ad secundum*, S. Valentinus postponitur non obstante iure suo ad primas Vesperas, per applicationem principii in numero 10 eiusdem Rubricae relati, nempe : « Cum vero occur-« rit ut festum simplex veniat in feria.... (maiori), Ve-

« sperae antecedentes (nisi ea die celebratum sit festum novem lectionum) erunt de feria communi per annum, non « autem de sequenti, ut dictum est, cum commemoratione « festi simplicis in sequenti feria occurrentis. Quod ideo non « fit quia sequens feria habet primas Vesperas, sed quia « cum festum simplex in sequenti die non habeat officium « propter feriam praedictam in eo occurrentem, nec etiam « convenit illud habere primas Vesperas in praecedenti die. » Unde stat et perfecte probatur assertio nostra, quum praelatio feriae ad Vesperas super festum simplex non proveniat ex concurrentia.

Item si celebrandum foret, ut supra, festum SS. Coronae Spineae, et in crastino fiat de Sabbato die 15 Febr. occurrente cum Ss. Faustino et Iovita *simpl.*, in Vesperis quoque 1ª commemoratio foret de feria, et 2ª de SS. Martyribus. Quare autem prius de feria? Est ne quia concurreret? Minime gentium; nam iuxta Rubricam « si feriae dandum est « principium, eius officium incipit a Matutino (Rubr. Tit. XI, n, 9). » Deinde oratio ad Vesperas, si vere existeret concursus pro feria, talis recitaretur ut ubique qualis reperitur in Missa Sabbati; sed contra in Sabbato post Cineres oratio Missae est *Adesto*, et oratio pridie ad Vesperas *Tuere, Domine.* Ergo feria absolute nec concurrit nec concurrere potest in ordine ad primam commemorationem Vesperarum. Neque petas cur Ss. Martyres, qui ius habent ad primas Vesperas, secundum tamen locum dumtaxat occupant. Rubrica enim velut axioma enuntiat, quod nec convenit praelationem tali simplici concedere ad Vesperas, quia iam in die sequenti debet ipsi feriæ officium cedere, et sic de novo iustificatur assertio nostra.

Secunda probatio eruitur ex decretis. Quid verbi gratia docet et mandat decretum 5 Febr. 1895? Mandat et docet, ut post orationem diei ad Vesperas, *semper ante ceteras commemoratio fiat de alio cuiuscumque ritus festo quod concurrat, si locum habeat.* Porro nullibi feria sub nomine festi designatur, et itaque locum primum habere nequit vi concursus, cum concurrentia semper aliquod festum supponat. Deinde

commemoratio feriae inter commemorationes expresse computatur, quae post officium concurrens recitari debent. Qua de causa, praelatio, quæ ei aliquando adiudicatur ante caeteras, teste ipso decreto, non ex eo provenit quod concurrat, sed ut vidimus supra, ex praecepto Ecclesiæ ratione temporis.

Insuper, decretum 18 Dec. 1779 declarat prius fieri debere commemorationem, de quo, secluso impedimento, celebrarentur Vesperae integrae, aut Capitulum, seu dimidiae. Atqui, seclusa SS. Corona Spinea in casu superius proposito, Vesperae nonnisi de SS. Martyribus vel de Feria esse possunt. Sed quaestio moveri nequit relate ad Martyres, quia iam Rubrica alte proclamat quod si simplex in die sequenti non habeat officium propter feriam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere Vesperas in die praecedenti. Restat igitur feria ad habendas Vesperas; at quaenam feria, sequens ne, an hodierna? Non sequens, quia concurrere nequit, teste Rubrica, et ideo Vesperae sunt de feria currenti, ut liquet ex ipsa oratione quae, ut iam diximus, *Tuere Domine* est in Vesperis, et non *Adesto* de sequenti. Hinc decreta absolute quadrant cum solutione nostra.

Tertia probatio eruitur ex melioris notæ Liturgistis. « Duo « officia, inquit cl. Piacenza, quae incidunt duobus continuis « diebus et sibi invicem obeunt, dicuntur in Vesperis concurre- « re. Cum enim utrumque ius habeat ad Vesperas, scilicet cum « officium hodiernum ius habeat ad secundas Vesperas, et of- « ficium crastinum ad primas, utriusque Vesperæ sibi obve- « niunt seu concurrunt. (Expositio Noviss. Rubr. Breviarii). » Feria autem nec primas nec secundas Vesperas habet, quia subintrat tantum ubi desinit festum, et desinit ubi festum incipit iuxta Rubricam, cuius retulimus testimonium. Ergo non potest obviam alteri ire seu concurrere.

« Concurrentia, autumat inclytus Franciscus Stella, in « Rubricis idem significat ac obviam ire ad invicem seu ad « invicem quodam modo pugnare.... Huiusmodi autem veluti « conflictus accidit, cum Vesperis secundis finientis festi primae « obviam eunt Vesperae alterius festi incipientis, idque ideo eve- « nit quia festa plura ad duas, primas nempe et secundas, Ve-

« speras ius habent »; et paulo infra declarat: « ferias iure « ad eas destitui, ut Vesperae sint de quocumque concurrente « sequenti festo; hinc nec passiva concurrentia, neque activa « gaudent ». (Institutiones Liturgicae).

Nobilis Guyetus noster scribit : « concurrentiam proprie « non dari nisi inter officia quæ ius habent aliquod in Ve- « speras illas veluti intermedias et utrique communes. « (Heortologia, lib. IV, cap. XIII). » At pro feria, quae desinit et inchoatur ubi incipit et absolvitur quodcumque aliud festum, concurrentia fit impossibilis ad has Vesperas, quia ex ipsa Rubrica « cum dicitur officium aliquod cum alio concurrere, « intelligitur de praecedenti in secundis Vesperis cum sequenti « in primis Vesperis. »

Hinc clare resultat quod si aliquando feria primum tenet locum post orationem diei ad Vesperas, hoc non provenit ex concurrentia, quae est impossibilis, et itaque sensu stricto accipienda est quoque haec impossibilitas in ordine ad primam commemorationem, cum resultet tantum haec primarietas ex praescriptione speciali Ecclesiae.

Fortasse obiicies, feriam VI post Octavam Ascensionis et Sabbatum in Vigilia Pentecostes hanc solutionem nostram impugnare, seu ferias proprie ac stricte concurrere ad primam commemorationem habendam ad Vesperas, cum ad quaesitum: an, quando feria VI post octavam Ascensionis deperdit suam commemorationem in Laudibus et Missa ob occurrentiam festi dupl. 2. cl., illa etiam omitti debeat in secundis Vesperis?, Sacra Rituum Congregatio respondit: *Negative* (5 Febr. 1895 ad 4).

Negamus antecedentem partem, et probatio, quæ ex decreto eruitur non est ad rem. 1. Hic non habemus officium feriale, sed, ut ait Rubrica specialis, quæ ante has ferias ponitur, *duobus seq. diebus officium fit sicut infra Octavam Ascensionis:* 2. cum hae duae feriae maximam habeant relationem cum Octava Ascensionis, cuius sunt quasi extensio, gaudent quoque ritu semiduplici et regulas sequuntur de infra Octavas. Unde casus prorsus dissimilis est a proposito, quem tuemur, et itaque hoc anno ubi die 4 Iunii facimus de

S. Francisco Caracciolo 2. cl. in Vesperis 1ª. commemoratioerit de feria sine ulla dubitatione, tum ex decreto 5 Febr. 1895 ad 4, tum ex Rubrica, Tit. IX, n. 6 statuente: « in secundis Vesperis 2. cl. fit commemoratio de die infra Octavam, si de ea fieri debeat officium die sequenti », et 2ª erit de S. Bonifacio in Vigilia Pentecostes occurrente, quia non habebit officium in crastino, nec convenit illud commemorari in die praecedenti ante aliud, quod officium habebit in postero.

Ergo perfecte consona rubricis et decretis remanet assertio, quam defendimus, non obstante hac exceptione, quæ ceterum extra quæstionem canit.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Romana
Curé de Lannes. (Diocèse de Langres)

QUAESTIO SOLVENDA

pro Mense Iunio

Si pyxis a Celebrante purificari debeat, quandonam id illi erit agendum, ante ne, an post sumptionem Sanguinis, iuxta Rubricam Missalis, rectumque sensum liturgicum?

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Bohemia.* **De festo Dedicationis secundario.** In Regno Bohemiae celebratur in cumulo, Dom. III. Octobris, *Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum*, cuius Officium ex Indulto Apostolico *omnes* obligati ad Horas Canonicas, etiam illi, qui nulli Ecclesiae sunt adscripti, vel qui inser-

viunt Ecclesiae non consecratae, *sub ritu Duplici primae Classis cum Octava persolvere tenentur.*

Ratio tamen talis indulti in Decreto S. R. C. 1 Sept. 1838, in Mechlinien, ad 2. (4839) adducitur illa, ut in toto clero *uniformitas* obtineatur in Divino Officio persolvendo. Quae tamen desiderata uniformitas haud potest sustineri, si pro Clero, nulli vel non consecratae Ecclesiae adscripto, Officium Anniversarii Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum, considerandum sit tamquam *secundarium*, prouti docent Ephemerides Liturg. anni 1896. pag. 495. (VI.)

Etenim in utrisque Vesperis diei Octavae, pro aliis de clero primariae, pro aliis secundariae, *discrepantia obvenit*, quando in concursu cum duplici maiori vel minori primario, integras Vesperas alii de die Octava, alii de festo duplici (ex decret. S. R. C. 22. Maii 1896. Urbis ad II.) recitare debent. Item in ipsa die Octava Annivers. Dedic. non tam raro occurrit *primarium* festum duplex etiam maius, cui dies Octava *secundaria* (licet festi Domini) etiam *in occursu* cedere debet, *si ita concludere sinat Decretum de festis primariis et secundariis*: in quo casu alii de clero Officium de die Octava primaria (translato fortasse occurrenti festo Doctoris vel dupl. mai.), alii de festo duplici primario recitare debent, quod notabiliter illam optatam destruit uniformitatem.

Resp. Quid nobis reponendum? Nonne verum est, citatum Gen. Decretum definire, festum Dedicationis propriae Ecclesiae esse primarium, Ecclesiae non propriae secundarium? Nonne certum quoque est, celebrantem

Dedicationem Omnium Ecclesiarum, si propriam non habeat consecratam Ecclesiam, Ecclesiae praecipuae inter illas Dedicationem colere? Atqui hoc est Dedicationem celebrare Ecclesiae non propriae; ergo. Equidem ut incommoda vitentur, de quibus in expositione Dubii, consultius foret statuere ut festum Dedicationis in casu esset, vel censeretur primarium, saltem per accidens, pro iis qui non habent consecratam Ecclesiam; sed hoc ad auctoritatem pertinet, nobis non est id statuendi facultas.

Ceterum incommoda plus quam par sit exaggerari videntur. Nam substantialis uniformitas facillime obtinetur, quae in eo potissimum consistit, ut omnes Ecclesiae idem Dedicationis festum celebrent. Quod vero attinet Vesperas, vix incommodum est, ut aliqui vel nulli Ecclesiae, vel non consecratae adscripti, aut illas dimidient, aut etiam solam festi commemorationem agant, et Vesperas de alio festo dicant. Idem propemodum de die octava sentias; namque duplex maius, etsi primarium, nunquam diei octavae in occursu praevalere potest, uti adm. rev. consulens supponit, sed requiritur duplex 2 classis, quod difficilius occurrit. Hinc incommodum tantum evenire potest, de quo superius; sed non tam grave apparet, ac proinde potest negligi. Eapropter, si opportunum videbitur, exquiratur S. R. Tribunal; sed contra legitimam legis interpretationem ab Ephemeridibus exhibitam, quid possit opponi non videmus.

Nota. Infra octavam Paschae et Pentecostes, quae nulla admittunt occurrentia festa quod integrum attinet officium, de duplicibus minoribus et semiduplicibus, II et III die exceptis, sola commemoratio fieri

potest, cum ad simplicem ritum sint redigenda: ergo haec festa concurrere nunquam possunt. Verum non valemus intelligere quo sensu calendariorum redactores notent, primo esse agendam com. de seq. postea de simplificato; quia nullum potest esse festum concurrens, sive praecedens sive sequens, nisi aut in Sabbato in Albis, aut in Sabbato ante Trinitatem, cum in illo sequatur Dominica, in isto festum Trinitatis. In utroque autem casu certum est, Vesperas esse de sequenti, cum com. festi ad simplicem ritum redacti, si occurrit in Sabbato. In decursu autem utriusque octavae notari debent semper *Vesperae de eadem.*

II. *E. Laude Pompeia.* **De quibusdam usibus circa funera.** In multis h. Dioc. Paroeciis quatuor adsunt classes funeralium: duo simplices duoque solemnes. In prima simplice, Parochus levat et associat cadaver cotta (vel rocheto) et mozzetta indutus, supra quam stolam defert. In altera autem solemni pluviale induit adstantibus duobus assistentibus cotta et tuniculis indutis.

Quum funeri Officium Def. sequatur, aliquando ab alio Sacerdote Missa canitur potius quam a Parocho, qui tamen absoluta Missa pluviale induit et absolutionem tumuli peragit cum vel absque Diacono et Subdiacono, iuxta classem Officii. — Quaeritur:

1. Administratione Sacramentorum excepta, licet Parocho stolam supra mozzettam deferre in reliquis functionibus?

2. An tolerari possit usus ab immemorabili associandi cadavera cum duobus assistentibus, ut supra?

3. Si negative ad utrumque, an possit gratia peti, ut consuetudines serventur, ne murmur grave

in populo et gravissimum damnum ipsis Parochis eveniat?

4. Ad dubium: an alius Sacerdos *in die obitus* possit pro celebrante absolutionem supra tumulum peragere, S. R. C. die 25 Sept. 1875 respondit: « *Congruum est* ut absolutio fiat ab ipso celebrante, iuxta decret. in Briocen. die 21 Iulii 1865, nisi adsit Epus..... »; an hoc Decretum sit ex authenticis?

Et quatenus negative: an liceat saltem Parochis talem peragere absolutionem *praesente cadavere*, cum sit de iure functio parochialis?

Resp. 1. Mozzettam in administratione Sacramentorum vetitam plura Decreta declarant, et hoc supponimus; sed aliter dicendum extra dictam administrationem. Ex. gr. Decretum *Viterbien.* quaerit, utrum usus mozzettae Canonicis, tale habentibus privilegium, sit permissus tam intra, quam extra Ecclesiam; et responsum fuit: « Posse intra Collegiatam, extra illam non posse *(23 Maii 1846, ad 1)*, profecto quia privilegium pro interno tantum Ecclesiae illis favebat. Ita Decretum *Maceraten.* usum mozzettae permittit in concionando iis, qui illius privilegio gaudent (*7 Apr. 1833 ad 1*). Hinc cl. De Herdt scribit: « Sacramentorum administratione, aliisque praefatis functionibus *(nempe benedictionibus, aliisque exigentibus superpelliceum et stolam iuxta Rubricas)*, exceptis illi qui habitus specialis usum habent, aut aliis Insignibus honorificis decorantur, in choro, processionibus, aliisque omnibus functionibus in quibus habitum choralem induunt, illum vel illa adhibere possunt (*Prax. Pontif. Lib. I, n.* 31). » Id nihilominus intra confinia intelligas, sub quibus privilegium coarctatur,

sive videlicet intra Ecclesiam tantum, sive intra loci Ecclesias, sive intra dioecesim etc. ut ex aliis Decretis constat. Eapropter ad primum Dubium respondemus : Affirmative.

1. Quod alterum Dubium attinet, negative respondemus. Rituali enim de modo cadaverum deferendorum ad Ecclesiam diserte loquitur, ne minutatim dicam ; et nihilominus nihil, cum tamen posset, de ministris paratis dicit, sed altum silentium servat. In eo enim probato codice reperies Parochum superpelliceo indutum ac stola, imo et pluviali, si velis : clericum reperies praeferentem crucem, et alium aquam benedictam gestantem : alium quoque clericum, Confraternitates, si adsint, omnes cum luminibus, et ceteros etiam sequentes funus, sub silentio deprecantes. Verumtamen de ministris paratis ne verbum quidem (*Tit. VI, cap. 3, n. 1*). Sustineri profecto posset. ministros paratos praeter Rubricas esse, potius quam contra ; cumque de immemorabili agatur consuetudine, probanda potius quam reprobanda videretur. Nihilominus ab hac legis interpretatione impedimur Decreto in *Tuden*. quod dictam consuetudinem reprobat, et quae proinde servari nequit. In eo enim quaeritur : « An talis consuetudo (*de ministris nempe paratis Dalmatica et Tunicella sine tamen amictu, alba et cingulo*) possit sustineri, vel cogendi sint Ministri sacri, ut simul cum Dalmatica et Tunicella, induant amictum, albam et cingulum ? » Iam audi responsum : « Servandam dispositionem Ritualis Romani, quod in casu excludit sacras vestes ibi non memoratas (*23 Maii 1846, ad 10*). »

3. Quoad tertiam quaestionem, primo secluso Dubio,

cui affirmativum dedimus responsum, non dubitamus quin postulari iure possit a S. R. Congñe dictam consuetudinem servandi potestas, attenta sua antiquitate: dum nihilominus de responso nobis spondere non possumus. Interim quaestio liturgica in moralem convertitur, hoc est: an dicta consuetudo mutari debeat vel possit, attentis et populi admiratione ac murmurationibus, et graviori quod Parochis eveniret, damno: de qua in loco facilius quam alibi ferri iudicium poterit.

4. Ad quartum et ultimum quaesitum respondemus negative, videlicet: Simplex Presbyter non potest absolutionem peragere, quae sequitur Missam, nisi hanc ipsemet celebraverit. Ita per plura Decreta statutum est, a quorum dispositione recedere non licet. Decretum enim *Briocen.* quaerebat: « Utrum post Missam in die obitus alius Sacerdos a celebrante diversus accedere possit ad absolutionem peragendam? » Et S. R. C. respondet: « Negative, et ex Decretis hoc iure gaudere tantum Episcopos (*12 Aug. 1854, ad 13*). » Hoc autem Decretum Rubricae tam Ritualis quam Caeremonialis conforme est, illamque explicat. Sane Rituale ait: « Finita Missa, Sacerdos, deposita casula, etc. accipit pluviale nigri coloris... et accedit ad feretrum etc. etc. (*Tit. VI, cap. 3, n. 7*). » Aliter se non exprimit Caeremoniale Episcoporum, uti videre est Libro II, cap. XI, n. 10 et seq. Hoc autem utramque complectitur Absolutionem, sive scilicet praesente, sive absente corpore, uti aperte constat ex eodem Caeremoniali, nec non ex Rituali (*loc. cit. cap. 5, n. 1*) Adverta Decretum in *Briocen.* supercitatum ita interpretandum esse, ut per Episcopos soli Ordinarii intelligantur, non vero Episcopi titulares. Etenim ad

illos tantum applicari in casu potest principium *qui per alium facit, ipse facit*; quia est superior ratione iurisdictionis, et quod per suos subditos facit, ipse iure facit. Excipe purpuratos Patres, a quibus abstrahimus, qui supremae Pontificis potestatis participes sunt, cuius senatum constituunt. Hoc autem certum est ex novo iure liturgico, seu melius, ex antiquo iure, quod merito renovatum atque in praxim revocatum est a S. R. Congñe, teste Academia Liturgica Romana (*Conv. 22 Ian. 1896* V. quaest. 1855-1856 huius fascic.); et Decretis ex constat, licet adhuc ineditis, laudati Tribunalis Rituum.

Inficiandum non est tamen, duo haberi in Collectione Decreta, quae *congruum* quidem dicunt, non tamen aperte praeceptivum, ut absolutio fiat ab eodem Sacerdote qui Missam celebravit. Ita Decretum in *Briocen.* d. d. 21. Iul. 1855, ad 4: ita recentius in *Baionen.* d. d. 25 Sept. 1875, ad VII. Verum praefata Academia certiores reddidit universos coadunatos, utrumque dictorum Decretorum Dubium e nova Collectione iam expunctum fuisse; quia licet interpretari benigniori sensu potuissent, ut legi cohaererent, nihilominus ad omnem eliminandam ambiguitatem deleta fuere, aliudque efformatum clarius, uti e nova Collectione palam fiet.

His omnibus perpensis, cum solus Ordinarius Episcopus queat Absolutionem facere, Missa per alium decantata, non autem titularis; cumque ex Rubricis et Decretis absolutio per eumdem Sacerdotem sit facienda, qui antea celebravit Missam; abunde patet ratio negativae responsionis, quam exhibemus.

IV. *E Gallia, Belgio et Hollandia.* **De Oratione imperata in sua dioecesi, a Sacerdote in alia dioecesi celebrante non recitanda.** Utrum Sacerdos, qui ex. gr. itineris causa in Ecclesia alienae dioecesis celebrat, Orationem in sua dioecesi praescriptam recitari possit in Missa?

Resp. Negative. Decretum *Urbis et Orbis* latum die 9 Iul. 1895, et d. 9 Dec. eod. anno confirmatum a Pontifice, exigit ut « Omnes et singuli Sacerdotes in Ecclesiam confluentes vel Oratorium publicum, Missas quum Sanctorum, quum Beatorum etsi Regularium proprias, *omnino celebrent officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii conformes.* » Si abstrahamus ab officio ritus inferioris duplici, quo in casu aliter disponitur, nonnisi indubia et aperta lex est, vi cuius Sacerdos quicumque celebrans in aliena Ecclesia vel Oratorio publico, officio, consequenter et calendario ipsiusmet Ecclesiae vel Oratorii stare tenetur, spreto suo. Verum id significat ea omnia esse servanda, quae dictum officium, seu calendarium in quo illud disponitur, praescribit, quod Missam attinet. Iam nunc quodcumque officium uti iacet dicendum est, et Missa uti ex officio consequitur celebranda est. Non ergo licebit aliquid immutare, detrahere, adiungere, quin legi oppositio fiat, quippe quae exigit, ut Missa sit *omnino* conformis officio. Nonne defectum admittit, qui Orationem aliquam de officio in Missa omittit? Nonne defectus est, aliquam Orationem ex privato placito, quod neque de officio est, neque de Ordinarii praescripto, in Missa addere? Quo ergo iure ipse potero Orationem addere in Ecclesia Dioecesis alienae, Orationem, inquam, quae

neque in officio praescribitur, neque in calendario, quippe quae non est ab Ordinario loci praescripta? Nonne erit additio ex meo privato placito, defectumque sonans? Tu vero oppones: Ordinarius meus illam praescripsit; ergo non est ex privato arbitrio. Intelligo; sed Ordinarius tuus Orationem praescribere potuit tantum in sua, haud vero in aliena dioecesi: tu autem non in sua, quae tua est, sed in alia dioecesi celebras, in qua Ordinarius tuus nihil potest; ergo ex privato placito est dictae Orationis additio, quod non licet.

Instabis: Sacerdos extra suam dioecesim commorans peregrinus est: peregrinus autem non tenetur legibus particularibus illius loci, in quo actu existit. Lex enim fertur in subditos; et peregrinus non est subditus, vel si est subditus legislatoris, non tamen est incola illius regionis, pro qua lex data est. Atqui Oratio imperata ab Episcopo est particularis . . ; ergo.

Respondemus. Sacerdos extra suam dioecesim commorans, est peregrinus, qui non tenetur legibus particularibus loci, in quo actu existit, concedimus; sed vero tenetur legibus universalibus, quae afficiunt personas ubicumque degant. Atqui Decretum *Urbis et Orbis* afficit *omnes et singulos Sacerdotes, sive saeculares sive regulares*, in quacumque Ecclesia vel Oratorio publico celebrantes; ergo ubicumque degant vel actu existant, sint indigenae, sint peregrini, habeant ibi domicilium, habeant quasi-domicilium, Decretum *Urbis et Orbis* servare tenentur. Hoc enim Decretum legem constituit, quae fertur in subditos Romanae Ecclesiae, quales sunt, sicut omnes Christi-

fideles, ita et a fortiori omnes et singuli Sacerdotes. Qui proinde non tenentur observare Decretum quia sunt incolae talis regionis, sed quia ubicumque actu existunt, semper et necessario iurisdictioni Romani Pontificis sunt subiecti, et quia Decretum pro ipsis omnibus et singulis datum est. Nihil proinde refert, Orationem imperatam esse ab Ordinario; quia non ideo a Celebrantibus omittenda est, quia ab alio Ordinario praescribitur, sed quia Pontifex, seu S. R. C. in quam pontificia auctoritas transfunditur, iubet ut ab ipsis omittatur. Iubet autem ut omittatur, eo quod calendarium Ecclesiae ubi fit Missa, seu Missa quae ad officium pertinet et est pars potior, illam reiicit, cum Missa omnino conformis esse debeat iuxta Decretum officio Ecclesiae vel Oratorii publici, in qua celebratur. Ergo lex de Oratione imperata omittenda, si praescripta ab alio Ordinario fuerit, certa est proindeque servanda.

V. *Ex Anglia.* **De octava Angelorum Custodum in Decreto *Urbis* inclusa.** Dies octavi, de quibus Decretum *Urbis* d. d. 22 Maii 1896, ad festa primaria pertinentes, includunt ne etiam diem octavam Festi Angelorum Custodum, adeo ut hic quoque dies octavae eodem privilegio gaudeat, ac alii in dicto decreto enumerati ?

Resp. Affirmative; quia Decretum citatum enumerat evidenter omnia festa, quae enumerata fuerunt in Gen. Rubrica. Verum in hac etiam festa Angelorum leguntur, uti videre est Titulo XI, num. 2; ergo sicut dies octavi omnium festorum, quae ibi ponuntur, dicto privilegio gaudent, si octavam habeant, ita eodem privilegio gaudere dicendum est

festum Angelorum, si et ipsum octava potiatur. Equidem Decretum ponit festa *Archangelorum*, quia fortasse communius habentur uti Patroni aut Titulares festa solemniora in particularibus locis, uti de Ss. Michaele, Raphaele, Gabriele; sed nihil interest, cum inter Archangelos et angelos discrimen sit quidem praeeminentiae non vero naturae, et omnes Archangeli sint Angeli, licet non viceversa. Hinc legimus: « Angelus Archangelus Michael (1. *ant. III. Noct. in offic. Appar.*) » Angelus Raphael « Ingressus Angelus ad Tobiam etc. (*Off. S. Raph. Arch.*) etc ». Quodcumque ergo festum ad Angelos pertinens, dummodo primarium, si octavam habeat, eodem privilegio gaudet iuxta Rubricas, ac festa aliarum personarum, quas eaedem Rubricae recensent.

Nota. Festa, sint primaria per se, sint primaria per accidens, nihil interest quod privilegia attinet, quibus decorata fuere. Cum itaque statutum sit, ut dies octavi festorum primariorum Domini nonnisi duplici 2. cl. in concursu cedant, et dies octavi festorum Deiparae nonnisi duplici maiori; certum est, eodem semper ea privilegio gaudere, dummodo sint primaria, sive *per se* sive *per accidens* sint talia.

VI. *Ex eod. loco.* **De quodam Versu mutando ad commemorationem in officio semiduplici, si sit idem ac in suffragiis.** Ephemeridum numerus 1. vertentis anni in uno ex brevioribus responsis (*pag. 19. Dub 8*) ad mittit, mutandum esse versum « Ora pro nobis S. Elisabeth », quia idem versus in Suffragiis dicendus est pro S. Maria. Nunc miratur adm. Rev. Consulens de hac doctrina, afferens in contrarium duo momenta: 1. nempe Decretum *Ord. Discalceator. SS. Trinitat. Congr.*

Galliar. d. d. 18 Dec. 1694 ad 1. ad rem vix facere: 2. cl.De Herdt oppositum docere. Quid?

Resp. Cl. De Herdt contrarium docere indubium est, cum dicat: *In Vesperis officii S. Elisabeth* (8. Iul.) *pro suffragio B. M. V. solus mutandus est versus* Ora pro nobis (*Pars I, n. 262*); ergo versum pro S. Elisabeth non mutandum, iuxta auctorem laudatum, manifesto patet. Quod vero attinet Decretum, convenire non possumus; ratio enim ob quam ad rem non facit, esset quia in illo agitur de officio votivo, et in casu nostro agitur de *festivo*. At vim huiusce momenti non perspicimus, quia ratio mutandi versum unica esse potest, nempe repetitio eiusdem; atqui sive votivum sive festivum sit officium, ratio eadem est et permanet; ergo etsi Decretum citatum agat de officio votivo, eius dispositio etiam ad festivum officium applicanda est. Ratio autem huiusmodi dispositionis esse potuit, quia cum versus *Ora pro nobis* pro S. Maria antiquior sit, quam pro Ss: Ioanne de Matha et Felice Valesio, de quibus Decretum verba facit, consequenter et antiquior quam pro S. Elisabeth, non videtur exturbandus a iure possessionis suae. Addi potest, dictum versum esse omnino proprium S. Mariae Virginis, dum aliis Sanctis, uti et S. Elisabeth, tantummodo accommodatur. His rationibus innixus Dubii citati solutor, cl. De Herdt auctoritate posthabita, praetato modo, ut dictum est supra, quaesitum resolvit.

Nihilominus adm. Rev. consulens tertium affert momentum contra datam ab Ephemeridibus solutionem, quod nobis gravius apparet: ut nequeamus, quin penitius a nobis consideretur. Quomodo, inquit, fieri potest, ut versus *Ora pro nobis* pro S. Maria reti-

neatur, et non pro S. Elisabeth, cui tamquam proprium factum est? Cum enim huius Sanctae officium sit in universali Ecclesia semiduplicis ritus, semper Suffragia in eo dicenda sunt, proindeque com. quoque de S. Maria facienda est; ut quid ergo eiusmodi versum in dicto officio ponere, qui nunquam dicendus fuisset? Debuisset ergo ab initio mutari, tanquam inutilis, nisi positus studio fuisset ad confusionem pariendam, quod nefas est dicere. Ergo necesse est concludere, dictum versum esse dicendum pro S. Elisabeth, et mutandum pro S. Maria, iuxta Rubricas Generales.

Sed reponimus, allatum momentum, licet gravius, toto pondere destitui, si animadvertamus festum S. Elisabeth institutum fuisse sub ritu semiduplici et ad libitum ab Urbano VIII pro die 4 Iulii, hoc est, infra octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli, infra quam Suffragia locum habere non poterant. Nec autem innuendum, octavam Ss. Apostolorum longe antiquiorem esse, cum in ipso Sacramentario, quod Gregorianum dicitur, reperiatur, uti refert Gavantus (*Sect VI, cap. IX, n. 6*). Quod si nunc die 8 dicti mensis celebretur, id accidit quia Innocentius XII Decreto S. R. Congñis d. d. 18 Dec. 1694 illud praefata die celebrandum indixit. Notandum autem, eodem die, quo Summus Pontifex hoc festum in hanc alteram diem transtulit, Decretum exiisse a S. R. Congñe, quo statutum fuit, versum pro commemoratione Ss. vel Ioannis de Matha vel Felicis Valesii, scilicet *Ora pro nobis etc.* mutandum esse, et non eumdem ad Suffragium pro S. Maria Quod satis innuere videtur, principium pro superiori casu admissum, ad alios similes, proinde et ad nostrum esse applicandum.

Hic autem quaeri potest, quare S. R. C. ipsum versum in casu non immutavit? Reponimus: probabilius quia die 7.^{ma} vel 9.^{na} Iulii optime et facile reponi poterant festa duplicia translata, quo in casu, cum Suffragia dicenda non essent, neque inconveniens, de quo agitur, evenire poterat. Imo etiam nunc, sublata translatione duplicium, accidere potest ut dictum inconveniens non habeatur, uti ex. gr. quando festum pretiosissimi Sanguinis occurit die 7.^{ma} Iulii, in cuius 2. Vesperis S. Elisabeth commemorari debet, et Suffragia non fiunt. Haec sint satis, ut lex Decreti supercitati applicetur etiam pro S. Elisabeth, uti Ephemerides docuerunt. Quod si cl. De Herdt contrarium sustinet, ipsi opponemus A Carpo, qui Ephemeridum sentiendi modo favet (*Bibl. Lit. pars quarta, n. 149*), et cuius auctoritas tanti fieri potest, quanti auctoritas primi praefati auctoris.

BREVIORA RESPONSA

1. *Pro Curenna.* Circa dies festos *Deiparae a Misericordia* et S. Gabrielis Archangeli, studium agendum est comparativum: 1. super *die propria* vel *assignata*, ex quibus ilia huic praevalet: 2. super ritu potiori vel inferiori: 3. super primarietate et secundarietate: 4. super dignitate: 5. super magis proprio, vel minus proprio. Hisce prae oculis habitis, quaestio solvenda.

II. *Pro eod. loco.* Oratio pro consecratione Episcopi in Missa de die dicitur post Orationem diei sub uno *Per Domin. nostrum*, ait Rubrica Pontificalis Romani (*Post examen*).

III. *Pro eod. loco.* S. Paulo I Eremitae die sua (15 Ian.) impedito assignari nequit dies 6 Februarii, quae propria est S. Titi, sed dies potius 13, si sit prima dies libera: reliqua festa, uti apparet, ita disponenda, sicut adm. Rev. Consulens notat.

IV. *Ex eod. loco.* Lectiones II Nocturni in festo S. Lazari resuscitati esse debent de 2. loco, non de primo, iuxta editionem typicam Breviarii, iisdemque etiam Oratio *Exaudi* respondet.

V. *Pro eod. loco.* Si II. Vesperae in festo SS. Rosarii non sint dicendae, non arbitramur coniungendum esse hymnum Vesperarum cum hymno Laudum, cum nulla lex id iubeat; de cetero hymnus Laudum absolutus est, et alius in II. Vesperis omnium velut mysteriorum est repetitio.

Nota. Dubium super *Credo* in Nativitate S. Ioannis Baptistae, de cuius patronatu alicubi dubitatur, a sola competenti auctoritate posse cum certitudine resolvi arbitramur.

VI. *Pro Senogallia.* Regulares non possunt facere alterum festum S. Patroni sub ritu dup. min., sed unum tantum sub rit. dup. 1. classis. Decretum, quod oppositum statuit, errore typographico laborat, uti ex *errata-corrige* in fine appendicis ultimae constat.

VII. *Pro Barcinone.* Acolythos tenentes candelabra dum deponitur SS. Sacramentum minus congruum iudicamus, sicuti eadem accipere ab iisdem candelabra in solemniori Missa tempore Elevationis; satis enim

legi conformius esset si intorticia acolythi sumerent, et flexis genibus tunc temporis manerent. Quidquid sit, si usus vigeat, ut acolythi in depositione Sacramenti, non intorticia, sed candelabra deferant, his depositis, genibus flexis manere debent, sicuti omnes alii ministri, tam inferiores, quam etiam superiores, uti Diaconus et Subdiaconus, si adfuerint.

VIII. *Pro Venetiis.* Quamvis certum sit, dies octavos festorum primariorum Ss. Apostolorum praeferendos esse in concursu cum duplici minori; nihilominus speciales Rubricae circa concursum octavae S. Stephani protom. cum octava S. Ioannis Apost. mutatae non sunt, et uti iacent servari debent. Rationem constituit dignitatis gratia, pro qua fit veluti exceptio, quae et regulam in contrarium firmaret. Hic autem Rubrica specialis conformis erat generali, quae infra dies octavos non distinguebat (exceptis excipiendis), sed semper Vesperas dividebat. Insuper S. Stephanus, utpote qui inter martyres primus inventus, magni habitus fuit, ut non desierint plures, qui inter duplicia I. classis illum adscriberent. Hinc etiam videmus eius festum aequiparatum in concursu festo S. Ioannis. Quidquid sit, Rubricae festorum speciales infra octavam Nativitatis intactae permanere certo debent, et uti sunt servandae.

IX. *Pro eod. loco.* Quid significet *funus*, quid *Missa exequialis*, de quibus Decretum in *Romana* 12 Ian. 1897 ad II, facile intelligitur, si consideretur petitio. Haec generaliter quaerit, utrum in omnibus Ecclesiis et Oratoriis licitae sint Missae de requie privatae. S. C. respondit *affirmative*; sed pro Ecclesiis et Oratoriis publicis exigit quoque conditionem, quae consistat

in *funere cum Missa exequiali*. Vult ergo ut Missae privatae non dicantur, nisi *funus* simul habeatur et *Missa exequialis*. *Funus* autem, quod plura significat, exprimit in casu quasi pompam funebrem, seu actus illos liturgicos, in Rituali praescriptos et circa cadaver agendos, vel saltem circa tumulum, seu castrum doloris, si non fuerit cadaver physice praesens: adeo ut fideles, quantum fieri potest, intelligant, agi de alicuius morte, in cuius suffragium prima vice eiusmodi officia pietatis adimplentur. *Missa exequialis* vero significat *Missam cum cantu*, quae die obitus, vel, uti nunc permittitur, alterutro ex duobus sequentibus ab obitu diebus haberi solet, non vero privatam. Itaque haec tria in casu servanda: 1. Vel cadaver, vel castrum doloris, in Ecclesiis et Oratoriis publicis, die vel pro die obitus, necessario habendum est, ut Missae privatae de requie celebrari licite possint. 2. Praesentia autem cadaveris, vel castri doloris requiritur, ut super alterutro actus liturgici, quos Rituale praescribit, adimpleantur: secus dictae Missae privatae non sunt permissae. 3. Omitti non potest Missa cum cantu, ut privatae fiant; adeo ut, illa omissa, neque hae permittantur.

Nota. Silemus de Missa lecta de requie pro paupere defuncto, expensis pro cantata solvendis impari; quia Decretum de hoc peculiari casu non loquitur.

X. *Pro Gallia*. Certa et affirmativa responsio ad id de quo quasi dubitat adm. Rev. Consulens, inducendas videlicet esse aliquas additiones in *Praenotanda* ad num. V. (*Ephem. num. 2. pag. 122.*) idque ob recentissimum Decretum in *Romana* d. cl. 12 Ian. 1897. Sunt. autem: 1. Missas privatas in die aut pro

die obitus permissas non esse, nisi applicentur pro defuncto. 2. Dictas Missas privatas esse in casu permissas tantum sub conditione ut Missa cum cantu non omittatur. Nihilominus perpendendum quod in praecedenti ad Dub. IX. responsione animadvertimus in nota. 3. Easdem privatas Missas esse vetitas non solum in duplicibus primae classis, sed etiam in illis diebus, qui eadem duplicia primae classis excludunt. Inde autem inferas, illas esse permissas infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, et Corporis Christi, nec non aliorum festorum, quae dicta duplicia admittunt, dummodo cum feriatione non recolantur.

XI. *Pro eod. loco.* Certum est, Orationem, de qua in casu, ferre conclusionem « Per eumdem Dom. etc. » Rubrica enim id admittit et exigit « quando in principio Orationis fit mentio Filii (Tit. IX, n. 17) » ; ergo a fortiori, quando Filius nominatur in Orationis decursu, uti per se patet.

Nihil obstat.

Fr. Ioannes Neri O. P.
censor deputatus

—

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta *Patriarch. Antioch., Vicesgerens.*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph. in Vico a S. Prisca, 8. (*in Col. Aventin.*)

MONITUM.

« Ritus servandus in Coronatione Imaginis B. M. Virginis » a S. R. Congne nuper confectum vulgatumque est. In nova Editione Pontificalis Romani ad Appendicem adiungentur. Defectu spatii ab illo hic inserendo impedimur, in sequenti numero lectoribus exhibelimus

ARCHAEOLOGIA SACRA

De Coemeteriis veterum Christianorum quae Romae extant.

(*Vide Diss. mensis Septembris praeced. anni*)

Coemeteria Minora.

In Via Appia — **Coemeterium Balbinae.** — Reperitur ad bivium Appiae et Ardeatinae: inter viam utramque extenditur prope Ecclesiam quae vulgo *Domine quo vadis* appellatur. De eo fit mentio in Indice Coemeteriorum, adiuncto Codici Vaticano 3851, cui titulus: *Notitiae regionum Urbis Romae*. Appellatum etiam scimus: *Coemeterium Balbinae ad SS. Marcum et Marcellianum*. Per explorationes a Boldetto aliisque peractas novimus illud satis spatiosum nobileque fuisse, tum cubiculis cryptisque quamplurimis, tum picturis lapidibusque inscriptis. Ignota nobilis foemina est quae coemeterio nomen dedit: haud recte quidam putant filiam Tribuni Quirini martyris, qui in Praetextati requievit.

S. Marcus Papa pernobilem Basilicam tribus navibus supra coemeterium aedificavit cum porticibus (teglatam), cuius adhuc extant rudera. In vita illius legimus: *Constantinus Augustus obtulit basilicae, quam coemeterium constituit via Ardeatina, fundum rosarium cum omni agro campestri prae-*

stantem solidos XL (Lib. Pont.). Ex inscriptione lapidis, quem Marinius servavit, eiusdem coemeterii appellatio confirmatur, quae sequens est.

SABINI BISO
NVM SE BIBVM
FECIT IN CYME
TERIVM BALBI AE
IN CRIPTA NOBA

Ex picturis illam adnotamus, quae repraesentat adorationem Magorum arcosolio inclusam.

In Via Ostiensi — **Coemeterium Lucinae.** — Extenditur sub area quam Basilica S. Pauli Apostoli ex parte occupat. Olim ad cryptas patebat descensus in navi transversa ad sinistram absidis Basilicae eiusdem, quae anno 1823 incendio consumpta est. Coemeterium in praedio Lucinae senioris, nobilis foeminae, effossum scimus, eius scilicet quae corpus Apostoli Pauli ibi sepelivit, postquam *ad Aquas Salvias*, haud multum longe a loco sepulturae, capite obtruncatus martyrium consumasset.

Ast coemeterium hoc antiquissimum dolendum est fuisse magna ex parte devastatum etiam propter Basilicam superimpositam, ad quam excitandam, cum fundamenta iacerentur, saeculo quarto, crytae permultae deletae sunt. Dixi coemeterium antiquissimum esse; inibi enim praeter Pauli sepulcrum nobilissimum et alia sunt inventa sepulcra, tecta lapidibus, in quibus notabatur consulatus Surae et Senecionis nec non Pisonis et Bolani (1), scilicet annus a Christo nato 107 et 111. Multos inscriptos lapides tum coemeterii, tum veteris Basilicae legere datum est in atrio coenobii eidem iuncto ecclesiae.

Basilicam hanc Constantinus Augustus aedificaverat multisque ditaverat bonis (2), quam deinde ampliaverunt ornaveruntque magnis sumptibus Valentinianus II, Theodosius et Ar-

(1) V. Boldettus, *Osserv. sopra i Cem.* p. 78 — Idest consulatus Licinii Surae tertium et Sosii Senecionis secundum.

(2) V. Lib. Pont.

cadius, qui Flavio Sallustio Urbi praefecto (1) curam operis commiserunt, anno 386, quod tamen Honorius perficiundum curavit, uti constat ex inscriptione triumphali sarcus Basilicae:

THEODOSIVS COEPIT PERFECIT HONORIVS AVLAM
DOCTORIS MVNDI SACRATAM CORPORE PAVLI.

Cum de coemeteris tantum agamus, multa, eaque notabilia, praetermittimus, quae de Constantiniana hac basilica forent dicenda.

Coemeterium Commodillae. — In via situm est qua pergitur ad S. Sebastianum, a Basilica divi Pauli iter faciens. De eo fuse loquitur Boldettus, qui, praeter nobiliora sepulcra, picturas multas detexit, quas inter effigiem SS. Felicis et Adaucti sanctarumque Dignae e Meritae; qui omnes, iuxta Itineraria (2), in eodem coemeterio quieverunt. Ignotum est quaenam fuerit christiana Commodilla, a qua coemeterium nomen sumpsit. Felix Presbyter in persecutione Diocletiani passus est, cui ad martyrium properanti christianus ignoti nominis obviam factus, et ipse cum eo capite diminitus est, qui a christianis Adauctus vocatus, quia Felici in martyrio adiunctus est. Horum cryptam Damasus hoc elogio exornavit:

O SEMEL ATQVE ITERVM VERE DE NOMINE FELIX
QVI INTEMERATA FIDE CONTEMPTO PRINCIPE MVNDI
CONFESSVS CHRISTVM CAELESTIA REGNA PETISTI
O VERE PRETIOSA FIDES COGNOSCITE FRATRIS
QVA AD CAELVM VICTOR PARITER PROPERAVIT ADANCTVS
PRESBYTER HIS VERVS DAMASO RECTORE IVBENTE
COMPOSVIT TVMVLVM SANCTORVM LIMINA ADORNANS (3)

---

(1) Successerat in praefectura Urbis Q. Aurelio Symmacho. - Extat adhuc imperiale rescriptum eidem missum.

(2) V. *Itin. Salisburg.* et *Epit. de loc. SS. Mart.*

(3) Servaverunt elogium Codd. Corbeiensis, Einsiedlensis, Palatinus, praeter Gruterum, De Rossi, Merendam Sarazanium aliosque. In sexto versiculo *Verus* nomen proprium est praesbyteri, cui Damasus, uti alias facere consueverat, operis perficiundi circa sepulcrum Martyrum curam demandavit.

In area supra solum coemeterii eiusdem Ecclesia martyrum nomini dicata extitit, quam Ioannes I, saeculo sexto, ac Leo III restituerunt.

Non longe a Basilica S. Pauli notant Itineraria ecclesiam S. Teclae. Salisburgense ait: *Sic vadis ad S. Paulum via Ostiensi et in australi parte cerne ecclesiam S. Teclae supra montem positam in qua corpus eius quiescit in spelunca in aquilone parte.*

Subtus montem, parvum extat coemeterium, quod nuper, iterum, per clarissimum Marianum Armellini b. m. detectum est, ac certo nomine notatum. Tecla haec non illa censenda est, quam Paulus Apostolus habuit discipulam, cum ipsa fuerit Seleuciae sepulta in sua basilica, sed alia, inter multitudinem Romanarum martyrum adnumeranda.

Ad aquas Salvias, ubi Paulus decollatus est, aliud coemeterium notamus, sed quia inexploratum, de eo nihil admodum compertum habemus.

In Via Portuensi. — **Coemeterium ad Ursum Pileatum**, scilicet Pontiani, ab ipso Pontifice eiusdem nominis probabiliter sic appellatum est. Clarissimus Bosius, qui de ipso multa loquitur, anno 1618, detexit, ubi cubicula et arcosolia multa picturasque perpulchras in parietibus et concamerationibus invenit: item gemmatas cruces, imagines Salvatoris nymbo crucigero ornatas, nec non allegoricas vetustiores imagines, quas saepe in coemeteriis intuemur, nempe Moisen, Ionam, Noe in arca, sacrificium Abrahae, tres pueros in fornace, una cum imaginibus Sanctorum eo loci quiescentium. Hi sunt: Abdon et Sennen Persae, martyres sub Decio, passi contra amphitheatrum Flavium (1), qui, barbati, pileo phrigio ac pallio, qui candys dicitur, calliculis ornato induti sunt (2), Pig-

(1) Horum corpora transtulit Gregorius IV ad basilicam S. Marci Romae. V. Bartolini, *La sotter. Conf. della rom. basil. di S. Marco.* Roma 1844.

(2) Pileus chlamidi seu pallio iunctus est: martyres tunicam pelliceam induunt quae ne genua quidem tangit. Salvator, inter nubila apparens, dextera Abdon, sinistra Sennen capiti coronas imponit. V. Fiorentini, *In not. ad Martirol. XXX Iul.*

menius, Miles sive Milex, Pollion, Quirinus diaconus, qui corpora martyrum Persarum aliquandiu domi suae abdidit, et Anastasius, quorum nomina penes picturas inscripta leguntur una cum peregrinorum multis nominibus (graffiti).

Notatu dignus est huius coemeterii fons Baptismatis, ad modum natatoriae, in quem adhuc influit aqua. In pariete baptisma Christi in Iordane effictum conspicimus et angelum qui Salvatoris, denudati in aqua, vestem servat. Qui omnes una cum Ioanne nymbati sunt, et crux gemmata depicta fontem tangit. Quamvis has picturas saeculo sexto facile assignemus, coemeterium tamen valde antiquum existimandum est.

Itinerarium Salisburgense supra coemeterium basiliculam S. Candidae memorat his verbis: *Deinde descendis ad aquilonem et invenies ecclesiam S. Candidae v. et m. cuius corpus ibi quiescit: descendes in antrum et invenies ibi innumerabilem multitudinem mm.* Candida sepelivit corpus Pigmenii, de quo supra, in fluvium Tiberis iniecti, saeviente persecutione Iuliani Apostatae.

Coemeterium ad Insalsatos, ad S. Felicem notatur in Indice coemeteriorum adiuncto *Notitiae Regionum Urbis Romae* atque in altero inserto codici, cui titulus: *Mirabilia Urbis Romae.* Ibi extabat basilica S. Felicis; admodum tamen incertum est quisnam iste Felix fuerit; num ille quem Constantius Imperator, contra voluntatem populi romani moremque Ecclesiae Liberio conlegam dare voluit (8), an potius martyr aliquis eiusdem nominis, uti indicare ea verba videntur Itinerarii Salisburgensis: *In occidentali parte*

In Kalendario Bucheriano legimus eos sepultos in Pontiani. *III. Kal. Aug. Abdon et Sennen in Pontiani, quod est ad ursum pileatum.*

(8) Populus Romanus Liberio fidelitatem servavit contra Felicem II, qui anno 365 in *praediolo suo* Via Portuensi *requievit in pace* (Lib. Pont.) Admodum obscura est quaestio num ille scilicet Felix, martyr fuerit; ignota tamen nobis ratione Ecclesia Romana uti martyrem colit: quod satis aperte demonstrat eum de antipapatu tandem poenituisse.

Tiberis ecclesia est b. Felicis m. in qua corpus eius quiescit et Alexandri m. etc.

In Via Aurelia, — **Coemeterium Octavillae**, seu S. Pancratii admodum devastatum cernitur. Octavilla ea illustris foemina est quae corpus martyris in praedio suo sepelivit, qui eadem via capite obtruncatus periit. In eodem coemeterio depositi etiam sunt martyres Arthemius, Paulinus et Sophia una cum filiabus suis Pistis, Elpis et Agapes (1). Basilicam martyris Pancratii supra coemeterium Honorius I a fundamentis renovaverat ac exornaverat splendidiori quam antea ornatu, uti constat ex inscriptione primitivae tribunae, nunc deletae, quam servavit Codex Einsiedlensis. Innocentius III in basilica Petrum regem Aragoniae, anno 1205, solemniter coronavit, quae plurima damna passa est tempore belli, quod anno 1849 flagravit: etiam corpus martyris ea tempestate suo loco disturbatum ac dispersum. Eadem via situm est

Coemeterium Calepodii, a supradicto omnino distinctum, ubi depositum scimus Callistum Papam et martyrem. Iulius I eiusdem Pontificis nomini eo loci supra solum basiliculam excitavit. Appellationem coemeterio inditam scimus a Praesbytero Calepodio, quem pro fide necatum Callistus ipse eodem loco sepulturae mandavit (2).

Coemeterium SS. Processi et Martiniani. Extenditur prope villam Pamphyli et partim sub ea. Hos Nerone Principe martyres, per Apostolum Petrum ad fidem vocatos, Lucina senior sepelivit, postquam eos unguentis aromatibusque delibuisset. Coemeterium magna ex parte adhuc remanet inexploratum. Supra eorum sepulcrum basilica exstructa est, in qua, S. Gregorius Magnus habuit homeliam

---

(1) Haec graeca nomina, latine reddita, significant Fidem, Spem, Charitatem. Eadem graeco vocabulo inscripta leguntur tabulae marmoreae *Nataliciorum* Ecclesiae S. Silvestri in Capite, cum sciamus in eam earum corpora a S. Paulo I inlata fuisse. MENSE. SEPT. D. XXX. N. SCAR. SOFIAE. PISTIS. HELPIS. ET. AGAPE.

(2) Ponitur coemeterium prope viam Aureliam in loco qui dicitur: *Il casaletto di S. Pio V.*

ad populum (Hom. 32 in c. 16 Matt.). Paschalis I martyrum exuvias in Basilicam proximam Vaticanam transtulit easque condidit in oratorio eorum nomini exaedificato. In nova divi Petri basilica eis pernobile sacellum dedicatum est, utpote ab ipso Apostolorum Principe bapttizatis. Eorum nomina leguntur in pittaciis ampullarum, et indice oleorum quae Ioannes Abbas collegit, uti intueri datum est in museo Modiciae.

In Via Flaminia. — **Coemeterium S. Valentini.** — Unicum est eiusdem viae ad primum circiter lapidem, quod sub collibus effossum cernitur qui impraesentiarum *Parioli* vocantur Basilicam martyris supra locum eundem memorant Codices Salisburgensis, Malmesburiensis et Epitome de locis SS. Martyrum. Valentinus praesbyter fuit ac martyr sub Claudio, Gothico nuncupato, qui passus est die 14 Februarii (an. 268-270). Eius tamen acta, valde obscura, contenta leguntur in actis SS. Marii et Marthae, tardiori aetate scripto consignatis.

Cum vero die 14 eiusdem mensis celebretur festum S. Valentini Episcopi Interamnesis, exinde Tillemontius arguit unam eandemque fuisse personam Valentinum Preasbyterum ac Valentinum Episcopum. Ast clarissimus Horatius Marucchi duas defendit diversas personas auctoritate codicum antiquorum ac praesertim duorum coemeteriorum Romae et Interamnae. Attamen relationem quamdam intercidisse fatendum est inter utrumque, vel eo magis quod in coemeterio romano lapides fuerint inventi in quibus Interamnates notantur. (1)

Basilicam, de qua loquuti sumus, Iulius I condidit iuxta Librum Pontificalem (an. 336-352) quam Honorius I, Theodorus et Leo III restituerunt: illus rudera, anno 1888, in lucem rediere. Ex picturis notatu digna est imago Crucifixi, tardioris tamen aetatis, quatuor clavibus ligno crucis adfixi et tunica, quam colobium vocant, induti, adstantibus hinc inde B. Virgo Mater eius ac Ioannes Evangelista (2).

---

(1) V. Marucchi, *La Crip. sepolcr. di S. Valent. sulla via Flaminia.* Roma 1878.

(2) V. Pianacci, *L'uff. divin.* et *Boll. della Comm. Arch. Com.* Luglio e Decem. 1888.

In Via Cornelia. — **Coemeterium Vaticanum.** — Hoc probabilius in area aperta extabat; nam leges romanae de sepulturis cuique ius amplum tribuebant, ipsisque christianis, sepulturae locum parandi ibique cadavera tuto deponendi: locus sacer depositione corporis efficiebatur (1). Corpus igitur B. Petri non longe a loco martyrii iuxta viam Corneliam depositum est; ac circa ipsum non tantum Linus, sed et successores non pauci deponi voluerunt ac christianorum permulti saeculo primo et secundo, antequam coemeterium Callixti papale efficeretur. Aream coemeterii deinde Constantiniana Basilica aliaque sacra aedificia adnexa occupavere: qui locus merito omnium celeberrimus existimandus, eo quod ibi corpus Principis Apostolorum, maxima totius Orbis religione cultum, servetur.

Explicit hic igitur tractatio de coemeteriis maioribus et minoribus, quae extra portas Urbis Romae sunt: quaedam tamen parva ac minoris momenti hypogea praetermisimus; notum vero est et alia extare coemeteria circum Romam in suburbio, quae proprie romana dici nequeunt (uti coemeterium Generosae ad sextum Philippi et coemeterium Zotici), utpote ab Urbe satis remota.

Index Coemeteriorum Urbis Romae

Num.	Nomina antiqua	Nomina aetate pacis	Viae	Nomen topograf.
1	Aproniani	S. Eugeniae	Latina	
2	Balbinae	ad Ss. Marcum et Marcellianum	Appia	
3	Basilei (et hypogeum Damasi)	ad S. Marcum	Ardeatina	
4	Basillae	SS. Hermetis Proti et Hyacinthi	Salaria vet.	
5	—	S. Pamphili	Salar. Vet	ad clivum Cucumeris

(1) Eruitur etiam ex Marcian. Digest. §. 4 *Religiosum locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum.*

6	—	ad caput S. Ioannis	Salar. Vet	ad septem Columbas
7	Calepodii	S. Callixti vel S. Iulii	Aurelia	
8	—	ad S. Felicem	Portuensi	ad Insalsatos
9	Cyriacae	S. Laurentii	Tiburtina	Ager Veranus
10	—	S. Hippoliti	Tiburt.	
11	Commodillae	Ss. Felicis et Adaucti	Ostiensi	
12	Domitillae	Ss. Petronillae Nerei et Achillei	Ardeatina	
13	Iordanorum	Ss. Crysanti et Dariae et ad S. Alexandrum	Salaria nov.	
14	Iusti (hortus	S. Nicomedis	Nomentana	
15	—	S. Agnetis	Noment.	
16	Lucinae	S. Callixti	Appia	
17	Lucinae	S. Pauli	Ostiensi	
18	Lucinae	Ss. Processi et Martiniani	Aurelia	
19	Maximi	ad S. Felicitatem	Salaria nova	
20	Octavillae	S. Pancratii	Aurelia	
21	Ostrianum	ad Nymphas B. Petri	Nomentana	ad Capreas
22	Praetextati	S. Urbani vel ad S. Ianuarium	Appia	
23	—	S. Sebastiani	Appia	ad Catacumbas
24	Priscillae (cui ad nexum coem. Novellae).	ad S. Silvestrum	Salaria nova	
25	Pontiani	Ss. Abdon et Sennen	Portuensi	ad Ursum Pileatum
26	Thrasonis	ad S. Saturninum	Salaria nova	
27	—	Ss. Petri et Marcellini	Labicana	ad duas Lauros
28	—	Ss. Quatuor Coronatorum	Labic.	in Comitatu
			Labic.	
29	—	S. Castuli		
30	—	Ss. Gordiani et Epimachi	Latina	
31	—	S. Tertullini	Latina	
32	—	B. Petri Ap. memoria	Cornelia	in Vaticano
33	—	S. Valentini	Flaminia	

IOSEPH CANONICUS CASCIOLI.

PRAEMIA.

Ad Cl. F. Ravanat, uti ad Cl. A. Fourneret quaestionum solutores relativum misimus praemium promeritum: illi Missale Romanum, isti Rituale, utrumque recentissimae editionis et eleganter religatum. Omnes et singulos, quantum fieri potest, pungat aemulatio.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI.

V.

In Dioecesi Cortonensi agitur die 22 Februarii festum S. Margaritae Poenitentis sub ritu dupl. 1. classis cum octava, quae proinde incidit in diem primam mensis Martii. Cum vero annus occurrit bissextilis, quidam dictae Dioecesis Ecclesiae Rector graviter dubitat, utrum dies octava S. Margaritae esse nec ne debeat dies 29 Februarii. Hoc quidem nonnulli docent, uti A Carpo, sed alii non desunt, uti Cavalerius, qui contrarium sustinent.

Dicunt enim hi, diem octavam S. Margaritae, sive in anno communi, sive bissexto eamdem esse semper diem, videlicet 1.am Martii. Ex quo tamen fit, ut anno intercalari octava dies, non octava sed nona evadat. Quod incommodum praefatus Rector explicare putans ait, materialiter quidem constitui octavam in casu ex novem diebus, haud vero formaliter; quia ex Martyrologii auctorumque sententia dies 24 et 25 Februarii pro una eademque die in anno bissextili computantur. *Quaeritur.*

1. *Num liturgicae antiquitati sit nec conforme, ut idem festum, quibusdam datis peculiaribus causis, duos dies, utrumque vere proprium habeat?*

2. *Quibusnam momentis utraque opinio in casu fulciatur, et quae magis probanda sit?*

3. *Cui ex disceptantibus ratio faveat?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Bonaventurae Cerretti, habita in Ecclesia Presbyterorum Congr. Missionis die 13 Ianuari 1897; acta Epitoma per Rmum. Dom. Ioannem Bapt. Menghini Apost. Caerem. Magistrum.

I. Num liturgicae antiquitati sit nec ne conforme, ut idem festum, quibusdam datis peculiaribus causis, duos dies utrumque vere proprium habeat?

Ne res obscurior evadat aut ambiguitate laboret, maxime in primis interest ut genuinus sensus patefiat verborum *festum* et *dies propria*. Festum idem est ac *dies festus*, dies ille nempe, ab Ecclesia selectus, ut memoria alicuius Sancti vel Mysterii cultu liturgico recolatur, absque tamen ulla ad *feriationem* seu extrinsecam solemnitatem relatione, quae potest illi adnexa esse vel non. Ut plurimum dies festus est ille, quo Mysterium aliquod evenit vel Sanctus beatam requiem est ingressus, qui et *Natalis* dicitur, quia S. Ecclesia hunc tanquam natalem considerat. Et reipsa nonnisi de Beatissima Virgine Dei Matre ac S. Ioanne Baptista Domini Praecursore, praeter illam Domini nostri Nativitatem secundum carnem, iam antiquitus coluit, eo quod haec ingressum in agonem commemorat eorum, qui labe iam infecti sunt et filii irae noncupantur, ad distinstionem *Officii*, quo intelligitur *modus* ab Ecclesia constitutus ad Mysterii vel Sancti festum celebrandum. Ex quo patet quod, cum ob aliquod impedimentum celebrari eo modo nequit festum, hoc die sua remanente, modus, illae nempe preces, quae ad

laudem Mysterii aut Sancti adhibentur, ad aliam diem transferuntur. Unde hoc quoque intelligimus, quod dies festus est ille, qui aliis verbis *dies propria* appellatur, quae nempe ita illi convenit, ut etiamsi aliquo modo impediatur, non tamen iura omnia amittit, quae illius sunt: et si v. gr. impedimentum auferatur, in suum locum denuo restituatur. Ergo *die festus, dies natalitia, dies propria* unum et idem significant. His autem tantum et non officio spectant externa pompa, feriatio, octava, Indulgentia, si quae festum comitentur. Diximus *ut plurimum* hos dies illos esse, quibus Mysteria vel Natalis Sanctorum evenere, quia interdum accidit, ut quibusdam datis peculiaribus causis, Ecclesia aliam diem illis sufficiat, cum omnibus iuribus festi proprie dicti, et tunc ea dies *quasi-natalitia* appellatur; ergo et haec dies ad diem propriam reducitur.

Ex his patet, generatim loquendo, diem propriam unam dumtaxat esse posse. Ast si peculiariter rei examen instituamus, videbimus non abs re a nobis inquiri, an idem festum *datis peculiaribus causis* duos dies vere proprios habere possit. Et re quidem vera quatuor dantur huiusmodi causae: 1° adiectio diei unius in anno intercalari seu bissextili, quae festis a die 24 ad 28 Februarii recolendis eo anno diem sequentem propriam assignat; 2° occurrentia sextae Feriae vel Sabbati Maioris Hebdomadae cum festo Annunciationis B. M. V., qua fit ut festum hoc tunc celebretur feria II post Dominicam in Albis; 3° libertas a S. Sede concessa diversam consuetudinem retinendi in celebratione festi S. Bartholomaei Ap. die 24 aut 25 Augusti, ex qua fit ut et sequens festum Sancti Ludovici

Regis respective die 25 aut 26 celebretur; 4° peculiare privilegium, quo gaudet aliqua particularis Ecclesia. Nunc quidem respondemus generatim hanc pluralitatem dierum unius festi propriorum, esse antiquitati conformem; sed peculiariter iuxta praefatam distinctionem reponamus. Loqui omittimus de antiquiori aevo, quando nempe non adhuc festorum catalogus, seu Calendarium pro Ecclesia universa, confectus unico typo extitit, eo enim tempore plurima festa in diversis Ecclesiis diebus diversis colebantur, qui proprii habebantur, vel iuxta vetustiorem consuetudinem, vel ex Episcoporum auctoritate, qui etiam in re liturgica plura decernebant, vel ex diversitate traditionis circa diem obitus Sanctorum, aut eventus Mysterii, cuius rei vestigium in festo S. Bartholomaei manet, ut mox dicemus; sed rem consideramus iuxta mediocrem antiquitatem, quando nempe lex universalis lata est.

Quoad primam causam, antiquitas hoc praestat: in Calendario universali a die 24 ad 28 Februarii unus S. Mathias invenitur, et praecise die 24. Apostolorum festivitates sunt antiquissimae, et verisimiliter celebrari coeperunt ab eorum immediatis successoribus. Ex libro Constitutionum Apostolicarum id eruitur (*lib. 8, c. 33*), ubi ex verbis: *in diebus Apostolorum vacent Magistri, enim vestri fuerunt*, eruitur iam tunc sub praecepto constitutas fuisse. Antiquiora Martyrologia de eo memoriam habent, quamquam a codicibus Palatino-Vaticanis 833, 834 satis vetustis absit; agunt tamen Ado Usuardus, Romanum parvum, Rabanus, Notkerus, Florus, Wandelbertus etc. In libris liturgicis vetustioribus deest, uti in Gelasiano codice, in Gregoriano Sacramentario et in Capitularibus Evan-

geliorum; habetur tamen in Sacramentario Menardi, Palatino-Vaticano 496, Angeli Rochae et Vaticano 1272.

Quod autem diei proprietatem spectat, ex Alexandro III, C. *Quaesivit de Verbor. signific.*, novimus antiquam extitisse consuetudinem in bissextilibus annis esse 25 Februarii, dum in annis communibus 24 eiusdem: « Festum vero Beati Mathiae, iuxta consuetudinem Ecclesiasticam, Vigilia eatenus praecedat, ut nec pro bissexto, nec pro quolibet alio modo inter se et solemnitatem, aliam diem admittat; in qua utique Vigilia (nisi venerit in Dominica) ieiunium celebretur: ipsum autem Festum sive fiat in praecedenti die, sive in sequenti (qui duo, quasi pro uno reputantur) nullus error, sed consuetudo Ecclesiae teneatur ». Quod quidem factum fuisse, aut saltem fieri debuisse putamus in particularibus Ecclesiis circa festa, quae illum forte sequebantur; id ceterum originem duxit ex eo, quod Romana Ecclesia Romanorum more, latinam recepit computationem, bis in mense Februario dicens *sexto Kalendas*, sicuti eruitur ex ipso romano Martyrologio, in regulis de Dominicalium literarum usu, quae dies mensis et lunas moderantur, et hac ratione ad diem 29 dicti mensis pervenitur, ita ut non haec consideretur adiecta, bene vero 24, quae festum S. Mathiae hac de causa non valens sustinere, ad 25 remittit. Nec aliter ipsa S. Rituum Congregatio sensit, dum die 1. Martii 1681 ad dubium 6 in una *Canonicorum Regularium Lat r.* huius tenoris: « Pro festo S. Mathiae Apostoli decisum fuit, quod in anno bissextili propria dies est 25 Februarii, quae alias est 24, ita quod si habeatur desi-

gnata dicta dies 25 pro aliquo Sancto minoris ritus (1) particularis Ordinis, iste sit transferendus illo anno in proxime sequentem diem non impeditum. Nunc quaeritur: An idem intelligi debeat de aliis Sanctis, seu Officiis occurrentibus in tribus diebus sequentibus Februarii, ut habent dicti Canonici Regulares, ritu duplici in proprio octavario, scilicet 25 S. Felicis Papae, 27 S. Leandri Episcopi, et 28 secundae translationis S. Augustini, ita quod officium S. Felicis, quod habent *proprium* pro die 25 in anno bissextili, *sit proprium* pro die 26, et Officium S. Leandri, quod est assignatum pro die 27, *sit proprium* pro die 28, et sic de translatione S. Augustini, quod videtur comprobari ex lectione Marlyrologii; secus daretur quod legeretur Martyrologium de Sancto, de quo iam factum fuisset officium, quod esset improprium et praeter ordinem lectionis Martyrologii? » respondit: *Affirmative.*

Altora ex peculiaribus causis duplicem diem propriam gignentibus est, uti diximus, occursus festi Annunciationis B. M. V. cum diebus strictiori sensu aliturgicis, qui sunt feria VI in Parasceve et Sabbatum Sanctum (nam feria V in Coena Domini non est omnino aliturgica, quia si in ea incidat praeceptum festi Annunciationis, in illa remanet, cum plurium Missarum celebratione). Hoc enim casu, festum praedictum aliam *propriam* diem adipiscitur, nempe feriam II. post Dominicam in Albis. Hoc tamen non multa

(1) Fatendum Decretum hoc, sicuti et aliud de quo dicitur: *decisum fuit,* quod datum est die 7 Sept. (aut Dec. uti ex Merato) 1680, obscuritate aliqua laborare, quam dissipare Cavalerius conatur, qui videri potest (Tom. I, c. X, Decr. I. n. 5 et 6).

antiquitate gaudet, sed ex Sacrae Rituum Congñis Decreto d. d. 11 Februarii (confirm. 11 Mart.) originem duxit. Hic illud subiicimus: »

« S. R. C., ad tollenda dubia exorta super celebratione festi SSmae Annunciationis B. M. V. in feria sexta in Parasceve, vel in Sabbato Sancto occurrentis, declarando Decretum editum die 11 Februarii proxime praeteriti, decrevit, festum Annunciationis in casu proposito una cum praecepto audiendi Missam, et vacandi ab operibus, in Ecclesia universali transferri debere ad feriam secundam post Dominicam in Albis etiam quocumque alio festo impeditam, ita ut eadem feria praememorato festo Annunciationis assignata, et stabilita intelligatur; et in illa eo prorsus modo et forma praefatum festum quoad Officium et Missam celebretur, quibus propria die vigesima quinta Martii in Calendario Romano appositum celebraretur, protractis ad aliam diem non impeditam, iuxta Rubricas Breviarii Romani, omnibus aliis Festis in eadem Feria occurrentibus, quae non sint altioris ritus (1) ».

Antequam hoc Decretum latum fuerit, eodem in occursu nullimode *festum* Annuciationis transferebatur, sed tantum *Officium*; festum autem in foro colebatur eo modo quo potuerat, et cum in feria VI Parasceves Missa nullimode permittatur, nec ad exceptionis modum, obligatio tantum remanebat vacandi ab operibus servilibus: « In Parasceve si incidat festum Annunciationis B. V., non tenentur fideles ad Missam audiendam, seu interesse Officio (S. R. C. 19 Febr. 1622) ».

(1) Decretum istud, licet in nova Collectione, quae paratur, reformatum, omni adhuc vi pollet quod substantiam attinet.

Sabbato Sancto vero, quamquam Missa de more celebraretur, non tamen fiebat ut etiam nunc feria V in Coena Domini, Missas plures celebrando; at cum grave nimis incommodum esset omnem populum ad illam unicam Missam accedere, quae nec in omnibus Ecclesiis locum habebat, cautum fuit praedicta ratione. Antiquitas ergo ex hoc capite, praefati Decreti tempus non transcendit.

Diximus tertio festum S. Bartholomaei duplicem habere diem propriam, iuxta consuetudinem locorum, nempe 24 vel 25 Augusti. Id accidit ex diversis rationibus eius Natalem celebrandi. Romae et in quibusdam aliis locis celebratur die 25, quidam dicunt eo quod ille sit dies quo obiit, dum dies praecedens fuisset dies martyrii (Durandus, *Rationale lib. 6, c. 7, n. 17*): alii diversam tantum consuetudinem allegant (V. Suarez *de Religione* Tr. 2, lib. 2, c. 9, n. 18); alii denique id factum esse autumant, quod, quamvis die 24 Augusti obierit, die 25 Corpus S. Bartholomaei translatum fuerit ab Othone II anno 983 Benevento ad Romanam insulam Tyberis Licaoniam (*Baronius, in not. Martyrol. ad diem 25 Aug*). Noluerunt autem hac occasione, ait Suarez, aliarum Ecclesiarum morem Pontifices immutare, quae diem 24 ab antiquo retinuerant. De antiquitate harum consuetudinum nil certi asseri potest, quia vetera Martyrologia discordantia sunt; nec desunt, quae aliam diem quoque huius Sancti Natalem assignant, uti v. gr. Vaticanum codex 1272 saeculi XI, in quo legitur: « Dormitionis vero eius festiva celebritas colitur, ut praemissum est, quintodecimo Calendarum Iulii (17 Iunii) ». Die 24 colitur a Hieronymianis, Rabano, Adone, Usuardo, Wandelberto,

Rhinoviense etc. Martyrologium Ottobonianum agit postridie eius diei. In Sacramentario Menardi, Pamelii etc., habetur die 24. In Missali plenario Vaticano 4770 die 25.

Quarto denique non desunt exempla in quibusdam locis, festa nonnulla in aliam diem aeque propriam transferendi, data aliqua peculiari causa. Id quanta antiquitate gaudeat dificile est asserere, cum agatur de particularibus Indultis. Exemplo sint haec duo Indulta: 1. in *Veronen.* « Cum festum S. Zenonis Martyris, quod in civitate et Dioecesi Veronensi, uti illius Episcopi et principalis Protectoris, quotannis die 12 Aprilis de praecepto cum octava celebretur, aliquoties incidat in feriam sextam Parasceves, vel in Sabbatum Sanctum, Clerus Saecularis et Regularis eiusdem civitatis et Dioecesis S. Rit. Congregationi humillime supplicavit, quatenus in casu talis occurrentiae, in posterum dictum festum S. Zenonis ad feriam secundam post Dominicam in Albis cum Officio et octava transferre...... dignaretur. Et S. eadem Congregatio, audita prius informatione Episcopi, huiusmodi instantiis iuxta petita benigne annuit die 15 Septembris 1742 ». Adhuç amplius est 2. in *Fulden.* diei 6 Septemb. 1727: « Festum S. Benedicti, quod habet adnexum forum, incidens in aliquam diem maioris hebdomadae, transfertur ad feriam III post Dominicam in Albis, tamquam diem propriam, translato quocumque Officio etiam aequalis ritus in ea occurrente ».

II. Quaestio nunc instituenda, quibusnam momentis utraque opinio in casu fulciatur, et quae magis probanda sit. Prima opinio quam A Carpo tuetur,

retinet diem octavam S. Margaritae procedere debere cum dierum computatione naturali, infra octo nempe dierum naturalium spatium. Altera, quam Cavalerius sustinet, vult dictam octavam procedere debere cum dierum computatione morali iuxta vetus Romanorum dicendi morem, quamquam dies materialiter novem amplecteretur. Momenta, quae cl. A Carpo movent, quaenam sunt? Tam in *Kalendario perpetuo*, quam in *Compendiosa Bibliotheca Liturgica*, nulla inveniuntur, sed tantum fulcitur opinio consuetudini, quam retinent Franciscales, ad quorum coetum ipse auctor pertinet, et constat ex *N. 46* Rubricarum peculiarium Breviarii Romano-Seraphici, cuius consuetudinis ratio in eo sita est, quod quamvis dies 24 Februarii sit dies addititia, de facto tamen capax est omnium iurium, quae ad ceteros dies spectant, nempe Officii translati admittendi, seu de octava, seu de Vigilia S. Mathiae, seu votivi, seu de feria Quadragesimae; esset ergo in casu vere dies tertia infra octavam, sicuti 23 secunda, 25 quarta, et 29 octava. Momenta vero a Cavalerio pro sua sententia allata sunt sequentia: 1. « quod dies ille (24) *reputatur tamquam si non esset, et dies 24 et 25 censentur pro uno et eodem die*; quapropter etsi revera per novem duret dies, adhuc censetur per octo dumtaxat continuari dies, unde nec obsistit etymologia octavae, quae in contrarium adduci posset »: 2. auctoritas Guyeti (*L. 2, c. 2, quaes. 13*) dicentis, quod de Sancto cuius Natalis diei 28 Februarii affixum foret, « in anno bissextili dierum infra octavam (si forte habeat) adeoque octavae ipsius *nulla facienda est variatio*, sed quod ea adhuc aeque incidet in diem 2 Martii ». Cl. Tètamo

horum adhaeret sententiae, qui etiam notat (*Tr. 1. Not. 24 Febr.*, art. 6, n. 12), « quod in hoc casu non dicendae essent in duobus consecutivis diebus infra octavam eaedem lectiones in Nocturnis, sed variandae, sumendo illas ex diebus in quibus non factum est, aut non fiet de octava », quod nisi aliud festum particulare, certo praestabit illud S. Mathiae Ap.

Difficile nunc est iudicium ferre, an prima probanda sit opinio, an altera, cum pro illa stent Rubricae Franciscales a S. Sede probatae (quamvis non possit ex hac approbatione sustineri Apostolicam Sedem illas auctoritative sanxisse, sed tantum permissive admisisse); pro alia stent tres memorati auctores, iure salutati magistri, quorum magni ponderis sunt argumenta sive directe quaesita, sive indirecte, ex incommodis alterius sententiae.

Quod duo dies, de quibus quaestio, tamquam unus sint computandi probant veteres ac recentes scriptores. Celsus (*De verborum significat.*) ait: « qui natus est bissexto Kalendas, nihil refert utrum priore an posteriore die natus sit, cum illud biduum *pro uno tantum die* reputetur ». Meratus (*Sec. 7, c. 4, n. 23*): « Dies 24, eo anno (bissextili), interponitur *quasi non esset*, nec reputanda esset ». Cui rationi consentaneus est mos, quem Ecclesia invexit, festa, quae a 24 die Februarii decurrunt usque ad 29, die sequenti celebrare; non quasi translata a die propria, sed tamquam vere et proprie occurrentia. Ex quo infertur quod, in casu, dies tertia infra octavam proprie pertinet ad diem 24, sicuti et ad 25, hi namque sunt VI Kalendas Martii; dies quarta, ad diem 26; dies quinta ad 27; sexta ad 28; septima ad 29; octava ad diem 1. Martii.

Notandum insuper quod, si in anno bissextili octava celebratur die 29, praeiudicium infertur festo, quod forte diem illam eo anno (quae in communibus est 28) vere propriam iure occuparet, occurrentiam omnino novi generis efformando.

Si Ecclesia voluisset rationem habere diei 24, considerasset utique diem 29 tamquam addititiam, et tum nullum inconveniens ortum habuisset, dum e contrario, iuxta Martyrologii lectionem, quam Ecclesia retinet, contradictio quaedam oriretur, diei intercalaris rationem habendo; etenim cum sexto Kalendas Martii habeatur dies tertius infra octavam, die sequenti qui pariter est sextus Kalendas, haberetur non amplius dies tertius, sed dies quartus. Si autem in bissextili octavae S. Margaritae dies propria consideretur 29 Februarii, aliquod festum seu officium quod in annis communibus translatum fuisset in diem 1. Martii ratione dictae octavae, ius haberet ad sedem suam remeandi, sed tum nemo non videt quot perturbationes locum haberent. Si casus effingitur octavae Festi alicuius occurrentis die 21 Februarii, rationem habendo diei 24, inconveniens oriretur, quod partim teneretur Ecclesiae praxis (nemo est, qui contradicat) diem propriam in bissextili considerandi, quae in communibus est praecedens, partim contradiceretur, hanc normam pro die octava non retinendo: vellent enim prioris sententiae fautores, diem octavam in casu semper celebrare die 28; et tunc quid agendum de Sancto in communibus 27 occurrente, qui in bissextili praefata 28 vere occurrit? Aut transferretur, aut ad simplicem commemorationem redigeretur, quo iure? Ergo ut hi sibi contradicere non videantur, aut festa seu officia contra

Martyrologium et Ecclesiae praxim semper retineant fixa diebus mensis, ex sic iure octavam celebrabunt post septem physice dies, aut ecclesiasticam praxim in omnibus et singulis sequantur, et sic octavam celebrent nulla habita diei intercalaris ratione, et semper suo loco nempe v. gr. 27 Februarii, quae est 28 in bissextili; 28 Februarii, quae est 29 in bissextili; 1. Martii, numquam immutanda; 2 Martii, item numquam immutanda.

Videretur ergo Cavalerii sententia *magis probanda*: sed Breviarii Romano - Seraphici Rubricae si quis adhaereat, num reprehendendus? Nequaquam profecto; quia et sapienter haec facta supponi iure merito potest, sapientiusque a S. R. Coñgne probata. Accedit ipsamet praxis Cortonensis Ecclesiae, quae festi S. Margaritae octavam diem recolit prima die Mensis Martii in anno communi, die 29 Februarii in anno bissexto. Iam nunc, eiusmodi consuetudines gravioribus innixae rationibus citra controversiam tenendae sunt.

Reverentia sane dignas allatas auctoritates iudicamus; non ita tamen ut oppositam sententiam amplecti iure quisque nequeat. Primo enim, licet Martyrologium Romanum bis ponat, diebus nempe 24 et 25 Febr. in anno bissexto, VI calendas Martii; in utroque nihilominus die diversum officium agit, non vero idem, quod nostro in casu comprobaretur. Sunt ergo duo diversi dies, licet eodem nomine appellentur, et uterque suum officium possidet: ut proinde et in casu nostro dies 24 sit vere tertia infra octavam, sicut dies 25 quarta etc. Secundo, Ecclesia a die 24 ad finem Februarii dies postponit, ut 25 habeat pro 24, 26 pro 25 etc. quamvis idem festum nunquam iteret: in casu vero nostro hoc evenire nequit, quia

agitur de diebus infra octavam, qui neque postponi possunt, neque iterari debent, ut extinctio unius diei fictitia sit, haud realis. Tertio, si praeiudicium aliquod affertur officio diei 29 quae in anno communi esset 28, nihil interest; id enim ex natura diei octavae oritur, quae postponi aut transferri non potest: ceterum eiusmodi praeiudicium est temporaneum, non perpetuum, et passim in Liturgia comprobatur. Quid autem diceres, si officium praefatum, quod postponitur a 28 ad 29 diem, esset duplex, saltem 2 classis, cum hoc in casu de eo fieret et dies octava ad simplicem ritum redigeretur? Cuius esset tunc praeiudicium? Leges Rubricarum servandae, et nullum est inconveniens, si unum aut alterum ex officiis pereat. Ceterum, ubi S. Margarita cum octava agitur, duo calendaria, ut ita dicam, habenda sunt: alterum pro anno communi, alterum pro bissexto. In illo officia regulariter celebrantur diebus, quibus sunt affixa: in altero postponuntur, et officium quod postponendum foret die 29, optime habere posset pro die sua primam mensis Martii, uti in casu simili scimus pro Ecclesia Brixiensi factum, atque ita totum negotium optime componitur.

III. Cui ex disceptantibus ratio faveat, uti patet ex dictis, absolute decerni non potest, ita ut potius concludere liceat: locorum consuetudinem servari posse. Sed arbitramur minus fortasse incommodum ex cl. A Carpo sententia provenire, quam ex altera: ut proinde videamus, Ecclesias particulares, relicta sentiendi ratione Cavalerii, Guyeti ac Tetami, hanc in praxi amplexatas fuisse sententiam, quam pariter ipsamet Liturgica Academia meliorem censuit.

QUAESTIONES ANNI 1895-96

V.

1. *Quaenam generaliter, antiqua et praesenti disciplina, seu latinae seu graecae Ecclesiae, inspecta, venerationis externa signa inferiores semper praestiterint in liturgicis actibus Episcopo, et quibus de causis?*

2. *Quid super singulis in casu expositis, iuxta Caeremonialis Episcoporum Rubricas, censendum et in praxi tenendum?*

3. *Quodnam de iuribus, quibus se frui tenet Episcopus Petrus, iudicium ferendum?*

CONCLUSIONES

Ex dissertatione R. D. H. Benedetti, habita die 5 Febr. 1896; Epitomatore Rmo. D. Ioanne Bapt. Menghini.

I. Nil certi et determinati de usu priorum temporum traditum est. Hoc unum scimus constanter ac universaliter iam ab initio maxima affectos veneratione Episcopos, et genuflexionem, manuum osculum, acclamationes a fidelibus in Episcopos adhibita generatim fuisse. Quod occasionem praestitit gentilibus suspicandi an Christiani adorationis signa praestiterint Episcopis sicut et ipsi Imperatoribus, tamquam Deos illos habentes. Temporis decursu mos invectus et pedem Episcopi deosculandi, quod et in liturgia a Diacono ante Evangelii cantum praestabatur; Gregorius tamen VII actum hunc soli reservavit Summo Pontifici.

Cum ad Caeremoniale Episcoporum redigendum opera data est; quod laudabiliter antecedenter observabatur, praecipue in Ecclesia Romana, determinatum fuit et immutabiliter ac universaliter praeceptum. Antequam praesentis disciplinae venerationis signa in Episcopos enumeremus, adnotare necessarium ducimus Caeremoniale Episcoporum tantum loqui de Episcopis Ordinariis, ideoque plura, quae de honoribus Episcopis praestandis exhibentur, titularibus ac extraneis non convenire, quia nempe nonnulla iurisdictioni referuntur, qua hi postremi haud pollent. Pluribus tamen S. R. Congñis Decretis docemur, quaenam non Ordinariis Episcopis venerationis signa debeantur. Hinc: Ordinarius ius habet sedis cum baldachino, quae dicitur Thronus, extraneus nonnisi faldistorii. Illi fas est genuflexorium adhibere cum panno serico et pulvinis, huic cum pulvinis tantum. Quando Ordinarius solemniter est celebraturus, illi obviam it clerus in Episcopio, per portam principem intrat, circumstantes aspergendo, quae non debentur extraneo. Hoc celebrante, Canonici paramenta non assumunt, sicuti faciunt proprio Episcopo celebrante. Diaconi assistentes soli Ordinario debentur: usus Baculi Pastoralis extraneo non datur, nisi in functionibus, quas iuxta Pontificale Romanum peragit, et quando ab illo praescribitur. Fit ab Ordinario solemnis assistentia ad Missam, in qua Canonici circulos faciunt ante illum ad *Kyrie*, *Gloria* etc., quod vetatur extraneo. Ante Episcopum Ordinarium facienda est ab omnibus non praelatis nec Canonicis Cathedralis genuflexio, quae nullimode extraneo debetur. Ergo «conceduntur Episcopis extraneis illae honorificentiae omnes, quae possunt eis convenire propter eorum dignitatem,

non vero propter iurisdictionem, qua in propriis Dioecesibus fruuntur (Martinucci) ». Quaedam sunt tamen, quae Ordinarius in extranei Episcopi honorem cedere potest, sicuti Thronum cum accessoriis, quod Decreto cohonestatur S. R. Congñis in *Baren.* d. d. 12 Oct. 1889. Archiepiscopo enim petenti permittere posse, alii Episcopo usum Throni in solemnibus functionibus, respondit: « Revm̃us Archiepiscopus Orator, ad tramitem recentiorum Decretorum, utatur in casu iure suo ».

Haec valent dicta pro Ecclesia Latina; Graeca Ecclesia, generatim loquendo, genuflexiones non novit, sed duplex inclinationum genus, profundam nempe et simplicem. Erga Episcopos utitur semper simplici, profunda enim uni Deo reservatur. Exceptionem patitur sectio aliqua eiusdem graeci ritus, in qua genuflexio adhibetur ab assistentibus, aut ad consecrationem, aut ad communionem, seu ad utramque simul. Osculum manus seu anuli commune est Graecis et Latinis.

Causae, ob quas talia erga Episcopum exhibentur, sunt profecto, quia Deum ipsum repraesentant, maxima dignitate pollent, iurisdictionem exercent uti praesides Ecclesiarum.

Notandum denique celebrantem, quicumque sit, numquam genuflectere coram Episcopo, et Episcopum nunquam posse thurificari ab illo genuflexo, haec enim praerogativa est Summi Pontificis.

II. Caeremoniale Episcoporum loquitur de salutationibus Choro debitis, cum canonicus ingreditur inchoato iam officio aut Missa, dicens: « facit reverentiam profundam Altari et Episcopo, deinde salutat Canonicos et alios etc. » Pro aliis non Canonicis profunda reverentia mutanda est in genuflexionem. Idem ex pari-

tate rationis agendum, uti omnes interpretantur, in ultimo egressu e Choro. Ast nec dubitandum similiter faciendum cum quis e Choro discedit non rediturus, sed et non satis explicaretur cur ita agendum non sit, quotiescumque quis ingreditur aut exit, quod confirmatur ex mox dicendis de Acolythis ferentibus funalia. Ex Caeremoniali non modo nulla argumenta deduci possunt pro omittenda reverentia ad Chorum Episcopo praesente, quinimo res omnino se habet, uti mox diximus, sicut eo non praesente; praefatum enim Caeremoniale (*Lib I, c. 18, n. 4*) expresse docet quod Canonicus superveniens inchoato officio « facit reverentiam profundam *Altari et Episcopo* ; deinde salutat *Canonicos et alios* de Choro circumstantes. » Item dum loquitur (*Lib. II, c. 8, n. 68*) de ingressu Acolythorum funalia deferentium, dicto *Sanctus*, vel incepto Canone, ait : « factis *debitis reverentiis* collocant se genuflexi etc. » Hinc cum aliis locis dicit *debitis reverentiis*, intelligi potest de iis tantum ad Altare et Episcopum faciendis; sed hic cum Episcopus conversus sit ad Altare, reverentiae faciendae profecto sunt Altari, sedet cuinam alii nisi Choro circumstanti ? Ergo ex Caeremonialis silentio nullimode concludi potest, quod reverentiae Choro non sint nisi in ingressu et recessu faciendae, exceptis iis quae singulis fiunt ad aliquam actionem peragendam, v. gr. (ex ipso Caerem. *Lib II, c. 1, n. 10*) ad antiphonam praeintonandam Canonico, cui *parcior fiet reverentia*, quam Episcopo. Cf. De Herdt (Caerem. Ep. T. 1, n. 154) cum De Conny *(Lib. I, c. VII)* se exprimit dubitativis verbis : « aliae tamen per decursum Missae et Officii salutationes omittendae videntur. » Ita quoque Martinuccius : « Expressio Cae-

remonialis, l. 1, c. 18, n. 13, *innuere videtur*, quod, quum functionibus intersit Episcopus, nulla ad Chorum facienda sit reverentia aut inclinatio, uti mos est in Pontificia Cappella, quum Summus Pontifex adest. » Observandum tamen primo, allatam duplicem auctoritatem, utpote dubitativam, nihil probare, et communiori praxi opponi : secundo, exemplum Cappellae Papalis passim non esse adducendum. Alii demum distinguere cupiunt: ob reverentiam iurisdictioni Episcopi Dioecesani, abstinendum praedicant; nullimode autem coram Episcopo extraneo : quod profecto gratis videtur assertum.

Episcopus in casu praetendit nullam sibi negandam reverentiam etiam SSmo Sacramento exposito, Decreto cuidam S. R. C. innixus, quod profecto esse debet illud *Archipae* datum die 13 Martii 1700 ad 1^{um} : « In eundo (Celebrans) salutabit, se inclinando profunde Episcopo, deinde genuflectat SSmo, et procedat in Missa. In redeundo genuflectat SSmo, deinde se inclinet Episcopo, etc. » Cui consonat Caeremoniale Episcoporum (*Lib. I, c. ; 12 Lib. II, c. 33*) iubens tantum omittendum manus osculum et obiecti. Cl. De Herdt sic concludit : Exposito igitur SS. Sacramento, omittendae sunt omnes salutationes Chori, et etiam inclinationes et genuflexiones ante Episcopum in accessu, recessu vel transitu, non tamen illae reverentiae quae fiunt v. gr. ad incensationem, ad pacem dandam aut ad aliquid ministrandum, quae potius ritus quam honoris ratione fiunt.

Item Petrus Episcopus vult reverentiam, in accessu et discessu, prius faciendam e parte Chori prouti vel in Throno vel in Faldistorio Episcopus extat,

et non ad commoditatem. Hoc consonum esset iis, quae traduntur a Caeremoniali (*Lib. 1, c. 18, n. 4*): « Canonicus... facit reverentiam profundam Altari et Episcopo, deinde salutat Canonicos etc. »; ergo etiamsi Chorus proximior sit facienti reverentias, non attendendum. Etenim generalis regula quae a Caeremoniali traditur (*ibid. n.* 13) nempe « reverentia fieri debet semper primo ei a quo disceditur, et ultimo ei, ad quem itur, nullo habitu respectu, quis eorum sit maior » quod videtur commoditati potius favere, non loquitur de accessu ad Chorum et discessu, sed de gressu a loco ad locum infra actionem, quod ad casum nostrum non facit. Rem tamen ita componimus: reverentiae moderandae sunt prouti exigit Chori structura, ita ut si, cum quis ingreditur aut egreditur, omnes inveniuntur quasi e fronte, standum sit verbis primo citatis ex Caeremoniali, sin vero Chori structura non sineret nisi inconcinne reverentias eo ordine exequi, ratio habeatur regulae pariter mox citatae.

III. Episcopus Petrus potiusquam regulam tradere Choralibus tenendam, abstinendum nempe ipso praesente a salutationibus Chori, stare ad summum poterat loci consuetudini, non enim certa prorsus norma valet imponi. Quoad reverentias sibi debitas etiam exposito SSmo Sacramento, dicendum communem praxim contrariam esse, et ad summum exigere potuisse reverentiam in accessu et recessu iuxta Decr. *Archipae,* et ceteras ritus proprias. Quoad reverentiarum ordinem bene exigere poterat incipiendum a sua parte, dummodo Chori structura secus non postulaverit.

CAEREMONIALE

PRO MISSA ET VESPERIS PONTIFICALIBUS AD FALDISTORIUM.

Pluribus abhinc annis multorum erat in votis, ut instructio aliqua vulgaretur pro Missa et Vesperis Pontificalibus, quae Episcopi titulares, uti et dioecesani cum in Urbe versantur, ad faldistorium peragunt. Quod sive extra, sive, et maxime, Romae, passim comprobatur. Caeremoniale enim Episcoporum de huiusmodi Pontificalibus vix verba facit, cum peculiariter agat de iis functionibus, quae Episcopos spectant iurisdictione fruentes.

Nonnulli quidem, probatique viri, nunc latino nunc vulgari idiomate eiusmodi argumentum plus minusve accurate pertractarunt ; sed non omnes in omnibus conveniunt. Quinimo, scriptoribus antiquis cum recentibus inter se comparatis, facile patet, seu ex diverso eorum sentiendi modo, seu ratione Decretorum quae S. R. C. hucusque emanavit, illos satis inter se discriminari.

Et propter ipsamet Academia Liturgica Romana nuper exoptavit, ut Caeremoniale ad rem conficeretur, quod certas quasdam normas pro eiusmodi Pontificalibus exhiberet. Quod ut obtineremus, dictum Caeremoniale condi omni ope curavimus. Cuius profecto basim triplicem statuimus, videlicet: 1. Rubricas Caeremonialis Episcoporum, quatenus tamen Episcopis titularibus convenire queant, quippe qui nec iurisdictione gaudent, nec pari eos fas est honore haberi, uti Episcopos dioecesanos. 2. Decreta S. R. Congñis, quae, vel obligationem pariunt, vel etiam simplicem directionem. 3. Laudabiles et probatas Ecclesiarum observanticrum consuetudines.

Nec praetereundum hic arbitramur, non tantum nobis esse desiderium, sed et spem affulgere, ut competens auctoritas praefatum Caeremoniale examinet, iudicet, approbet. Hac spe fun-

dati nulli pepercimus studio, nil diligentiae omisimus, ut opus undequaque perfectum evaderet.

Caeremonialis huiusce partitio, perspicuitatis ergo, sequens est, in qua et Caeremoniale Episcoporum sequuti sumus: I.ma pars agit de Missa, et dispescitur in quatuor capita, quorum 1.um de Presbytero assistente: 2.um de Diacono: 3.um de Subdiacono: 4.um de Episcopo. II.da pars agit de Vesperis, et haec dividitur in tria capita, quorum 1.um tractat de Pluvialistis assistentibus: 2.um de Pluvialistis cantoribus: 3.um de Episcopo.

NOTA. Iuxta Caeremon. Episcoporum (Lib. I, cap. XII, n. 8), « valde opportunum est, ut SSmum. Sacramentum non collocetur in maiori, vel in alio Altari in quo Episcopus solemniter est Missam, seu Vesperas celebraturus; sed in alio sacello, vel loco ornatissimo, cum omni decentia et reverentia ponatur. Quod si in Altari maiori vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo Altari in aliud omnino transferendum est, ne propterea ritus et ordo Caeremoniarum, qui in huiusmodi Missis et Officiis servandus est, turbetur. »

Pars Prima

DE MISSA.

—

MONITUM

In hac brevi Pontificalis Missae ad faldistorium expositione, tum Presbyterum assistentem, tum Diaconum et Subdiaconum, *quoad genuflexiones*, nec Canonicos, nec in aliqua dignitate constitutos supponimus; quod si vel Praelati, vel Canonici essent, tunc genuflexiones omnes, quas praescripsimus, praetermittunt; et earum loco profundam faciunt inclinationem, exceptis iis, quae fiunt a Consecratione usque ad Communionem.

CAPUT I.

De Presbytero assistente in Missa Pontificali ad faldistorium (1).

« Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in divinis et assistunt, et serviunt, primus et dignior est Presbyter assistens, in sacerdotio constitutus atque in sacerdotalibus officiis expertus, ut digne et decenter officium suum exercere valeat, et opportune Episcopo, rem divinam agenti, ministrare possit ».

Presbyter assistens igitur « cotta » (vel si sit Praelatus, rocchetto et mantelletto, si Canonicus et in sua Ecclesia ministret «habitu suo canonicali) indutus », dum Episcopus in sacristia Psalmos: *Quam dilecta etc.* legere incipit, ad eius sinistram stat, capite detecto, et, quando opus est, folia vertit etc. (quin tamen nec nunc nec postea candelam, vulgo *bugiam*, sustineat). Praeparatione Missae ab Episcopo absoluta, ad Magistri caeremoniarum nutum, facta reverentia Imagini praecipuae sacristiae, ad cuius portam porrigit aquam benedictam Episcopo, semper ad sinistram eius et capite detecto, in manibus gestans biretum ad Altare, ubi Missa celebranda erit, se confert. Ad quod cum pervenit, genuflexione facta *in plano*, una cum Episcopo breviter orat genuflexus, paulisper post illum; surgente Episcopo et ipse surgit, et repetita genuflexione in infimo gradu ad Crucem, Episcopum comitatur ad faldistorium (2), et in partem se retrahens, « la-

---

(1) Verba quae inter virgulas « » ponimus, sunt deprompta ex Caeremoniali Episcoporum.

(2) Si in Ecclesia aliqua laudabilis vigeat consuetudo, ut Episcopus praeparationem et gratiarum actionem ad Altare peragat, Presbyter assistens hoc modo se geret: cum Episcopum ad faldistorium comitatus fuerit, ad eius sinistram se sistit, inter Subdiaconum scilicet, et ministrum de candela, et assistit Episcopo legenti Psalmos *Quam dilecta* cum aliis sequentibus, eique alternatim respondet una cum Diacono et Subdiacono. Ad *Kyrie*, cum Episcopus se vertit ad Altare cum ministris, tunc ipse inter Diaconum et ministrum de libro, ut mox dicemus ad Introitum, se collocat, et Episcopo assi-

vante Episcopo manus porrigit ei mantile ad tergendum », eoque recepto, in scamno, de quo mox dicemus, operto capite sedet, dum Episcopus paramenta capit. Cum Episcopus dalmaticam accipit, ipse « induet se amictu super rocchetto aut cotta, et super eo pluviali. Episcopo, omnibus sacris paramentis induto, ac sedente, imponet annulum pontificalem in digitum annularem dexterae manus, illius annulo et manu prius deosculatis ». Quo facto, se sistit ad eius dexteram, et cum eo et aliis ministris ad Altare procedit, debitis factis Cruci et choro (si adsit) reverentiis, quae semper fiunt primo « ei a quo disceditur et ultimo ei, ad quem itur, nullo habito respectu quis eorum sit maior » « et cum Episcopus ante infimum gradum Altaris incipit confessionem, ipse, ad eius dexteram stans, respondebit simul cum Diacono stante a sinistris; et dum dicet in confessione *Tibi, Pater*, et *Te, Pater*, profunde versus Episcopum caput inclinabit ». Finita confessione, dum Episcopus Altaris gradus ascendit, locum cum Diacono permutat, scilicet, ad sinistram Episcopi accedit et « dum Subdiaconus in cornu Evangelii porrigit librum Evangeliorum osculandum Episcopo, ipse adiuvat manum ad librum apponendo » deinde retrahit se in plano in cornu Epistolae et, postquam Diaconus Episcopum thurificavit, ipse, ante faldistorium accedens, una cum aliis ministris, cum quibus reverentiam Episcopo facit ante et post quam Diaconus ei mitram abstulerit. Episcopo legenti Introitum ad dexteram assistit (scilicet inter Diaconum et ministrum de libro), et cum Diacono et Subdiacono re-

---

stit dum Preces persolvit. Quibus peractis, denuo Episcopo in faldistorio sedente, ipse in partem se trahit, ut ad lotionem manuum praesto sit. Idem servetur in gratiarum actione.

In Ecclesiis autem ubi adest Capitulum, Episcopus in sacristia praeparationem Missae et gratiarum actionem persolvat, ac sacra paramenta capiat et deponat. Hoc in casu Presbyter assistens assumat amictum et pluviale in eadem sacristia, dum Episcopus dalmatica induitur. Accedit ad Altare ad dexteram Episcopi, qui ad sinistram habet Diaconum, praecedente Subdiacono. Eiusdem ordinem servabit in reditu.

spondit ad *Kyrie eleison.* « Sedente Episcopo » (si prolixitas cantus id postulet) « tunc ipse sedebit in aliquo scamno prope Altare, versus cornu Epistolae, simul cum Diacono et Subdiacono, ad sinistram Episcopi, » capite operto (1). Circa finem *Kyrie eleison* surgit et, incedens post Diaconum, ad eius dexteram ante Episcopum accedit, et statim, facta ei reverentia, a Diacono mitra sublata, et repetita cum aliis ministris reverentia, post faldistorium se sistit, terga vertens Altari et « sustinet librum supra caput, cum ex eo Episcopus erit cantaturus : *Gloria in excelsis Deo* ». Quod « regulariter » facere debet « quoties Episcopus aliquid alta voce cantat.... secus quando Episcopus submissa voce legit ». Dicto autem per Episcopum *Deo,* relinquit librum in manus ministri, qui de illo servit, et cum Episcopo et aliis ministris praefatum hymnum « submissa voce prosequitur », stans ut ad introitum. Episcopo sedente cum mitra, postquam illi ad dexteram Diaconi se inclinaverit, pergit ante eum ad sedendum, ut supra ad *Kyrie* dictum est. Advertat autem ut caput discooperiat ad verba : *Adoramus Te, Gratias agimus Tibi, Iesu Christe, Suscipe deprecationem nostram, Iesu Christe.* Circa finem hymni ante Episcopum accedit una cum aliis ministris, ut supra ad *Kyrie,* et facta reverentia Episcopo, sustinet, uti diximus, librum supra caput, dum iste orationes cantat. Quibus absolutis, sedente Episcopo, et ipse, ut supra, sedit cum Diacono, dum Subdiaconus cantat Epistolam, et si forte in hac nominarentur : *Iesus, Maria,* vel *Sanctus de quo festum agitur,* caput detegit. Finita Epistola surgit, et, deosculata per Subdiaconum manu Episcopi, ad eius

(1) Notandum est quod scamnum ad sacrorum ministrorum sessionem ita in cornu Epistolae collocetur, ut Presbyter assistens sedens in primo loco, scilicet versus Altare, sit propius ad sinistram Episcopi habens ad suam sinistram Diaconum et Subdiaconum ; et sic commodius ministri sacri eodem ordine ante Episcopum suo tempore accedent. Quod si omnino retro faldistorium positum inveniatur, adhuc Presbyter assistens in primo loco, scilicet ad dexteram Diaconi, sedebit, ob eamdem, quam supra diximus, rationem.

sinistram stat, eidem, manibus iunctis, assistens ac respondens quando opus est, dum iste legit *Epistolam, Munda cor meum* et *Evangelium*, in cuius initio se signat in fronte, ore et pectore. Absoluta Evangelii ab Episcopo lectione, ibidem expectat donec inchoetur per Diaconum Evangelii cantus, et tunc una cum Episcopo vertit se ad Diaconum, solitis reverentiis servatis versus Altare aut librum, quando opus erit. Thurificato a Diacono Episcopo, sustinet, ut supra, librum, dum is cantat: *Credo in unum Deum*; quibus verbis prolatis, relicto libro, ut diximus, prosequitur cum aliis Symbolum, una cum Episcopo caput inclinans, quando oportet, et genuflectens ad: *Et incarnatus est etc.* Iterum, sedente Episcopo, cum aliis ad sedendum pergit, ut ad *Gloria*, caput discooperiens ad verba: *Iesum Christum; Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est; Simul adoratur.* Quando Diaconus surgit bursam corporalium ad Altare delaturus, et ipse, detecto capite, surgit, et, resalutato Diacono, sedet, iterum surgens cum Diaconus redit, cum quo denuo sedet. Sub Symboli fine ad Episcopum cum aliis ministris accedit, ut supra ad *Gloria*, et sustinet librum quando Episcopus cantat *Oremus*; et statim, tradito libro ministro, assistit ad lectionem Offertorii, ut ad Introitum. Ad manuum lotionem, praebet Episcopo mantile, quo recepto, eidem Episcopo annulo cum osculis imposito, accipit canonem, missale cum pulvino (si hoc non utatur, sed legili, tunc istud, iam prope Altare paratum, super eo ponetur) et comitantibus ministris de libro et de candela, prius reverentia ad chorum in parte Epistolae, postea ad Episcopum, ultimo vero ad chorum in parte Evangelii facta, ea (pluviali haud cooperta) ad Altare defert in infimo gradu genuflectens; collocat canonem in medio, missale, « supposito pulvino » (vel legili). « in cornu Evangelii, aperta eo loco, in quo continentur ea, quae Celebrans est lecturus, ibique, extra dictum cornu, expectat Celebrantem », quem gradus Altaris ascendentem adiuvat, et, cum erit apud Altare, ac-

curate et opportune demonstrabit Episcopo omnia et singula quae ex libro erunt legenda ea digito indicando;» quin tamen, ut iam dictum est, *candelam* sustineat. « Dum autem Episcopus oblata et Altare thurificabit, ipse sumpto libro missali cum pulvino, retrahit se extra cornu Evangelii, ne thurificationem impediat, et finita thurificatione Altaris, reponet librum cum pulvino super eo », et accedens ad cornu Epistolae porrigit Episcopo mappulam ad lotionem pro tergendis manibus, et statim ad missale redit, ex quo ostendit «quae successive erunt dicenda ». Vertit se, manibus iunctis, ad Diaconum quando iste eum thurificaturus est. Cum Episcopus conclusionem ultimae Secretae dicit, Presbyter assistens canonem super pulvino ponit loco missalis (quod clausum vel relinquit super Altare in cornu Evangelii, vel melius per aliquem ministrum in congruo loco ponitur). Indicat *Praefationem* Episcopo « ac dicet simul cum eo *Sanctus etc.* nec genuflectet, nisi cum elevatur Sacramentum. Dicit *Agnus Dei etc.* cum Episcopo celebrante et Diacono; quo dicto », facta genuflexione cum Diacono, « locum permutat cum *eo*; ipse enim accedit ad dexterum, Diaconus vero ad sinistrum latus Episcopi, cui relinquit curam libri. Ipse vero Presbyter assistens », dum Episcopus dicit orationem: *Domine Iesu Christe, qui dixisti etc.* a dextris genuflexus expectat pacem. Deinde « surgit, osculando Altare » (extra corporale et manibus iunctis) « simul cum Celebrante, qui dat ei pacem dicens: *Pax tecum*, cui ipse respondet: *Et cum spiritu tuo*. Et iterum ante Sacramentum genuflectens » (simul cum Diacono a sinistris Episcopi) « et statim surgens recedit cum caeremoniario ad pacem dandam in choro » iuxta laudabilem locorum consuetudinem. « Dum autem eundo et redeundo ad chorum transit ante Altare, servabit debitas genuflexiones prout ei a Caeremoniario monstrabitur ». Reversus ad Altare et facta in medio retro Subdiaconum genuflexione « dat » pacem « Caeremoniario, qui eum duxit », et redit ad sinistram Episcopi genuflectens cum

Diacono, qui mox ad dexteram Episcopi accessit (1). Dum Episcopus accipit purificationem, reponit in medio Altaris canonem, et missale super pulvino apertum ad *Communio*; cum autem Episcopus ablutionem sumit, «transfert librum a cornu Evangelii ad cornu Epistolae» in medio genuflectendo, « et adiuvat ad lotionem manuum Episcopi, ut alias. Deinde redit ad librum ostendens Episcopo cetera, quae supersunt». Dicto a Diacono: *Ite Missa est*, statim in medio genuflectens accedit in cornu Evangelii, illuc transferens missale, si opus erit, secus manibus iunctis, et locato missali super Altare retrahit se extra suppedaneum, ubi genuflexus, (vel, si in ecclesiastica dignitate constitutus, stans inclinatus) accipit benedictionem. Deinde surgit et assistit manibus iunctis ad lectionem Evangelii, inter Episcopum et Subdiaconum, qui sustinet librum, respondet quando opus est, et genuflectit adiuvans Episcopum ad verba: *Et Verbum caro factum est* in Evangelio S. Ioannis, vel ad alia in aliis Evangeliis verba, in quibus genuflexio praescribitur. Lecto Evangelio, et mitra Episcopo a Diacono imposita, accedit ad dexteram Episcopi (scilicet locum permutat cum Diacono, qui ad dexteram Subdiaconi accedit) et facta Cruci inclinatione, descendit in planum adiuvans Episcopum; in infimo gradu genuflectit cum aliis ministris, et, salutato choro, comitatur Episcopum ad faldistorium eique ad dexteram Diaconi caput inclinat, et ad scamnum deponit pluviale, et amictum, (resumit habitum sibi proprium, si quo utatur) et sedet dum Episcopus deponit paramenta. Ad sinistram Episcopi, biretum in manibus gestans, ante Altare genuflectit et breviter cum eo orat, ut in principio; deinde, surgente Episcopo, surgit, et facta in *plano* ge-

(1) Si autem non adesset chorus, tunc accepta pace et repetita genuflexione cum Diacono qui est a sinistris Episcopi, statim redit ad librum, ubi rursus genuflectit cum eodem Diacono, qui a dextris Celebrantis pervenit, antequam pacem accipiat.

nuflexione, semper ad sinistram Episcopi, redit ad sacristiam, ubi Episcopo legenti *Psalmos pro gratiarum actione* assistit, manibus iunctis, ut supra de praeparatione Missae dictum est.

(Continuabitur.)

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Galliis*. **De festo impedito in illius die octava celebrando.** Die 23 Aprilis occurrit S. Georgius Patronus, cuius festum celebrari nequit, et officium transfertur. Prima vero dies pro eo reponendo libera est 30 Aprilis, hoc est dies illius octava. Quaeritur : 1. Num ius habeat S. Georgius, ut dicta die 30 cum officio recolatur sub eodem ritu illius festi proprio? 2. In 2. Vesp. diei 25 Aprilis incipit ne dictum festum habere commemorationem, quae antea impedita fuit?

Resp. 1. Affirmative. 1. Quia plura Decreta id iuris concedunt festis octavam habentibus, hoc est : festum octavam habens per accidens impeditum, tam in die sua, quam in omnibus diebus infra octavam, reponendum est in die sua octava, translato etiam quocunque alio festo, saltem inferioris ritus, si eadem die occurrat. Haec Decreta omittimus referre, sed indubia sunt, novoque iure ulterius confirmata : ut proinde affirmativa responsio sit omnino certa. 2. Rectus etiam id liturgicus sensus dictat, namque omnes dies infra octavam, et a fortiori dies octava, quae festi diei perfectionem ultimam constituit, sicuti dies una computari possunt;

unde idem de iure iteratur officium, nisi potiori festo impediatur. Dies ergo octava cum sit libera, merito censeri potest et debet tanquam propria illius festi, quod die anteriori occurrit, et impeditum fuit.

Resp. 2. Negative. Commemoratio nonnisi de festo esse potest, quod cum officio celebratum fuit. Atqui officium fuit impeditum, ut translatum fuerit in aliam diem; ergo nulla com. fieri debet, nisi post celebratum officium: quae in casu ne admitti quidem potest, cum officium celebretur in die octava.

II. *Ex Etruria.* **De quibusdam dubiis super communione Ordinandorum.** In communione quae fit ab Episcopo in Sacra Ordinatione tria occurrunt. Communicandi enim sunt Neopresbyteri, Diaconi et Subdiaconi et in Minoribus Ordinati. Quoad communionem Neopresbyterorum, an Episcopus debeat proferre verba illa: *Corpus Domini* etc. pertractata fuit abunde quaestio in Ephemeridibus Liturgicis Anno II (1888), pag. 15 et nulla amplius superest difficultas. De formula adhibenda: *Corpus..... custodiat te* etc. in communione eorum, qui ad Ordines Minores promoti sunt, pariter tractatum fuit in iisdem Ephemerid. Liturg. Anno V (1891), pag. 57, IX. Superest nunc enodanda tertia Quaestio circa communionem eorum, qui in Sacris ordinati sunt. Iuxta Rubricam Pontificalis, dicto ab istis *Confiteor* etc. Episcopus convertetur ad eos, dicet : *Misereatur vestri.....* et *Indulgentiam* etc. sed non praemittet Communioni *Ecce Agnus Dei...* neque *Domine non sum dignus.....* cum in hac re, ait clariss. Martinucci, sit explicita Rubrica. Sed in Rubrica, quae habetur in *Appendice* Pontificalis, etiam in Editione typica aperte dicitur, quod Pontifex, post *Misereatur* et *In-*

dulgentiam, Hostiam accipit... et conversus ad Ordinatum... dicit: *Ecce Agnus Dei..*, mox ter subiungit: *Domine, non sum dignus*. Haec secunda Rubrica magis explicita est, quam illa Pontificalis. In praxi quaenam Rubrica sequenda?

Resp. Non dubitandum, Appendicem additam Corpori Pontificalis Romani sua auctoritate pollere. Etenim in Editione typica Ratisbonae cusa, ante dictam Appendicem, legimus: « Haec Appendix in Editione Benedicti XIV, anno 1752, Romae publicata, non invenitur; extat tamen maxima ex parte in Editione Rev. Camerae Apostolicae, anno 1848 excusa, et complectitur ritus praestantiores Ritualis Romani etiam ab Episcopis perficiendos, ritus Confirmationis et *Ordinationis* uni conferendae etc. etc. Ultima autem verba sequentia sunt: « ... gratum autem et commodum S. R. C. fecit, dum praesentem Appendicem in lucem profert. » Hinc patet auctoritas, qua pollet praefata Appendix. Hisce haud obstantibus, indubium est, Rubricas Appendicis easdem esse debere ac Corporis Pontificalis, saltem substantialiter, accidentaliter tamen mutatae iure sunt, quia peculiaribus locorum aut personarum adiunctis aptandae erant. Quid autem si aliqua probetur incohaerentia inter has Appendicis et alias Rubricas Pontificalis Romani? Appendici ne adhaerendum an potius Corpori Pontificalis? Hoc indubie tenendum, Appendice neglecta; severius enim loquendo, Pontificale ius liturgicum constituit, haud vero Appendix, quippe quae tantum pro commoditate Episcoporum efformata est. Iam nunc Rubrica Pontificalis de formula *Ecce Agnus Dei etc*. altum silentium servat in casu Communionis Ordinatorum in Sacris.

Appendix eam expresse habet in Ordinatione Subdiaconi. Quid ergo censendum? Dictam duplicem formulam, seu *Agnus Dei* et *Domine non sum dignus*, esse omittenda.

III. *E Senogallia.* **De Rubricae mutatione circa semiduplicia quaedam concurrentia.** Si semiduplicia infra octavam, non solum cedere debent semiduplicibus Sanctorum in occursu, sed etiam in concursu (*Ephem.* Vol. X, 573), quomodo explicari potest Rubrica Tit. XI, n. 6?

Resp. Rubrica ista agit de concursu inter semiduplex infra octavam et semiduplex alicuius Sancti; et edicit, diem infra octavam concurrentem cum sequenti semiduplici, debere dimidias Vesperas habere, ut a capitulo faciendum sit de sequenti. Indubium est autem Ephemerides docuisse, diem infra octavam concurrentem cum sequenti semiduplici, huic integras cedere debere Vesperas (*loc. sup. cit*): quid ergo? Sed Ephemerides, ut assertum probarent suum citarunt Decretum d. d. 21 Febr. 1896, quod « Dubia » inscribitur (*V. Ephem. 1896, pag. 133*). Hoc autem declarat: « Dies infra octavam quamcumque tamquam secundarios habendos esse et cedere cuicumque semiduplici concurrenti. » Porro Ephemerides ex eo intulerunt: ergo dies infra octavam cedere debet cuicumque semiduplici concurrenti: quare? Quia Decretum Gen. super festis primariis et secundariis, quod iuxta aliud Decretum duplicibus etiam minoribus et semiduplicibus applicandum est, iubet: *Festa primaria, utpote solemniora*, aliis secundariis in casu praeferenda esse, tam in occursu, quam in concursu (V. *Ephem. 1893, pag. 169.*). Atqui dies infra octavam semper uti secun-

darii sunt habendi, quod asseri nequit de semiduplicibus Sanctorum; ergo. Dices quidem, haec semiduplicia Sanctorum esse posse etiam secundaria, uti accidit de Inventione S. Stephani, die 3 Augusti, in ipso Calendario universali ; sed hoc nihil refert, quia spiritus novi iuris satis abunde ex Decretis dignoscitur, vi quorum ipsa semiduplicia Sanctorum secundaria etiam in concursu praeferenda sunt diebus infra octavam. Sane, Rubrica citata iam amplius observari nequit, utpote Decretis, uti sonat, contraria, quod attinet saltem semidupliaia primaria. Decretum alterum habetur, nempe *Congreg. Presbyteror. SS. Sacramenti*, d. d. 30 Nov. 1895 ad 2, quod declarat, concurrente festo aliquo semiduplici secundario cum officio aliquo votivo eiusdem ritus, *totum de festo cum commemoratione officii votivi* faciendum esse. Vides ergo, inter duo officia secundaria ritus semiduplicis concurrentia, praelationem dari officio de festo ; et nota, ipsam dignitatem in votivo officio negligendam esse, uti ex dubii praefati expositione patet. His positis, quae discussioni obnoxia esse non possunt, quomodo dies infra aliquam octavam praeferri potest in concursu festo semiduplici, vel aequalis reputari, ut Vesperas dividat? Qua namque de causa id fieret? Non ratione dignitatis, quae negligenda est: non ratione primarii, quia semper uti secundarius habendus. Manet casus, in quo utrumque officium supponatur secundarium ; sed officium de infra octavam, iam satis depressum, nonnisi repetitio est, et aliud de festo semel agitur. Ratio autem repetitionis fuit, ex qua, diem infra octavam uti secundarium semper esse considerandum statutum sit, quamvis agatur de festo primario: haec autem ratio vi sua

non destituitur, quamvis concurrat cum semiduplici secundario.

Ea propter, cum Rubrica amplius servari nec possit nec debeat, consequens Ephemerides intulerunt, concluseruntque, non solum in occursu, sed etiam in concursu, quodcumque semiduplex de Sancto praeferendum esse semiduplici de die infra octavam. Ceterum Rubricam praedictam, quemadmodum alias, quae iuxta recentiora Decreta mutationem postulant, quamprimum competens auctoritas reformatura est.

IV. *Ex Hollandia*. **De conformitate Missae cum officio in Collegiis, quorum Professores sunt regulares.** Iuxta quod Calendarium dici debet Missa, quae celebratur in Collegiis, quorum Professores sunt omnes eiusdem Ordinis reguralis? An iuxta Colendarium illorum proprium, an Dioecesis, in qua fundata sunt Collegia?

Resp. Collegia, uti et Seminaria, in quibus omnes Professores sunt alicuius Ordinis Regularis, ad ipsum Ordinem, vel de iure vel de facto saltem, aliquo modo semper pertinere dicenda sunt. De iure pertinent, si Regulares de se illa erexerint, praevio ut par est, Dioecesani consensu, vel donata habuerint: ita ut vere eorum propria iure merito appellari debeant et sint. Hoc in casu Regulares proprium calendarium habentes uti possunt et debent iure suo, ut Missam proprio calendario conformare teneantur, quacumque in Dioecesi dicta Collegia vel Seminaria reperiantur. De facto pertinet si Collegium vel Seminarium Episcopi loci sit proprium, Ordini tamen regulari illud Episcopus commiserit, ut eiusdem Ordinis Sacerdotes dirigant, in eo doceant, illudque gubernent. Subiecti namque certo dicti Regulares esse debent quoad directionem et do-

ctrinam tradendam Dioecesano; sed quod calendarium attinet eidem minime subiciuntur, cum propria iura possideant, a quibus exercendis nequeunt ab Episcopo exturbari, sicut exturbari non debent circa proprias servandas regulas.

Dictum proinde Collegium vel Seminarium in casu, quamvis Episcopi dioecesani esset de iure, de facto idem est ac si ad praefatum Ordinem pertineret, quamvis ab eodem Episcopo in pluribus dependeat. Ergo etiam hoc in casu dicti Professores calendario Ordinis proprii Missam conformen facient.

Sed oppones Decretum in *Ruthenen*. d. d. 22 Maii 1896 (*V. Ephem. 1896, pag. 362*), quo edicitur, Missam in Cappella principali Seminariorum et Collegiorum conformem esse debere calendario loci. Respondemus sub distinctione: Si agatur de Seminariis et Collegiis, quae a regulari Communitate non diriguntur, concedimus: secus, negamus. Similis nobis huiusmodi quaestio videtur alteri circa Missae conformitatem cum officio in Ecclesia, quae regulari Communitati commissa est, quamvis dicta Ecclesia stricte loquendo non sit eiusdem Communitatis propria. Namque de facto Ecclesia tali Communitati concredita est, non individuo alicui etsi Regulari, ut dirigatur, gubernetur, et omnes in illa relativae functiones exerceantur: adeo ut nemo, Dioecesano excepto, ius aliquod in illa exercere valeat. Iam nunc Communitas eam Ecclesiam uti propriam de facto possidet, et Missas omnes conformare tenetur calendario proprio, quia hoc eo ipso evadit proprium Ecclesiae. A pari in casu de Collegii vel Seminarii Cappella principali, quae quod Missae conformitatem cum officio attinet tamquam publica cen-

setur. Ea pertinet indubie ad locum, locus de facto pertinet ad Communitatem, haec ius habet sequendi suum calendarium tam in officio, quam in Missa, quae illi debet esse conformis; ergo, sicut Ecclesia, de qua supra, ad proprium calendarium tenetur, loci neglecto: ita Cappella principalis Seminariorum et Collegiorum, Communitati regulari commissorum, ad calendarium communitatis tenetur, non ad calendarium Dioecesis, in qua sunt illa instituta.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Portu Divite.* Per recentius Decretum d. d. 30 Iun. 1896, quo edicitur in Missis defunctorum quotidianis, sive cantatis sive lectis, plures esse dicendas Orationes, revocata censenda sunt Decreta antiquiora, quae dicebant quamcumque Missam solemnem vel etiam cantatam, esse dicendam cum unica Oratione. Hoc adeo certum est, ut praefata Decreta expuncta sint a nova Collectione Decretorum.

II. *Pro eod. loco.* Cl. De Herdt sequentia ad rem habet: ..... Si in Ecclesia non adsit ordinum divisio, diebus solemnioribus (*Canonicus poenitentiarius*) inservire tenetur pro Diacono et Subdiacono, nisi actu fidelium confessiones excipiat: si autem habeatur ordinum divisio in sacerdotalem, diaconalem et subdiaconalem, cogi non potest ad inserviendum missis cantatis pro Diacono et Subdiacono, constitutione Ecclesiae aut consuetudine non obstante (*Prax. Capit. cap. IX, n. VII*).

III. *Pro eod. loco.* Festa impedientia funebrem sonitum aeris campani sunt duplicia I. cl. solemniora tam universalis Ecclesiae, dummodo cum feriatione recolantur (1), quam etiam Ecclesiarum particularium, etsi sine feriatione: reliqua festa dictum sonitum permittunt. Si ergo festa Missam exequialem permittunt, sonitus prohibitus dici nequit: si illam prohibent, nec sonitus permissus dici potest. Hoc sensu, uti clare manifestum est, Ephemerides loco citato ab adm. Rev. consulente locutae sunt, et recte, quantum videmus.

IV. *Pro Senogallia.* Solutioni alias datae ab Ephemedibus (*1896, pag. 618, Dub. XIII*) opponitur: 1. Auctoritas A Carpo docentis, *Gloria* omitti in vigiliis, quia adhibentur paramenta violacea; omittendum esse autem *Gloria* in vigilia Conceptionis constat ex Rubrica speciali; 2. Rubrica Gen. assignans colorem violaceum *in officio de tempore a prima Dom. adventus usque ad vigiliam Nativitatis Domini*, ergo et in vigilia Conceptionis. Sed contra est Rubrica Gen. illic citata dicens: In Missis *vigiliarum. quae ieiunantur... genuflectunt omnes etc.* atqui vigilia Conceptionis non ieiunatur; ergo in ea non genuflectitur. Praeterea, vigilia *per se* non habet rationem moestitiae, sed tantum praeparationis ad solemne festum, moestitia autem ei coniungitur ratione ieiunii. Atqui vigilia Conceptionis non fert ieiunium, proinde neque paramenta violacea, quae moestitiae sunt indicium; nec proinde in ea genuflectendum est, ut in vigiliis, quae ieiunan-

(1) De ultimo triduo maioris hebdomadae silemus, cum nihilominus officium totum exequiale defunctorum prohibeant, ex alia tamen lege, uti patet.

tur et ideo colorem violaceum exigunt. Hinc ad auctoritatem A Carpo respondemus haud esse verum, ideo *Gloria* omitti, quia paramenta violacea adhibentur. Namque Missae votivae fere omnes non habent *Gloria* et tamen paramenta ferunt non violacea, uti Missa de Trinitate, de Spiritu Sancto, de Sacramento, pro Sponsis etc. Hinc paramenta violacea excludere *Gloria*, verum semper est; sed exclusio *Gloria* secum ferre semper paramenta violacea falsum est: consequenter ideo in hac vigilia *Gloria* excludi, quia paramenta violacea adhibenda sunt, negari potest, vel certe demostrandum est. Ad aliud allatum momentum respondemus, vigiliam non pertinere semper ad tempus, liturgice loquendo, sed participem esse naturae festi ad quod dicit praeparationem; hinc ex eo quod a prima Dominica adventus ad vigiliam Nativitatis adhiberi debeat color violaceus, non sequitur hunc esse quoque adhibendum in vigilia Conceptionis : quinimmo magis album convenire arbitramur. Haec quidem, uti iam in alterius Dubii solutione, salvo meliori iudicio.

V. *Pro eod. loco.* Lectiones antiquas II Nocturni in festo Ss. Ursulae et Sociarum Mart. esse mutandas novasque assumendas, quae in typica editione prostant, ab omnibus qui illarum officium ex indulto recitant, certum est, uti ex monito in Ephemeridibus vulgato constat; illud enim inseruimus, quia S. R. Cogñis Substitutus bo: me: Ioannes Ponzi, sic voluit. Sed hoc fortasse factum est ratione historiae, in qua aliquid reformari vel in meliorem formam redigi potuit. Quod vero attinet lectiones III Nocturni eiusmodi ratio vim non habet : ceterum, si placeat illas obtinere a S. R. Congñe, nullius negotii res est.

VI. *Pro eod. loco.* Ecclesia N. subsistit adhuc, licet instauretur et parochus in alia functiones suas exerceat, imo Ecclesiae quae instauratur parochus est. Eapropter arbitramur Titularis dictae Ecclesiae officium non esse omittendum, ad quod ille ius habet, et eius Ecclesiae sumptibus parochus vivit. Unum proinde faciendum, et alterum non relinquendum.

VII. *Pro Baiona.* Unus quidem est Ordo Romanus pro officio et Missa celebrandis, sed duplex editio: altera simplicior pro solo clero romano saeculari inservit, altera complexa redigitur pro omni clero saeculari, regulari, tam intra quam extra degenti, qui dicto *Ordo Romanus* utitur.

VIII. *Pro eod. loco.* S. Alphonsus recolendus prima die libera, quae esse potest ipsa dies octava Transfigurationis Domini (*13 Aug.*) pro iis qui ad dicti festi octavam non tenentur. Inferes, variationes in calendariis particularium Ecclesiarum, licet hae Calendarium cleri romani sequi teneantur, vitari plus minusve nequeunt; quia omnes dictae Ecclesiae celebrare debent cum octava festum Titularis propriae Ecclesiae, Patroni praecipui loci, et Dedicationis. Hinc discrimina inter Calendarium proprium et cleri romani, sicut inevitabilia, ita toleranda sunt.

IX. *Pro eod. loco.* S. Franciscus Salesius ius habet, ut die 20 Februarii recolatur ut in die assignata, et S. Cyrillo Alexandriae alia dies est assignanda, si dies propria (*9 Febr.*) est impedita; quia, cum uterque Sanctus paris sit iuris, qui prior est tempore, potior est iure.

X. *Pro eod. loco.* Regulares extra domicilium ordinarium, rusticandi causa, commorantes non dispensantur

a proprio calendario sequendo in recolendis officiis, ut proinde ad Dedicationem teneantur nec plus nec minus quam alii, qui in ordinarii domicilii loco habitant.

XI. *Pro Aretio in Thuscia.* Rubricula, quae prostat in tabellis pro precibus post Missam recitandis, a Leone Pp. XIII imperatis, a legitima auctoritate provenit; et si aliquantulum ab antiquiori mutata est, nihil interest. Dictae autem preces in Missis conventualibus, licet lectis, omitti indubie possunt, iuxta Decretum pro PP. Capuccinis editum sub d. 17 Dec. 1888 ad VII. Quod vero Collectas attinet, hae pariter in dictis Missis, licet non cantatis, omitti possunt iuxta idem Decretum, in duplicibus tam I, quam II classis; quia considerari eae queunt uti cantatae, cum sint conventuales. Sed in duplicibus maioribus, minoribus, semiduplicibus etc. omitti non debeant, saltem quando de una tantum Missa conventuali quotidiana agitur.

XII. *Pro eod. loco.* Pro religiosis Familiis, vota nuncupent solemnia vel simplicia, Ordinarius, cui ius inest approbandi festa iuxta Rubricas translata, est Praepositus Generalis.

XIII. *Pro Hollandia.* Decretum *Montis Politiani* declarat (*10 Ian. 1852 ad 3*), Offertorium et Postcommunionem *dici posse submissa voce* (quando adsunt organa), *sed non omitti.* Idem edicitur per Decretum recentius, quod ad aliud antiquius amandat. Idem quoque servandum pro responsione *Deo gratias* ad *Ite Missa est*, dubitare a fortiori non licet; agitur enim de responso sine quo mutila quodammodo remanent praefata verba.

XIV. *Pro eod. loco.* Lex de Symbolo alterna-

tim canendo in Missa solemni vel cantata non est perspicua, sed dicit tantum, illud *non esse alternandum cum organo*. Ita Caeremoniale Episc. Lib. I, cap. XXVIII, n. 10. Hinc melius quidem credimus illud alternare; sed qui aliter faciunt non possunt redargui.

XV. *Pro eod. loco.* Lex de festo Expectationis partus non transferendo post Nativitatem non novimus, quamvis satis congrue die 18 Dec. ut recolatur sit statutum, praecedere enim suapte natura debet Nativitatem. Die vero 30 dicti mensis reponi, si impeditum, potest, dummodo eo die non sit agendum de Dominica.

XVI. *Pro Rossia.* Haec excerpimus a cl. Marc. ex doctrina S. Doctoris Alphonsi: « Ecclesia.... polluitur per sepulturam... infidelis, seu non Baptizati. Excipe probabilius, si sit catechumenus, quia non censetur infidelis propter baptismum flaminis: item si infans in mortuae matris utero inclusus et non Baptizatus. Secus vero, si in lucem editus sine Baptismo mortuus sit; tunc enim polluitur Ecclesia vel coemeterium ex eius sepultura. Ita ex Decreto S. C. Immunitatis, 18 Aug. 1821 (*Pars III, Tract. IV, Diss. II*) ».

XVII. *Pro eod. loco.* In Ordinatione, occasione occurrentis festi novem lectionum, in quibus debent in cathedralibus cantari duae Misae, potest per Canonicos cantari illa de festo, per Archiepiscopum vel Episcopum facientem Ordinationem cantari, *vel saltem celebrari* altera de feria in paramentis violaceis. Ita ad literam Decretum in Cusentina, d. d. 10 Iul. 1677 ad 4. Quod autem de Missa Ordinationis dicitur, eodem iure videtur esse dicendum de Missa, quae festo

occurrenti respondit: ut si Missa Ordinationis canatur, altera de festo legi per Canonicos possit.

XVIII. *Pro Parisiis*. In Matutinis solemnibus pluviale ab officium faciente assumitur iuxta Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II, cap. 6, n. 15*) ad IX lectionem. Ergo, ab initio, concludit De Herdt (*Prax Pontif. loc. cit. n. 1, lit. c*), non debet sumi: et recte. Nihilominus laudabilis consuetudo appellari potest illa, vi cuius ab initio pluviale sumitur, non enim Rubricae contradicit, sed praeter illam est; hinc cl. Merati hanc consuetudinem appellat laudabilem (*Sect.* 10, *cap. 3, n. 1, et 2*). Idem dicas de acolythis, qui candelabra accipiunt a principio 7^mae^ lectionis. Hae sunt consuetudines, quae, cum sint praeter Caeremonialis Rubricas, servari possunt, iuxta plura Decreta: ut capitulum Vaticanae Basilicae propter hoc notari censura non debeat.

XIX. *Pro eod. loco.* Ut Commemoratio Omn. Ss. Summorum Pontificum celebrari possit in una ex Dominicis liberis post festum Ss. Petri et Pauli, privilegium est. Hinc credimus, omnibus Dominicis impeditis, posse a fortiori in primam diem liberam post dictum festum celebrari secundum ius commune.

XX. *Pro eod. loco.* Non tolerandum iure credimus, Moniales, esto in Ecclesia propria, deferre hastas Baldachini in processione Sacramenti, imo uti abusum eliminandum: ratio abunde patet.

XXI. *Pro Africa.* Litanias ita dispositas ut duae, tres, vel etiam quatuor invocationes concinantur, ac dein semel addatur *ora pro nobis*, vel pluries repetatur *ora*, et ultimo tantum loco dicatur *pro nobis*, reprobandas non esse iam alibi, et plus quam semel

diximus (*V. Ephem. 1889, pag. 83 et 681 VII: item Ephem. 1890, pag. 15, nota 2*). Ad citata loca adm. Rev. Consulentem remittimus, ne eadem repetere cogamur.

XXII. *Pro Galliis.* Invocationes primas in Litaniis Sanctorum, nempe *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison,* semper duplicari, etsi aliae non duplicentur, consuetudo est, quantum scire datum fuit, fere universalis. Nihilominus Decreta nescimus, quibus hic usus innitatur. Fortasse id accidit, quia Deum peculiariter respiciunt, ut et potiores invocationes sint, vel melius ut inter intonantes et respondentes ordo servetur.

XXIII. *Pro eod. loco.* Festum Dedicationis omnium Ecclesiarum in Ecclesiis consecratis est primarium, in aliis secundarium; quia in illis celebratur Dedicatio propriae Ecclesiae, quam festum esse primarium est definitum: in istis vero celebratur Dedicatio Ecclesiae non propriae, quam secundarium esse festum pariter definitum est. Porro dies octava sequitur naturam festi; ergo de die octava dicendum est id quod de festo diximus. Aliquod oritur incommodum, intelligimus; sed quid respondendum sit nescimus. V. Ephem. n. 4, pag. 242 et seq. Dub. I.

XXIV. *Pro eod. loco.* Responsio ad Dubium 26 Decreti *Calagurr. et Calceaten.* circa inclinationem capitis docet: « Inclinationem capitis faciendam esse in *festis* Sanctorum tantum, quoties etc. ». Ergo non in vigiliis, quae festa non sunt, sed praeparatio ad festa. Dicit quidem, *de quibus celebratur* Missa, vel fit commemoratio, sed referuntur haec verba ad *festa Sanctorum, de quibus etc.* Haec quidem nostri asserti ratio.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Maio propositae.

PROPOSITIO.

Quinam sit sensus verborum, quae Episcopus, post factam Ordinationem, dirigit ad Neosubdiaconos et Neodiaconos, hoc est: « (*dicite*) Nocturnum *talis* diei ? »

Haec tantum nobis solutio missa est, quam nihilominus praemios iudicavimus.

SOLUTIO.

Pendet huius quaestionis enodatio ex sensu genuino, qui singulis verbis praelaudatae formulae Pontificalis assignari debet. Unde ad securius procedendum inter varias auctorum sententias, videtur quod nobis disiunctive scrutandum sit: 1. quaenam obligatio, ex voce « *dicite* », resultet pro Neosubdiaconis et Neodiaconis? 2. quid per « *Nocturnum* » intelligi oporteat? 3. an sub hoc nomine Lectiones ipsae comprehendi debeant? 4. quid per « *talis* diei » locutionem audiendum sit? et exinde solutio quasi sponte profluet nitida conformiter ad decreta.

I. Quaenam, ex voce « *dicite* », resultet obligatio pro Neosubdiaconis et Neodiaconis? S. Ligorius diversas exponit opiniones, et quaestionem relinquit in statu quo. « Quod « ad obligationem pertinet, inquit S. Doctor, lib. VI, n. 829, « alii, ut *Suar. Less. Laym.* et *Caputaq.* apud *Croix*, n. 2319, « putant preces, quae in Ordinatione imponuntur ordinatis ab « Episcopo, persolvendas esse sub mortali; alii tamen ibi, « ut *Sot. Val. Dian. Pal. Pell. Gob.* etc. dicunt probabiliter « huiusmodi obligationem esse decentiae, non autem sub « peccato; saltem tenet *Croix*, non esse sub gravi, cum id « Episcopi haud declararint ».

Scavini non magis explicite loquitur in Tom. IV, n. 399

suae Theologiae moralis. « Alii putant cum Lessio, ait eminens « theologus, haec persolvenda esse sub mortali, et sane ma- « teria gravis est. Alii volunt probabiliter cum Soto hanc « obligationem esse tantum decentiae, non autem sub peccato; « saltem tenet Croix, non esse sub gravi, cum id Episcopi « non declaraverint ». Sed cui opinioni adhaeret, non dicit.

Item, iuxta Gury, « non consentiunt de hoc theologi. « Alii enim dicunt, eum (qui omittit recitationem precum, « quae post ordinationem per modum poenitentiae ab Epi- « scopo imponuntur) peccare graviter, quia materia praecepti « est gravis. Alii tenent, illum minime peccare, quia Episco- « pus praeceptum non imponit. Alii tandem censent, huius- « modi omissionem non vacare quidem culpa, sed venialem « non excedere. » Postea autem suam opinionem declarat addens: « haec sententia (ultima) probabilior videtur », cui absolute adhaeremus. Nam ex una parte modus imperativus: *dicite*, quem adhibet Episcopus, aliquod praeceptum secum importat, et ex altera Ordinati rem ita intelligunt, cum ex ipso Pontificali illud devote suscipiunt et respondent se facturos: unde difficile conprehenditur quomodo preces datae ab Episcopo et acceptatae ab Ordinatis non obligationem parerent. Sed haec obligatio probabilius non est sub gravi, quia Superior potest, in materia etiam gravi, obligare tantum sub levi, et parum credibile est quod per verbum « dicite » sine ullo alio addito, Episcopus obligare voluerit sub gravi, quando multi doctores etiam putarunt non esse *per se* sufficiens ad aliquam obligationem producendam: unde iuxta regulam iuris 45, Tit. VI « *inspicimus in obscuris quod est verosimilius* », et iuxta aliam regulam 57 eiusdem Tituli, arbitramur quod « *contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda* », et dato quod *odiosa sunt restringenda* », propterea preces, de quibus in casu, ad minimum habendae sunt saltem ut probabilius non obligantes sub gravi.

II. Quid nunc per *Nocturnum* intelligere oporteat? Quatuor argumenta afferemus ad demonstrandum hic agi de unico Nocturno absque precibus, sive quae illud praecedunt sub

titulo: *Ad Matutinum*, sive quae illud sequuntur sub titulo: *Ad Laudes*.

Primum argumentum ex historicis monumentis eruitur. Si disertissimo credamus libro cl. Maugère: *Le Bréviaire Romain commenté*, in quo habetur medulla meliorum Rubricistarum, ut Merati, Cavalieri, Grancolas, Bona, pars officii quae noctu recitabatur in primaevis Christianismi saeculis, dicebatur Nocturnus. Iam primum fuit unicus; plus minusve similis erat Nocturno feriarum actualium, aut primo Nocturno Dominicae; duodecim constabat psalmis tam in officio feriali quam dominicali, et circa mediam noctem agebatur.

Pietate autem ab aevo S. Benedicti fervente, cum Monachi in Dominicis et feriatis festis vellent esse toti Deo et Orationi, quasi tria officia noctis, instituerunt, quae ita repartiebantur, ut primum canerent in prima vigilia noctis, alterum in secunda, et tertium in galli cantu: quae consuetudo paulatim transiit in Ecclesiam romanam, et satis longo tempore retenta est sicut, et apud religiosos, qui tribus vicibus per noctem ad officium surgebant.

Et talis ardor erat charitatis, inquit Benedictus XIV, ut christiani e somno surgerent ad orandum cum clero, nempe; semel ad primum officium seu Nocturnum; altera vice, ad secundum officium seu Nocturnum; tertia vice, ad tertium officium seu Nocturnum, nonnullis semper lectionibus unaquaque vice adiectis ad eorum aedificationem et instructionem; et adveniente aurora vel matuta, recitabantur Laudes, quae propterea vocatae sunt Laudes matutinae.

Non ubique tamen omnes assistunt clerici tribus nocturnis. Saepe veniunt in choro per turmas, quae se mutant, adveniente altero Nocturno, ita ut singuli, sicut olim, unum tantum recitarent Nocturnum per noctem. Sed pietate deinceps frigescente, haec disciplina mox austerior visa est; et ut una vice dumtaxat interrumpatur somnus, iam uno tractu, ne dominica quidem excepta cum festis feriatis, persolvitur totum officium nocturnum cum Laudibus circa mediam noctem. Quin imo, ne surgant etiam hac unica vice clerici ad laudes Dei cantandas, evénit tandem ut in aurora (Matuta) coniunctim

recitarent officium noctis simul cum Laudibus, et ita progressu temporis haec tota precum complexarum summa nuncupata est Matutinum.

Quibus positis, abunde patet Nocturnum in singulari, Nocturnos in plurali, Laudes et Matutinum voces esse prorsus distinctas, quae singulae habent suum proprium sensum, et quarum unus cum altero confundi nequit. Vocatur Nocturnus, officium quod ex omni antiquitate recitabatur cum suis duodecim psalmis et antiphonis versus mediam noctem; Nocturni autem sunt tres officii partes, quod iuxta specialem consuetudinem in monasteriis incoeptam canebatur statutis horis noctis in Dominica et festis feriatis, firmiter tamen remanentibus duodecim psalmis uniuscuiusque diei in primo Nocturno etiam Dominicae, in memoriam antiqui et primaevi Nocturni. Quod ad Laudes attinet, semper habitae sunt pro precibus quae post Nocturnum officium dicebantur sub auroram; et sub nomine Matutini, historici intelligunt Invitatorium cum Nocturno vel Nocturnis et Laudibus uno tractu recitatis. Unde certe concludimus sensum obvium Pontificalis esse Nocturnum simpliciter dictum, quin Preces, quae praecedunt vel sequuntur Nocturnum, sub hac denominatione comprehendantur, id est, Nocturnum primaevum, sive ferialem sive dominicalem, qui duodecim Psalmis constabat, et non tres Nocturnos Sanctorum vel Dominicae.

Secundum argumentum ex Rubricis Breviarii desumitur. Sit in exemplum Titulus XIII, et magnam videbis differentiam, amice lector, quae existit inter Nocturnum in singulari et Nocturnos in plurali. « In duplicibus et semiduplicibus « dicuntur novem Psalmi... cum suis Antiphonis... per tres Nocturnos distinctos, hoc modo. In primo Nocturno dicuntur « tres Psalmi... In secundo Nocturno dicuntur alii tres « Psalmi.... In tertio Nocturno, alii tres Psalmi cum Antiphonis ut supra » (n. 2. 3. 5. 6). Si agitur autem de officio trium Lectionum, Rubrica assignat « *Nocturnum feriae ut « in Psalterio, id est duodecim Psalmi cum sex antiphonis* » (Tit. XIII, n. 7), seu Nocturum uniuscuiusque diei iuxta suam priscam institutionem: ita ut, ne quidem excepto No-

cturno Dominicae primo, qui sicut et Feriae habet duodecim Psalmos, nulla sit dies, quae destituatur antiquo et primaevo Nocturno.

Item, Matutinum assumi nequit, neque Laudes intelligi queunt pro eadem re quam Nocturnum, de quo in casu. Nam in Dominicis, in festis, in feriis, in Proprio et Communi Sanctorum, ubique legitur: *Ad Matutinum*, Pater, Ave, Credo, ℣ Domine labia, ℣ Deus in adiutorium, Invitatorium, Ps. Venite, et hymnus. Quibus dictis, habes: *In I Nocturno*, *In II Nocturno*, *In III Nocturno*, vel *Ad Nocturnum*, ut videre est in Dominica Resurrectionis et Pentecostes, et postea: *Ad Laudes*, ut aliquid prorsus distinctum.

Hinc clare resultat quod per Nocturnum nec intelligi debet Matutinum, quod diversas preces habet ante Nocturnum vel Nocturnos; nec Laudes, quae subsequuntur Nocturnum vel Nocturnos, sed illud audiendum est tantum quod in primaeva Ecclesia noctu recitabatur seu duodecim Psalmi cum Antiphonis suis.

Tertium argumentum ex ipso Pontificali depromitur. Sufficiat comparationem instituere inter diem Consecrationis alicuius Ecclesiae et praesentem casum. In Vigilia huius consecrationis, Pontificale iubet *Nocturnos et Matutinas Laudes* recitari in honorem Sanctorum, quorum reliquiae deponi debent in Altaris sepulcro, et post ordinationem indicat solummodo *Nocturnum talis diei.* Nisi igitur dicas (quod nefas est) Pontificale distinxisse ubi locus non erat distinctioni, seu expressisse quod noluit et non expressisse quod voluit, duo exinde consequuntur certa, nempe: 1° Nocturnum non comprehendere Laudes, cum dicit in primo casu: *Nocturnos et Matutinas Laudes;* 2° hic agi de unico Nocturno, cum loquatur in plurali, quando vult plures recitari Nocturnos, dum in praesenti nominat Nocturnum in singulari

Novam denique probationem invenio in expressione « *talis diei* », quam Pontificale adhibet loco « *talis feriae* ». Etenim virtute Indulti Ordinationes fieri possent extra Tempora, et signanter in Dominica. Itaque merito loquitur Pontificale de Nocturno *talis diei*, id est, de Nocturno qui affigitur tali

diei, abstractione facta officii quod in ea recolitur, intendens tantum pluralitatem Nocturnorum ut in festis sanctorum excludere, et pariter Nocturnum, qui alio titulo diceretur illa die, uti Nocturnum de officio Defunctorum et Parvo officio B. M. V. Hinc e contra noluit mentionem facere de Nocturno talis feriae, vel talis Sancti, quia iam designasset ipso facto unam officii speciem, et nominavit dumtaxat Nocturnum, duodecim Psalmis constantem, qui communis erat singulis hebdomadae diebus, alstractione facta officii, quod inibi celebratur, ut videre est in singulis feriis et etiam in Dominica quoad primum.

III. An sub nomine Nocturni Lectiones ipsae comprehendi debeant? Non id credimus. 1° Rubrica Nocturnum, de quo in praesenti, definit absolute duodecim Psalmos cum Antiphonis (Tit. XIII, n. 7) 2° Lectiones primitus non partem faciebant Nocturni, ut constat ex historia. 3° Lectiones potius ad aedificationem et instructionis causa leguntur quam ad Laudem Dei et in signum poenitentiae. 4° Episcopus, si ad eas obligare voluisset Ordinatos, sane egisset sicut et pro Litaniis ubi singulatim nominat et Litanias et versus et orationes. Audi cl. Scavini: « Sufficit autem Nocturnum feriale « sine Lectionibus, cum Lectiones non notentur. Quando enim « Episcopus vult, id declarat. Sic imponendo Tonsuratis et in « Minoribus ordinatis Psalmos poenitentiales, quia vult ut si- « mul et Litaniae et versiculi et orationes dicantur, id expri- « mit. Item neque veniunt oratio dominica, salutatio ange- « lica, symbolum, psalmus *Venite*, nec hymnus, cum nihil « horum praescribatur, uti notat Romsée (Tom. IV, n. 399). » Hinc, etiamsi aliquis dubitaret de veritate responsionis nostrae, mox dubium cessaret per applicationem regulae 57 iuris supra citatae, nempe: « *contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda* », et proinde concludimus Ordinatos non ad Lectiones teneri

Quartum argumentum ex ipsa ratione extragitur. Sane, ex nuda Nocturni significatione, dicere poteris Episcopum rigorose valere Neodiaconis et Neosubdiaconis assignare Nocturnum, qui sibi placuerit vel quem maluerit. Sed re matu-

rius perpensa, videtur quod Pontificale attendit ad Nocturnum feriae tantum, vel ad primum Dominicae Nocturnum qui, sicut et ferialis, gaudet duodecim psalmis, minime vero ad Nocturnos qui tres psalmos habent.

Siquidem, dato quod Episcopus imponat Nocturnum tribus psalmis constantem, iam poenitentiam haberent Neodiaconi et Neosubdiaconi multo magis curtam quam ceteri ordinati, qui septem psalmos poenitentiales cum Litaniis, versibus, et orationibus recitare debent: quod esset inconvenies, cum soli essent tam privilegiati, ne presbyteris quidem exceptis qui tres Missas habent dicendas, et itaque aequum est ut Pontificale non intelligatur de Nocturno Sanctorum festivo, sed ut sequamur, iuxta regulam iuris supracitatam, quod est vero similius. Invita deinde generali locutione « *Nocturnum talis diei dicite* », hic institui tamen non potest quaestio, sive de uno Nocturno Defunctorum sive Parvi officii B. M. V. Quare? Quia si haec officia aliquando superaddi debeant officio diei, nihilominus nullum Nocturnum ex eis vocari proprie poterit Nocturnum *talis diei*, cum plerique a talibus officiis hodie exonerantur, et vere remanet solum officium Breviarii dicendum, sive de feria sive de Dominica sive de festis, ut officium talis diei.

Neque petas cur Pontificale dicit « *Nocturnum* » et non « *Matutinum* ». Tibi dicerem Episcopum excludere voluisse Laudes, quae cognominantur Matutinae, quia non noctu, sed mane primitus dicebantur. Et ad vocem « *Nocturnum* », non additur ulla, quaecumque sit, qualificatio, sive *unum*, sive *primum*, ad clarius demonstrandum hic agi de unico Nocturno, quod in Psalterio respondet unicuique diei, et quod olim, sicut et nunc in feria, constabat quoque in Dominica solis duodecim psalmis cum suis Antiphonis, prout reperitur in primo eius Nocturno.

IV. Quid per « *talis diei* » locutionem audiendum sit? Duo responsa faciemus, unum negativum, et alterum positivum.

a). Formula « *talis diei* » nec habet nec dicit respectum cum die Ordinationis seu Monitionis ab Episcopo faciendae. Nam si Pontificale exprimere voluisset diem Ordinationis ubi instituuntur Diaconi et Subdiaconi, ferret: « Nocturnum *hu-*

ius diei dicite » ; et si respicere intendisset diem ubi monitum hoc habendum foret, ibi legeremus : « Nocturnum *illius diei* dicite ». En prima responsio.

b). Vox « *talis diei* » pertinet ad Rubricam seu characterem rubricae habet. In antiquis enim codicibus Pontificalis erat *in rubro* scripta, ut sciat Episcopus hoc esse quoddam monitum indicans quid esset facturus, et proinde sensus obvius est : *dicite Nocturnum N. N. diei*, quasi diceret : *dicite* Nocturnum *talis vel talis diei*, quem Episcopo placuerit indicare, haec est interpretatio theologorum. « Non enim di-« citur *huius diei*, inquit Scavini, sed *talis diei*, quasi dice-« ret *talis vel talis diei*, illius videlicet in quo recitatio prae-« scribitur.... ut probat Gobat ». Et alibi : « Nocturnum au-« tem quod imponitur Diaconis et Subdiaconis, non est No-« cturnum feriae istius diei qua fit ordinatio ; sed cuiuscum-« que, quem Episcopus designat : unde potest esse etiam al-« terius diei ». (Tom. IV, n. 399). Deinde in promptu habemus per modum firmissimi testimonii vetus Pontificale Lugdunense, anno 1511 editum, quod deducens in praxim hanc monitionem : *Episcopus iniungat Missas et alia, quae viderit expedire,* in allocutione ad ordinatos ponit in ore Episcopi poenitentiam imponentis ad Neosubdiaconos et Diaconos : « *dicite Nocturnum talis* (talis, in charactere rubro) *diei* », id est talis vel talis, prout Episcopo libuerit

Non negamus hodie vocem hanc « *talis* » saepe saepius in charactere ordinario apud Pontificalia reperiri, sed hoc provenit vel ex oscitantia vel inscientia typographorum, qui hoc parum importare crediderunt vel colorem mutare neglexerunt, et hoc non impedit quod hic habeamus veram rubricam, quae non taxative nominat diem ordinationis. Aliter difficile comprehenderetur quomodo Pontificale, aliunde tam clarum pro Tonsuratis, non usurpasset hanc tam facilem formulam : *dicite Nocturnum huius diei.*

Attamen, si Episcopus ordinans nihil aliud facit quam recitare verba Pontificalis, nempe: *dicite Nocturnum talis diei*, non pertinet ad Ordinatos eligere Nocturnum qui eis placuerit, sive de officio Defunctorum vel Parvo officio B. M. V., sive

de Sanctis illius diei in qua voluerriut adimplere preces iniunctas; sed tenentur ad Nocturnum, sive ferialem diei in qua Ordines receperunt, sive dominicalem, quatenus feriali prorsus similem, si ordinatio in ipsa Dominica locum habuerit, quia electio nonnisi ad Episcopum spectat.

V. Conclusio. Ex hucusque discussis, non dubia videtur solutio quaestionis propositae, sed certior adhuc apparebit per decretum 11 Aug. 1860, quod rem definivit auctoritative in sensu a nobis probato.

Orator a Congregatione petebat: « 1. Utrum per *Noctur-* « *num talis diei* necessario intelligi debeat totum officium « Nocturnum de tempore, sive matutinum et laudes eius diei « in qua Ordines conferuntur, sive unum Nocturnum habeat, ut « in sabbatis quatuor Temporum et in sabbato Passionis, sive « tres, ut in sabbato sancto et in festis et in dominicis, in « quibus Ordines extra tempora conferuntur, an vero in hoc « casu matutinum de tempore absque laudibus intelligendum « veniat? — 2. Utrum in potestate Ordinantis sit iniungere « unum tantum Nocturnum, quem maluerit, sive officii de Tem- « pore, sive de sanctis, quod ipsa die occurrat? — 3. Utrum « iniungere possit unum Nocturnum de officio defunctorum vel « Parvo B. M. V. vel de alio sancto? — 4. Quando Episcopus « ordinans nihil aliud exprimit, quam quod verba Pontificalis « sonant, utrum in potestate Ordinatorum sit recitare tantum, « vel unum Nocturnum de Tempore eius diei in qua Ordines « receperunt, vel quemlibet alium Nocturnum sive de Tempore, « sive de Sanctis illius diei in qua preces iniunctas adimplere « voluerint »?

Congregatio respondit: « Ad primum: verba Pontificalis « romani *nocturnum talis diei* intelligi de unico nocturno fe- « riali, vel de primo dominicae, *ut in Psalterio*, id est duo- « decim Psalmorum cum suis Antiphonis de Tempore, quem « Episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei, quo « habet ordinationem, vel alterius, pro suo arbitrio. » Quoad « secundum, provisum in primo. — Quoad tertium, provisum « in primo. — Quoad quantum, dicendum Nocturnum ferialem

« ut supra, qui respondeat illi diei in quo facta est sacra Or-
« dinatio ».

Hinc 1. Nocturnus, de quo loquitur Pontificale, est unicus Nocturnus ferialis, qui absolute incipitur ab Antiphona, et constat duodecim Psalmis cum suis antiphonis de Tempore, et cum intelligitur de Nocturno, prout iacet in Psalterio, non comprehendit Lectiones. Item primus Dominicae Nocturnus incipit ab Antiphona, et cessat post Antiphonam, quae sequitur duodecimum Psalmum, nec proinde comprehendit Lectiones. Sed nullus alius Nocturnus auditur sub hoc nomine, neque unus, neque plures, sive de officio defunctorum, vel Parvo B. M. V., sive de Sanctis: unde solus ferialis vel dominicalis, in sensu exposito, imponi potest.

Hinc 2. Nocturnus designatus minime usurpari valet pro Matutino et pro Laudibus, sed ut vidimus in primo, excludit omnia quae praecedunt et subsequuntur Nocturnum, et amplectitur tantum quod in Psalterio habetur ut Nocturnum, id est, Duodecim Psalmos cum suis Antiphonis.

Hinc 3. Potest Episcopus designare Nocturnum ferialem vel primum Dominicae, prout libuerit, et eum eligere qui non respondet diei ordinationis, si voluerit; sed Ordinati debent stare Nocturno designato, et si non est aliter designatus quom per verba Pontificalis, tenentur ad Nocturnum ferialem ut supra, qui respondeat diei ipsi, quo instituuntur Diaconi et Subdiaconi.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Romana
Curé de Lannes (Diocèse de Langres).

QUAESTIO SOLVENDA

pro Mense Iulio

—

Quinam sit finis linteoli vel disci metallici, fidelium mento supponendi pro communione? Et quaenam inde consectaria derivanda pro praxi?

APPENDIX

SUPER DECRETO *PETROCORICEN.*

13 IUL. 1883

ANIMADVERSIONES.

PARS PRIMA.

Rmus Dom. Episcopus de Zacathecas a S. Rituum Congne quaesivit: « Quanam hora liceat incipere privatam Matutini cum Laudibus recitationem vespere diei praecedentis? Sacrum Tribunal die 16 Mart. 1876 respondit: « Privatam recitationem Matutini diei subsequentis incipi posse quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum ». Die vero 13 Iul. an. 1883 Episcopus Iosephus Dabert Dioecesis Petrocoricen. ulterius inquirebat: « An praedicta resolutio ita intelligenda sit, ut ille non satisfaceret obligationi suae, qui Matutinum cum Laudibus vespere diei praecedentis recitaret priusquam sol medium cursum teneret inter meridiem et occasum? » Huic autem petitioni S. R. C. pro sua sapientia respondere censuit: « Consulantur probati auctores. » Nunc quaeritur, quinam sit huiusce

ultimae responsionis sensus, seu, quod idem propemodum sonat, quinam sint probati auctores, ad quos consulendos S. R. C. Oratorem, consequenter et alios eadem in re dubitantes, remittit. Cui quaesito ut faciamus satis, sequentes animadversiones super praefato Decreto *Petrocoricen.* lectoribus nostris exhibemus.

1. Notum ponimus, S. R. Tribunal, licet ut plurimum quaestiones sibi propositas dirimat, quandoque nihilominus insolutas relinquere, uti ex Decretis pluribus constat. Hoc autem saepe accidit, quia quaestionis propositae argumentum ad ipsam non pertinet, sed ad aliud Tribunal, eoque in casu remittere Oratorem solet ad S. C. ad quam dictum argumentum spectat. Aliquando vero, sive quia parvae gravitatis res est, sive quia cum argumentis sui propriis quandam controversia habet affinitatem, sive etiam quia negotium alio cum Tribunali ante pertractat, quaestiones alienae provinciae suis cum responsionibus dirimit: hoc quoque ex nonnullis Decretis palam fit. Sed quandoque etiam accidit ut controversia aliqua ei resolvenda proponatur, quae, sit suae, sit alienae provinciae, vel affinis, inter graves auctores agitatur. Hoc in casu S. R. C. saepe controversiam insolutam relinquit, et Oratorem solet amandare ad probatos auctores consulendos. In facti; specie de qua agimus, hoc praecise comprobatur; exploratum est enim, auctores plures et graves super hora determinata, qua possit privatim incipi Matutinum diei sequentis, inter se minime convenire. Eapropter quando primum S. C. rogata fuit super liciteate recitationis, responsum dedit, de quo dubitabat nemo: quando vero rogata secundo fuit de recitationis validitate, respondit: « Consulantur probati auctores. » Definita ne est igitur controversia? Negative. Sane, si definire S. R. C. controversiam voluisset, pronum illi erat respondere, vel affirmative vel negative, quod non fecit. Ergo vi Decreti *Petrocoricen.* hoc unum ante omnia certum est, controversiam super

hora, qua privatim incipi potest Matutinum diei sequentis, ut propriae obligationi satisfiat, non esse solutam.

II. Quin imo licet nobis ulterius progredi sequenti modo ratiocinando. Controversia in hoc consistit an satisfiat, an non, propriae obligationi Matutinum cum Laudibus recitando sequentis diei hora secunda post meridiem. Auctores plures, inter quos aliqui optimae notae, uti dissidentes coguntur admittere, hanc tuentur sententiam, contra alios plurimos, qui docent tantum, dictas preces liturgicas recitari privatim posse quando sol medium peregit iter a meridie ad occasum, et contra alios perpaucos (1) qui primam benigniorem sententiam etiam respuunt. Iam nunc si S. R. C. pro hac postrema rigidiori opinione stetisset, exquisita num propriae obligationi satisfiat Matutinum diei sequentis anticipando priusquam sol medium conficiat cursum inter meridiem et occasum, respondere procul dubio debuisset: Negative. Hoc tamen noluit; sed sapientius iudicavit inquirentem ad probatos auctores remittere. Controversiam ergo respexit, et afferre praeiudicium noluit benigniori sententiae, vi cuius Matutinum cum Laudibus recitari potest antequam sol medium conficiat iter a meridie ad occasum. Cumque dictum Sacrum Tribunal sententiam determinantem, hora secunda post meridiem posse privatim Matutinum diei sequentis incipi quocunque anni tempore, ignorasse nefas sit asserere, consequens est ut hanc quoque opinionem respexerit,

---

(1) Ait cl. Ballerini *(Opus Theolog. Mor. Tom. IV, Tract. IX, cap. II, n. 244)*: « Qui S. Alphonso praecesserit in hac sententia *(de valida ac licita recitatione Matutini cum Laudibus diei sequentis hora secunda a meridie)* oppugnanda, neminem hucusque reperire licuit, praeter Danielem Concina, et post eum S. Alphonsus. » Cl. Waffelaert nihilominus dicit, alios extare auctores, quos citat et refert, qui dictam sententiam impugnant (*Apud* Revue Théologique *an. 1888 et 1889).*

dum ad auctores probatos inquirentem amandavit. Secus, uti patet, aut ad dictos auctores probatos non remisisset inquirentem, aut aliquam limitationem in sua responsione statuisset. Ergo responsio Sacri Tribunalis aliquod potius affert saltem indirecte praeiudicium rigidiori sententiae, eodemque tempore benigniori favet.

III. Ex dictis inferre quinam sint probati auctores, ad quos Sacrum Tribunal Rituum amandat, haud difficile videtur. Namque triplex est classis auctorum inter se hoc in negotio discrepantium: prima eorum qui dicunt, Matutinum cum Laudibus posse privatim anticipari semper circa horam diei quartam a meridie, seu quando plus minusve sol medium tenet iter a meridie ad occasum: àltera eorum, qui tenent posse etiam illud anticipari hora a meridie secunda: tertia illorum qui non solum primam profitentur sententiam, sed et secundam impugnant. Primae classis auctores sunt ne probati? Dubitare nemo de hoc rationabiliter potest, saltem in facti specie; sive quia eorum sententia, cum de posse agat, nulli obnoxia est discussioni, sive quia eandem in primo ex duobus ab initio relatis Decretis S. R. Tribunal profitetur quoad liceitatem, hinc a fortiori quoad validitatem. Quid de auctoribus alterius classis? Uti superius vidimus, horum sententiam S. R. Congregatio respexit, illique indirecte saltem favit, Oratorem remittendo ad probatos auctores; ergo et isti inter probatos auctores sunt recensendi. Idem tenendum de ultimis, nisi forte rigidiores appellare eos velis, quia benigniorem sententiam damnant. Sed nec sufficiens ratio illos a probatis excludendi suppetit; cum non desint inter eos, qui satis sunt, in pluribus aliis, inquam, sententiis mitiores; ceterum inter eos S. Doctor Alphonsus enumeratur, cuius opiniones universas clausis oculis sectari quisque potest. Ergo probati sunt omnes, sive primae, sive alterius, sive tertiae classis

auctores in casu saltem nostro, et ad eos S. R. C. remittit pro anticipando privatim Matutino diei sequentis.

IV. Nec mirum frequenter enim accidit maxime in re morali, ut duae vel plures habeantur sententiae, quarum altera ab altera discriminatur, et saepe etiam altera alteri opponitur; nec interim Ecclesia definit, qualis ex duabus sit amplectenda, uti adamussim in casu nostro comprobatur. Ex auctoribus autem, plus minusve reverentia dignis, alii alteram, alii alteram sequuntur, quandoque oppositam vel diversam impugnantes, quandoque eas in sua probabilitate relinquentes. Verumtamen, quamvis liceat opiniones aliquas impugnare, sicut et defendere, non ideo licitum censendum est auctores unam vel alteram sectantes reprobare, seu eosdem auctores a probatis excludere. Hoc autem specialiter debet in nostro casu comprobari; seu quia multi sunt, seu quia inter eos non desunt, qui classici ab ipsis dissidentibus appellantur, uti revera sunt (1). Et merito; si enim tacet Ecclesia, imo eos respicit, quae indubie reprobare posset, cuiusnam erit eos non probatos iudicare, vel reprobatos dicere? Eoque magis, quod supponi nec potest nec debet, auctores plures et reverentia dignos in eandem abire sententiam, quin aliquod saltem ponderaverint momentum, quod vel ad eam profitendam, vel ad eam probabilem tenendam eorum animum induxerit.

V. Hinc placet nobis verba Tetami nostra facere, cum eoque sequenti animadversione hanc primam

---

(1) Cl. Waffelaert, qui sententiam omni ope defendit rigidiorem, notat, auctores sustinentes sententiam benigniorem esse circiter viginti, quos inter Sanchez et Salmaticenses, inter classicos ab ipsomet recensitos: totidem autem eos, qui eandem benigniorem sententiam probabilem dicunt. (*V. apud Revue Théologique an. 1888, pag. 217*).

partem concludere: « Si postules hic, quid ego sentiam de hac posteriori sententia benignori? Dico 1. eam videri satis esse probabilem, spectata tum multitudine, tum auctoritate Doctorum, qui illam tuentur. Profecto ex C. *Prudentiam de Off. Iud. Deleg.* integrum est iudicium, quod plurimorum sententia confirmatur. Scilicet, ut interpretatur Viva, *in prop. 34. Alexand. VII. n. 10 in fine*, recta, prudens et aequa est opinio ac sententia, quae confirmatur approbatione et consensu plurimorum virorum, qui sunt in re illa versati, de qua iudicium ferunt. Etsi quidem eorum auctoritas non moveat, nisi in quantum praesumitur, cum hac esse coniunctam etiam rationem sive probabilitatem intrinsecam; quia nempe praesumimus, viros sapientes non dicere aliquid sine ratione ut animadvertit La-Croix *Lib.* 1, qu. 19, §. 1. Ergo cum tot tantique viri, et in morali Theologia versatissimi, quos supra laudavimus, iudicaverint, matutinum crastinum *semper* recitari posse privatim hora secunda post meridiem, procul dubio recta, prudens et aequa huiusmodi sententia declaranda (*Diar. etc. an. civil. etc. Tr. I. Lib. I, Cap. I, n. 63*). » Quemadmodum autem recta, prudens et aequa, benignior sententia est declaranda, quin tamen ne minimum quidem detrahatur aliis diversis sententiis, ita recti, prudentes et aequi, verbo *probati* iudicandi sunt auctores illam sequentes, licet idem praedicari de dissidentibus toto iure possit et debeat.

A. B.

(*Continuabitur.*)

Nihil obstat.
Fr. Ioannes Neri O. P.
censor deputatus

—

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta *Patriarch. Antioch.*, *Vicesgerens.*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph. in Vico a S. Prisca, 8. (*in Col. Aventin.*)

NUNCIUM.

Rmi Episcopi, Ecclesiarum Rectores, Seminariorum vel Collegiorum Superiores, Monialium Cappellani, vel alii quicumque sint Sacerdotes qui pro relativis eorum Ecclesiis aut Cappellis aliquod vel aliqua Sanctorum Corpora exoptarent, ad hanc Ephimeridum administrationem scribere possunt, si velint, ut conveniamus.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI.

VI.

Rubrica Generalis Breviarii Romani, Tit. IX, n. 8, habet: « Si antiphona et versus festi de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem communi; in festo commemorationes variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus et in Laudibus e primis Vesperis, nisi aliter signetur ». Cum autem hodie post Breve *Nullo unquam* sublata sit translatio duplicium et semiduplicium quorum com. agenda est etiam in secundis Vesperis, quaestio exurgit, unde accipienda sit illorum com. in 2. Vesperis, quando plures fieri debeant commemorationes de eodem communi. Nam calendariorum redactores ita usque nunc variarunt antiphonas, ut pro simplificato in primis Vesperis eam sumerent e Laudibus, in Laudibus e primis Vesperis: in secundis vero Vesperis aliqui acciperent e Laudibus, aliqui e primis Vesperis: adeo ut in utro-

que casu una eademque antiphona bis repeteretur. Porro *Ephemerides Liturgicae* aliam rationem antiphonas variandi suggerunt, quam praedicant Rubricarum sensui magis respondentem: videlicet, ut in 1. Vesp. sumatur antiphona e secundis: in Laudibus e primis: in 2. Vesperis e Laudibus. *Quaeritur*:

1. Quid de ratione et antiquitate commemorationum Sanctorum in Officio?

2. Quinam sensus et spiritus huius loci Rubricarum, ut in casu?

3. Quomodo ergo antiphonae in casu variandae ut perfectius attingatur Rubricarum finis?

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Bernardi Mock, Pontif. Colleg. Urbani de Propag. Fide alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 10 Februarii 1897: acta Epitoma per Rmum. P. Bonaventuram a Collepardo O. Min. Cap.

I. Quid de ratione et antiquitate commemorationum Sanctorum in Officio? Commemoratio, uti vox ipsa sonat, est recordatio alicuius, cum iis, quae ad illius memoriae honorem fiunt. In sensu autem liturgico nuncupatur a Ridulpho; « Memoria Sanctorum », a Gemma: « Suffragia Sanctorum ». Ab antiquis Patribus latinis accepta est pro recitatione nominum *Fidelium*, quae in Missae Liturgia fiebat; in collectione Carthaginiensi (*cap. 230*) habetur: « In Ecclesia sumus, in qua Caecilianus episcopatum gessit et diem obiit. Eius nomen ad Altare recitamus, eius memo-

riae communicamus tamquam memoriae fratris ». Fortunatus (*lib. 10, p. 10*), loquens de S. Martino Episcopo, sic ait: « Nomina vestra legat Patriarchis atque Prophetis, — cuius hodie in templo diptycus edit ebur ». Martene (*lib. I, c. IV, n. 16*) de memoria Sanctorum fieri solita in Missa disserens, haec verba refert ex divo Augustino: « Nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus Altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo et martyrum et nostro: ad quod Sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur ». Origenes (*Hom. 3*). Sanctorum commemorationem fieri solitam in Ecclesia testatur: « Horum memoria semper, ut dignum est, in Ecclesia celebratur ». S. Basilius (*Orat. in S. Mamantem*) « Ecclesia per hoc quod eos honorat, qui praecesserunt, praesentes impellit ».

Memoria igitur Sanctorum usque ab exordio in Ecclesia instituta est, ut laudes Deo tribuerentur, qui est mirabilis in Sanctis suis; ut ipsi a fidelibus invocati, suam intercessionem apud Deum interponerent; ut ipsi fideles eorum gesta recolentes, ad imitandum excitarentur. In hoc vero nil aliud Ecclesia eiusque Pastores fecerunt, nisi ipsam vocem naturae sequi ac ipsum verbum Dei, tam in veteri, quam in novo Testamento expressum. Moyses (*Exod. 32*). Deum compellat his verbis: « Recordare Domine Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum ». B. Iacobus Apostolus ait (*V. 11*): « Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt ».

Haec de Sanctorum veneratione in genere. Inspiciamus modo qualiter ab antiquo in divinis Officiis commemorati fuerint. Missae Sacrificium divinorum Officiorum iam tunc extitit potissima pars; in eius Canone igitur Sanctorum memoria primitus facta est, quemadmodum legimus apud S. Clementem, S. Dionysium, S. Augustinum, S. Hieronymum et alios. Non tamen usus primitus invaluerat Sanctos non Martyres colendi, nec in eorum honorem Ecclesias dedicandi *(Innoc. III, de Myst. Miss. l. 3, c. 20)*. Extra Missam privaeva Sanctorum commemoratio facta est in lectione Martyrologii, quod officii partem ceterum constituebat, texte Rodulpho Tungrensi (*lib. de observantia Canonum prop.* 4): « In officio autem Capituli quod fit post Primam, fiunt tria: Primo memoria Sanctorum in recitatione Martyrologii cum versu *Praetiosa* et capitulo *Sancta Maria* ». Quae Martyrologii lectio antiquissima est, sicut patet ex vita S. Wandonis Abbatis Fontinellensis, quod Martyrologium exaratum fuit S. Clementis Papae iussu. Nec tantum lectione Martyrologii memoria habebatur Sanctorum, sed et Litania, quae recitabatur vel post Primam, vel post Tertiam, vel post Sextam, iuxta diversa statuta, uti apparet ex *Dunstano, Regular. Concordia*, c. 6, et Udalrico, *Consuet. Clun.* l. 1, c. 18 et l. 2, c. 6.

Commemorationes, quo sensu hodie intelliguntur, et ipsae antiquitus invectae fuerunt, ut memoria haberetur Sanctorum vel Mysteriorum inter Officia iuxta diversa locorum statuta et consuetudines. Commemorationes, quae nunc frequentiores fiunt ob occurrentiae leges, uti patet, non multa antiquitate gau-

dent. Apud Martene (*De antiquis Monach. rit.* T. IV, p. 6), legimus Monachos Montis Cassini, medio circiter saeculo VIII, recitasse quotidie Officium S. Benedicti, postea illud quod a Regula praecipiebatur, demum Officium B. Virginis, quod a S. Gregorio III (731-741) illis Monachis praeceptum fuit. In hoc autem officio ad Laudes Commemoratio fiebat S. Laurentii, S. Benedicti, omnium Sanctorum et pro Pace; ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam et Completorium Commemoratio addebatur S. Benedicti et omnium Sanctorum; ad Vesperas illa S. Laurentii et omnium Sanctorum. In Collectaneo S. Petri supra Divam legitur: « Suffragia quotidianis diebus dicenda ad Vesperas et matutinas post servitium Virginis gloriosae ». Et ex his Commemorationibus primum locum tenebat illa de Cruce, postmodum succedebat alia de B. Maria Virgine, aliquando praecedebat illa de Patronis loci, prout in Monasterio S. Germani et apud Grandimontenses; ex Cons. *Guil. Pelliceri C. 8.* Inter Commemorationes, quae ubique obtinebant, praecipuae erant Commemoratio de Cruce, de S. Maria, de Ss. Angelis, de Ss. Apostolis Petro et Paulo, de omnibus Apostolis, de S. Ioanne Baptista, de S. Martino, de S. Benedicto, quibus addebantur praecipui Patroni Monasteriorum et ceteri Sancti, qui in iisdem prae aliis venerabantur. Ex Regulari Concordia S. Dunstani (*C. 1*), haec novimus: « Ad Laudes diei post *Miserere mei Deus*..... addant duos psalmos..... quibus finitis cantent antiphonam de Cruce, inde antiphonam de S. Maria et de Sancto, cuius veneratio in praesenti colitur Ecclesia, aut, si minus fuerit, de ipsius loci consecratione. Post quos eundum est ad

Matutinales Laudes de omnibus Sanctis decantando antiphonam ad venerationem Sancti, cui porticus ad quam itur, dedicata est ». Et apud Cluniacenses, prout exponit Udalricus (Martene, *loc. cit. p. 34*), invenimus : « Eant in claustro ad colloquendum usque dum signum pulsetur, et tunc eant omnes ad orationes vespertinas: cum terminatae fuerint, incipiantur Vesperae de omnibus Sanctis... post Vesperas fiat commemoratio de Trinitate et de Cruce; post fiat Processio in caputio: deinde alia Suffragia de Angelis et aliis Sanctis. » Nullum ergo superest dubium, quin Commemorationes in usu iam extiterint apud veteres Monachos; atque ita S. Benedictus in fine divinorum Officiorum praecipiebat *Missas*, quae nil aliud erant, nisi Oratio Dominicalis, preces, collectae et Suffragia: « Completorium trium psalmorum dictione terminetur. Qui psalmi directanee, sine antiphona dicendi sunt, post quas hymnus eiusdem horae, lectio una, Versus, Kyrie eleison, benedictio, et post Missae fiant (*Regulae. 17*). Haec igitur iuxta varias vicissitudines quas divinum Officium subiit, quod ordinari coepit, prouti Strabo opinatur, a S. Hieronymo, Sancti Damasi iussu, ac deinceps sub S. Leone, Gelasio etc. usque ad S. Pii V tempora, sub quo Pontifice iam invenimus in Rubricis Breviarii generales regulas, quae huiusmodi Commemorationes moderantur in diversis Officii locis faciendas. Ex his quoque Rubricis nonnullae temporis decursu partim immutatae fuerunt, usque ad nostra tempora, uti nuper a Summo Pontifice Leone XIII, per Breve *Nullo unquam*, actum est.

II. Quaeritur secundo quinam sit sensus et spi-

ritus Rubricae in casus expositione relatae. Textus, prouti nunc legitur in Rubricis Breviarii, qui et fideliter transcribitur, obscuritate laborat, sive quoad verborum significationem, sive quoad interpunctionem, ita ut concludere oporteat errorem aliquem irrepsisse in typografica compositione. Et sane cl. Doctor Piacenza in Ephemeridibus Liturgicis anni proxime elapsi (*n. 8, pag. 566*), rem suspicatus, absolutissimam interpretationem dedit, Rubricae sensum patefaciens et varias Breviarii editiones conferens. Quod interpunctionem attinet, dicendum est inepte posita esse punctum et virgulam post verba « ex eodem communi, » sed satis fuisse virgulam ponere (*V. Edit. Brev. Venet. 1778*).

Quod vero significationem verborum spectat, si legatur prout iacet, *in festo commemorationes variantur*, non satis intelligitur de quo festo loquatur, utrum, de festo de quo agitur Officium, an de alio, quod commemoratur; quia si de primo, non amplius sermo esset de antiphona et versu festi, de quo fit commemoratio, dum e contrario haec antiphona et versus praecise sunt obiectum huius dispositionis; si de altero, quomodo sensus conciperetur, dum sic verba sonarent: in festo, de quo fit commemoratio, commemorationes variantur? De quibus aliis commemorationibus intelligendum foret, de quibus nulla hypothesis? Nec ceterum suppeterent in Laudibus et vicissim in Vesperis plures antiphomae et plures versus. Quod si velit intelligi de partium pluralitate, quibus commemoratio constat, nempe antiphona, versu et oratione, nec certa locutio haberetur, nec in omnibus esset vera; quia Oratio quae potissima comme-

morationis pars est, tali mutationi non subiicitur, ut una sit ex Laudibus, alia ex Vesperis, idque absurde diceretur. Sed et cur in eadem periodo bis idem subiectum sub diversa forma exprimeretur, prius *antiphona et versus*, dein *commemorationes?* Restat igitur ut cum praelaudato Piacenza typograficum mendum cognoscamus in verbo *commemorationes*, et cum probatissimis editionibus ac praecipue cl. Gananti (*Venetiis 1636*) legamus: *commemorationis*, ita ut sensus sit sequens: *si antiphona et versus festi, de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem communi*, a quo sumuntur illa festi, de quo fit officium, ne bis repetantur, *in festo commemorationis* videlicet in festo, de quo fit tantum commemoratio, dicta antiphona et versus *variantur*, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus etc.

Quinam autem sit spiritus eiusdem loci Rubricarum nunc expendendum. Agitur de festo proprium officium non habente, sed de communi, saltem pro antiphonis et versibus ad *Magnificat* et *Benedictus*, occurrente cum alio, quod tantummodo commemorandum est, pariter antiphonas et versus respective ex eodem communi mutuante. Nunc autem nostra Rubrica regulam sequendam ponit, ne bis eadem dicatur antiphona et idem versus in eadem hora canonica; et sapienter, secus enim, cum illa iam dicta fuerint, satis fuisset, quemadmodum fit in Missa, Orationem tantum addere alii de festo, quod illi praevalet. At huiusmodi ratio non placuit, eo quod nulla haberetur Officii repraesentatio, quae bene fit antiphonam et versum recitando. Iamvero ex hoc quod immutanda praecipiantur, plane Rubricae spiritus inno-

tescit, quod intendit maiorem, quantum permitti potest, recitari Officii impediti partem. At nunc gravis exoritur dubitatio, utrum nempe haec regula applicanda sit quocumque commemorationis casu. Dubium declaremus oportet. Dari potest casus alicuius festi commemorandi: 1. in Laudibus tantum, si ex. gr. Sanctus ritus simplicis occurrat cum festo duplici secundae classis; 2. in primis Vesperis et Laudibus, cum v. gr. Sanctus simplex occurrit cum officio alterius Sancti ritus inferioris secundae classi; 3. in utrisque Vesperis et Laudibus, si agatur de aliquo festo novem lectionum impedito ab alio potioris ritus, quod non valet transferri. Dicimus ergo regulam a Rubricis in casu traditam valere tantum pro primo et secundo casu, haud vero pro tertio. Et re quidem vera, nostra Rubrica initio ait: « Post Orationem diei in primis Vesperis, dicitur Antiphona quae posita est ad *Magnificat*, et in Laudibus quae posita est ad *Benedictus* in Communi etc. ». Loquitur ergo de nostro secundo casu, nullimode autem de tertio, qui etiam secundas Vesperas considerat (secundus casus ad primum reducitur, in illo nempe includitur). Unde quae disponuntur de commemoratione in illa Rubrica, applicari non valent occurrentiae alicuius festi ad instar simplicis redacti. Et sane, tantummodo post datum Breve *Nullo unquam* a SS. D. N. Leone Pp. XIII, sublata est translatio festorum duplicium minorum non Doctorum et semiduplicium, quae die quo incidunt in primis et secundis Vesperis ac in Laudibus commemorantur. Iam vero, cum Rubrica tunc non potuerit de illis loqui, de quibus nec potuerat cogitare, hodie aliter se res habet et cogimur diversimode eam componere. Sunt

nonnulli, uti ex. gr. De Herdt (*Pars. 1, n. 262*) qui verbum Rubricae « in Vesperis » intelligunt etiam de secundis: « Regula generalis est, ait ille, quod in primis *et secundis* Vesperis antiphona et versus, qui mutari debent, sumantur ex Laudibus officii proprii vel de communi, de quo Commemoratio fieri debet ». Hi autem forte id cogitant, quia etsi Rubricae post praefatum Breve immutatae fuerint, eo loci nullam subiere immutationem, atque ideo quod de primis Vesperis, intelligendum praedicant de secundis. At nos consectarium legitimum esse non videmus; quia e contrario, si nullam ibi innovationem induxere Rubricae dicendum est antiquas non alio sensu esse recipiendas, quam eo, quem primitus habebant. Et quidem spiritum illius Rubricae perscrutemur, et videbimus variationem antiphonarum et versuum qua ratione sit peragenda. Certum est Ecclesiam, quando Commemorationem praecipit alicuius Sancti, de quo recitari non potest integrum officium, velle ut saltem de eo recitetur (quatenus Rubricae permittant) maior quae potest pars; ac proinde cum accidit quod antiphona et versus, quibus illa constat, sint eadem ac illa de festo ad *Magnificat* seu ad *Benedictus* respective, videmus eam nolle bis esse rependa, ita ut potius mutanda praecipiat ex eiusdem communis loco, qui similis invenitur. Quod confirmatur ex iis, quae sequuntur in eodem Rubricae numero pro immutatione versus; vult enim quod cum in secundis Vesperis alicuius Sanctae « fieri debeat commemoratio Beatae Mariae, pro eius officio in sequenti Sabbato celebrando, ne repetatur ℣. *Diffusa est gratia*, dicatur *Benedicta tu* ex Laudibus ». Hic autem spiritus, seu finis Rubricarum semper prae oculis est

habendus, quia in eo est praecipua, imo et unica ratio cur immutatio praecipiatur. Nunc in id intuens, cum Rubricae obscuritate laborant aut etiam deficiunt, recte operatur, nullimode vero contra Rubricas, satagit quippe scopum illarum praecipuum attingere.

III. Haec itaque et nos prae oculis habentes, ad tertiam respondemus quaestionem, quomodo nempe antiphonae in casu variandae, ut perfectius attingatur Rubricarum finis. In casu proposito ergo habetur, aliquos Calendariorum redactores in primis Vesperis, adhibuisse pro commemoratione antiphonam ex Laudibus, in Laudibus vero e primis Vesperis atque in secundis Vesperis rursus ex Laudibus; alios autem in primis Vesperis sumpsisse pariter e Laudibus et in Laudibus e primis Vesperis, et in secundis Vesperis mutuasse ex primis. Hae duae redactorum classes concordes erant in primis Vesperis et Laudibus, differebant autem in secundis Vesperis. Omnes in prima parte conveniebant, eo quod verba Rubricae accipiebant materialiter, iuxta eorum sonitum, sed ex consectariis, haud probandis iuxta Rubricae spiritum, in secundis Vesperis debebant a sententia distrahi. Qui enim in secundis Vesperis accipiebant antiphonam ex Laudibus, opinionem cl. De Herdt sequebantur, quam superius non probandam ediximus; quia si Rubrica loquitur tantum de primis Vesperis, quo iure illius dispositio ad secundas trahitur? Cur autem praecipuo fini Rubricarum non obtemperandum, vitandi nempe eiusdem partis repetitionem? Exemplum e Communi unius Martyris effingimus ad rem penitius illustrandam. Pro officio diei habetur : In primis Vesperis antiphona *Iste Sanctus*, in Laudibus *Qui odit*, in secundis Vesperis

Qui vult venire; pro Commemoratione haberetur: in primis Vesperis *Qui odit*, in Laudibus *Iste Sanctus*, in secundis Vesperis *Qui odit*: ter antiphona « Qui odit » bis antiphona « Iste Sanctus », semel antiphona « Qui vult venire, » atque ex tribus antiphonis de communi in Commemoratione una omittitur, alia bis repetitur. Quod uti vidimus, non est secundum Rubricarum spiritum; dum si in primis Vesperis pro Commemoratione sumatur antiphona *Qui vult venire* ex secundis, haec non omitteretur, et non diceretur bis *Qui odit*: ergo et pars maior officii recitaretur, et partium diversitas obtineretur. Nec aliquid valet difficultas ex eo petita quod in Communi Virginum antiphona in secundis Vesperis eadem est ac in primis; quia unicus est casus, qui exceptionem facit, et tunc re ipsa ex necessitate cogimur antiphonam in utrisque Vesperis sumere ex Laudibus.

Redactores qui in secundis Vesperis antiphonam mutuabant ex primis, iuxta exemplum mox relatum, habebant: idem pro officio diei; pro Commemoratione vero: in primis Vesperis *Qui odit*, in Laudibus *Iste sanctus*, expungentes hac ratione antiphonam *Qui vult venire*, ac bis dicentes *Iste Sanctus*. His porro nec sensus materialis verborum suffragatur, sed prorsus arbitrario modo operantur. Restat igitur unica solutio, quam eximius Doctor Piacenza in Ephemeridibus exhibet: In primis Vesperis antiphona Commemorationis sumatur ex secundis, in Laudibus e primis Vesperis, in secundis Vesperis ex Laudibus, nulla sic antiphona repetita, singulis imo recitatis. Neque nos movet difficultas ex hoc alio Rubricae praecepto: « dicitur versus, inde sumendus, unde sumpta est antiphona »,

quia reponimus hanc esse regulam generalem, quae exceptionem pati potest; et potius esse in casu antiphonas plures recitare, quam hanc legem sequi, quia haec subordinata esse debet. Namque sensus huius est, debere servari quatenus fieri potest, et non debere ad arbitrium immutari, sed ex vera necessitate, quae profecto in nostro casu verificatur.

Ceterum fore confidimus ut S. R. Congregatio omnem dubitationem sua auctoritate expellat, aliquid addendo huic numero 8, Tituli IX, post regulam iam existentem de simplicibus, quod nimirum normam praestet pro casu duplicis vel semiduplicis simplificati.

Nota. — Solutionem quaestionis anni 1895-96 compendifactam, ob spatii defectum, ad proximum mensem amandamus.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

Emendatio.

In II e Dubiis, quae in proxime praeterito Ephemeridum numero resoluta fuere, tenuimus, ab Episcopo in Communione eorum qui in sacris ordinati sunt, dicenda non esse *Agnus Dei* et *Domine non sum dignus*. Sententiam mutamus in oppositam, quae omnino certa est et in praxi tenenda. Quia argumentum ex silentio Pontificalis est negativum, haud proinde satis firmum. Notandum autem, Rubricas dicti codicis, quando agunt de communione, aliqua obscuritate laborare, quia loquun-

tur simul de Presbyteris cum Episcopo concelebrantibus et de aliis: ut proinde authentica interpretatione indigeant. Iam nunc eiusmodi interpretatio a S. R. Cogñe data est per Decretum in *Lerien.* diei 11 Febr. 1702 ad 4: quo edicitur, *Ecce Agnus Dei* et *Domine non sum dignus* « quoad Presbiteros tantum in Ordinatione esse reticenda, in aliis vero casibus semper proferenda ». Ceterum ratio liturgica plane deficit pro iis omittendis: ut ipsamet Rubrica appendicis explicatio velut consideranda sit Rubricae corporis Pontificalis. Hinc praxis Lateranensis Ecclesiae est, ut dictae formulae dicantur, non omittantur. Inferes, errare Martinuccium, ex quo et nos, quibus praecitatum Decretum effugit, decepti fuimus; cum ceterum satis idem Decretum praefato auctore sit antiquius.

I. *E Bohemia.* **Quorundam Dubiorum resumptio** (*V. Ephem. vert. an. n. 4*). 1. **Super. Dub. VIII, n. 3, pag. 167 et seq.** Adm. rev. consulens dubitavit quomodo sit concludendus hymnus Vesperarum (eiusdem metri) festi praecedentis, quando festum subsequens, quod propria Doxologia gaudet, solam habere debet commemorationem. Ratio dubitandi est quia hymnus ad Vesperas dicendus praecedit commemorationem festi, habentis Doxologiam propriam: ut proinde in festum, de quo Vesperae fiunt, non videatur influere, sicut vere influit in hymnum Completorii, quod praefatam commemorationem sequitur.

Resp. Revera et nos dubitamus: cumque negotium cum cl. redactore Calendarii contulerimus, adhuc ancipites haesimus. Certum est, ideo praefatum redactorem die 28 Octobris scripsisse: « Ab utent. off.

vot. fit com. seq. et ad Compl. ac per tot. crast. hymn. concl. ut in offic. parv. B. M. V. », consequenter ideo de Doxologia propria tacuisse in hymno Vesperarum, quia et ipse anceps haeserat, imo in eam non mutandam potius propendebat. Nihilominus, re cum eodem collata et discussa, sequentia addimus. Quando duo festa vere concurrunt, manifestum est de utroque festum agi, licet ratione ritus vel dignitatis superioris Vesperae aut dividantur, aut alterum integras eas sibi vindicet, et alterum tantummodo commemoretur. Ita ex. gr. in Ecclesia S. Eutichiani Pont. Martyris, qui die 9 Decembris recolitur, festum eius incipit indubie a primis Vesperis, quae concurrunt cum secundis Imm. Conceptionis Deiparae: quae tamen ultimae fiunt integrae ratione dignitatis sive intrinsecae, sive extrinsecae,dum illae sola commemoratione fruuntur. Instituas ergo hypothesim, licet non veram, festum de quo integrae fiunt Vesperae propria non gaudere Doxologia, sed tantum communi, et aliud, de quo sola fit com., Doxologiam habere propriam: putasne ad Vesperarum hymnum Doxologiam de communi esse dicendam, et propriam omittendam, ea de causa quia festum propria Doxologia gaudens nondum commemoratum fuit? Id fortasse littera legis dictare posset, sed spiritus aliud nobis videtur exigere. Namque est per accidens, si festum subsequens sola fruitur commemoratione, sed verum ius habet ad integras Vesperas, quas tamen amittit ex potiori festo. Iure autem ad Vesperas posito, quod discussioni non subiacet, cum ipsis Vesperis eius festum incipit: ut, etiam ritu inferiori supposito, haud obstantibus aliis commemorationibus, quae in alia hypothesi festi minoris ritus fieri pos-

sent, sicut fit de Adventu in casu, primas semper teneat. Eapropter arbitramur non esse nimis insistendum in materialitate commemorationis, quae Vesperas sequitur, sed potius attendendum ad formalem rationem festi, quod vere concurrit, et melius influit in mutationem Doxologiae, quam ipsa materialis commemoratio, quae ceterum statim Vesperas prima sequitur.

Praeterea uniformitas quoque ritus Doxologiae mutationem postulare videtur. Etenim si primae Vesperae ex. gr. sint alicuius S. Confessoris, qui recolitur ritu duplici 2 classis, com. autem sequentis sit de aliquo festo Deiparae, quod est dup. maius, in Vesperis cum cantu haberetur Doxologia communis, et postea *Benedicamus Domino* sub modulatione propria festorum B. Mariae, quod inconveniens sapit.

Quod autem attinet auctoritatem Gavanti, hic nostro sentiendi modo non adversatur, ait enim: « In officio.... de B. Virg. si in primis Vesperis dicatur saltem Capitulum de B. Virg. dicitur in Vesperis et Completorio, *Iesu tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine*: et item, si fiat tantum commemoratio, adhuc illud dicitur in Completorio ». Ex his ultimis verbis inferri posset sensisse Gavantum, esse Doxologiam propriam B. Mariae omittendam in Vesperis, secus non dixisset: « adhuc illud dicitur in Completorio », sed dixisset: « adhuc illud dicitur in Vesperis et Completorio ». Nihilominus argumentum est mere negativum, quod a positivo quod sequitur, destruitur. Itaque notandum est quod post praefata verba Gavantus addit, nempe: « In secundis autem Vesperis, si fiat de ea commemoratio, eodem modo concluduntur hymni usque ad Completorium inclusive ». Obiicies tu quidem, nihil id

probare, quia in secundis Vesperis festum iam incoepit et prosequitur. Esto, reponimus; sed festum etiam in primis Vesperis incoeperat, ut superius vidimus. Insuper num festum in secundis Vesperis non prosequitur, quando com. omitti debet? Et tamen tunc iuxta Gavantum Doxologia B. Mariae non dicitur. Ergo concludendum videtur, incoepto festo, sive in primis, sive in secundis Vesperis Doxologiam propriam, si habeatur, esse dicendam in hymno eiusdem metri, dummodo commemoratio fiat, etiam iuxta Gavantum, quamvis ea non praecedat, sed sequatur.

2. **Super Nota 2, ad pag. 167.** Quod. adm. rev. consulens verbis suis significare voluit, hoc est: « Si festum S. Barnabae translatum sit adhuc celebrandum *iuxta ordinem temporis* ante alia festa eiusdem ritus, quomodo Ephemer. liturg. (an. 1896, pag. 686) e tali praelatione eruere possunt maiorem S. Barnabae dignitatem personalem prae aliis Sanctis eiusdem ritus?

Resp. Profecto nos Decretum aliquod innuimus, praeferens S. Barnabam aliis Sanctis in translatione: hoc verum est; sed eiusmodi Decretum esse in *una Ord. Min. Capuccinorum* ad III, 27 Iun. 1896, hoc citato loco non diximus, neque ex eo quidquam intulimus. Insuper responsum non fuit positivum, sed haesitans. Cum adm. rev. consulente nihilominus in hoc conveniendum, S. Barnabam esse indubie in translatione reponendum, non ante alios Sanctos eiusdem ritus, ut aequivoce quaesitum praecitati Decreti se exprimit, sed iuxta ordinem temporis. Proinde responsio nostra non haesitans esse debuerat, sed positiva dicto sensu et certa: in hoc convenimus.

3. **Super Nota in num. 4, pag. 244.** Pro Dubio

proposito, ait adm. rev. consulens, stat exemplum Calendarii Urbis diebus 27 et 28 Maii, in quibus ponitur primo com. sequentis, et 2 loco com. praecedentis, videlicet: sequentis et praecedentis simplificatorum. Sic dubio explicato, respondemus, optime ita inscribi ordinem commemorationum. Ratio est, quia primae Vesperae nobiliores sunt quam secundae, in quo auctores omnes conveniunt. Notes, etiam ante Decretum *Commemorationum in Vesperis* eodem modo Calendariorum redactores universi se gessisse, ritu, subintelligas, aequali simplificatorum posito. Ceterum pro aliter agendo, quantum scimus, nulla prorsus ratio suppetit, ut qui ita si gereret, rem novam faceret et ex arbitrio.

4. **Super solutione Dubii VI, num. 3, pag. 164.** Adm. rev. consulens solutionem praefati Dubii confirmat recentiori Decreto *Lincien.* di d. 5 Apr. 1895, quod in Ephemeridibus vulgatum non fuit, et impraesenti vulgare optimum iudicamus: « An in Missa votiva de SS. Corde Iesu, extra tempus paschale, omitti debeant *Alelluia*? » Resp. « Affirmative. » Hoc Decretum, substantia inspecta, concordat cum Originali, quod in Regestis S. R. Cogñis legi potest.

5. **Super Praenotando V. num. 2, pag. 122-123.** Sub fine dicti Praenotandi dicitur: « Missa exequialis praefatis diebus impedita, etiam post acceptam mortis notitiam cantari potest et debet prima die libera a die dominico vel festo, vel dup. I et II classis ». At, subiungit adm. rev. consulens, prohibita fuit dicta Missa etiam infra octavas privilegiatas, per Decretum *Ord. Min. Observ. S. Francisci* 27 Mart. 1779 ad 3: quid tenendum?

Resp. Haec maior limitatio non adest in novo Decreto, ex quo normam vulgatam hausimus; hinc antiquius revocatum censendum est.

II. *E Gallia.* **De quadam obscuritate in specimine Calendarii pro anno 1898.** Specimen praefatum (*V. n. 4, pag. 26*) ponit sub fine mensis Octobris historiam martyrii Machabaeorum: idem ne dicendum ubi die 28, feria V ultimae hebdomadae mensis, occurrit festum Ss. Apostolorum, feria VI festum S. Sabini Ep. et Conf. dup. maius, et Sabbato fit officium votivum de Immaculata? In his tribus diebus, vel in uno ex ipsis necesse ne est aliquam dicere ex lectionibus huius historiae? Quoddam calendarium indicat *Igitur Eleazarus....* pro primis lectionibus in festo S. Sabini dup. mai. ac si haec historia esset velut initium. Innititur autem Decreto 27 Mart. 1779, quasi hoc esset casui applicabile: dum aliud Decretum mensis Maii 1887 illi videtur contrarium. Quid?

Resp. Quando mensis October quatuor habet Dominicas, feria V, VI et Sabbato Dominicae quartae recitari debent, iuxta specialem Rubricam Breviarii positam ante feriam V post dictam Dominicam, lectiones Dominicae V, ac feriarum II et III sequentium, licet non sint initia. Si vero dictae feriae et Sabbatum Dominicae IV impediantur, tunc praefatae lectiones omitti debent (*Rubr. spec. ante dict. fer. V.*) Attamen si tantum feria V impedita fuerit, tunc lectiones Dominicae V (*Igitur Eleazar.*) dicuntur feria VI, et in Sabbato leguntur lectiones feriae II (*Mortuo itaque*). Si autem una tantum dies non sit impedita, tunc in ea dicuntur lectiones Dominicae V, et quae assignatae erant pro feriis II et III, omittuntur: adeo ut ordo

historiae Machabaeorum semper servetur (*Namurcen. 17 Ian. 1887 ad 1.*) In casu proposito lectiones *Igitur Eleazarus* dicendae sunt die Sabbati in officio votivo Immaculatae Conceptionis; die praecedenti, seu feria VI, leguntur lectiones e relativo Communi, et in feria V illae quae sunt propriae festi Ss. Simonis et Iudae.

III. *Ex Dioecesi Abulensi in Hispania.* **De excessu computationis dierum pro Missa diei obitus impedita.** Titius defunctus die 31 Dec. elapsi anni sepultus fuit in paroecia, cuius Ecclesia unum Sacerdotem habet, Parochum. Nunc autem Missa exequialis impedita fuit 1. die Ian. quia festum, et 3. quia Dominica: 2. et 4. cantari poterat, sed defuncti propinquos expectandi causa amandata fuit ad diem 5. Ita autem factum fuit vi Decreti 13 Feb. 1892, et ex doctrina ab Ephemeridibus tradita an. 1896, pag. 190 in Nota. Nam si dies 3. post obitum computari potest, vel a die obitus, vel a depositionis, ergo a pari; biduum, de quo Decretum 1892, ab obitu vel depositione poterit computari. Praeterea dies 1. et 3. Ian. in parochiali Ecclesia, unam tantum Missam habente, impediti sunt, et nequunt proinde enumerari. Unde sequitur, quod biduum completum fuit die 4 Ian. hora quarta vespertina. Hinc quaeritur: 1. An dies impediti, uti 1. et 3. mensis Ian. enumerari debeant in applicatione et interpretatione Decreti 13 Febr. 1892? 2. An Missa de die obitus celebrari debeat *intra biduum*, an, uti Ephemerides tradunt, possit etiam dici prima die post biduum, dum hoc completur horis pomeridianis, ut in casu proposito? 3. Quid iudicandum de casu proposito?

Resp. Ad 1.um Certo certius dies 1.a et 3.a Ian. in casu enumerari debent in computatione bidui, dum Decreti applicatio fit et interpretatio. Decretum, cui adm. rev. consulens alludit, est in *Calagurritana et Calceaten* ad 27, quod sic se habet: « Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice praesens, ita ut Missa exequialis in casu cantari licite valeat quoties praesente cadavere permittatur. » Uti patet, ex hoc Decreto, nisi cum aliis collatum interpretetur, unice sequitur Missam exequialem, quae fieri nequit ob dictas causas die obitus, fieri posse in uno aut altero ex duobus diebus diem mortis insequentibus. Procedamus ergo ad interpretationem. Inquiri potest, quare Missa exequialis ob duplicem praefatam causam, *vel aliam gravem*, uti alibi exposuimus, in biduo sequente obitum fieri permittatur? Indubia responsio: quia die mortis impedita supponitur, secus dilatio suffragiorum reprehensibilis foret et omnino arbitraria, quod non licet. Quando igitur die mortis impeditur Missa, celebratur sequenti die: qua etiam impedita, fieri potest altera sequenti die, cadavere semper vel physice vel moraliter praesente, Haec interpretatio est certa, quia aliter Missa exequialis plusquam semel celebrari posset, quod falsum est, uti satis superque ex aliis Decretis constat. Hinc aperte manifestum fit, dies impeditos in eo Decreto supponi, aliter Missam exequialem idem Decretum non indulsisset diebus sequentibus. Quin imo ratio indulti ex impeditis ipsis diebus constituitur; quia lex omni ope contendit, ut suffragia pro defuncto minus quam fie-

ri possit differantur. Ergo dies impediti necessario computari debent, ut biduum ab obitu habeatur. Ceterum, si ab hac computatione deberent aut possent dies impediti excludi, nil aliud S. R. Congregatio concessisset, quam libertatem inutilem, defunctisque damnum inferentem, quod admitti nec potest nec debet.

Resp. Ad 2.um Missam intra biduum celebrari tantum posse, seu non ultra biduum, hoc ex lege est, perspicua et simplice; ergo, biduo elapso, amplius non permittitur. Sed biduum istud a quo die incipit, a die obitus, an a die sequenti? Incipit ab obitu, ait Decretum supercitatum, et hoc quoque perspicuum est. Verum dies ista obitus est ne prima bidui, an potius ab ea abstrahendum ut biduum computetur? Falsum nos dicimus primum, dum alterum verum diximus (*V. Notam in Ephem. ad pag. 190, an. 1896*), et iure merito; secus non esset biduum, sed una tantum ab obitu dies, quod est contra litteram et spiritum Decreti. Ergo ita lex Decreti intelligenda, ut duobus sequentibus, in una videlicet vel altera ex iis libera, si dies obitus fuerit impedita, Missa exequialis celebrari possit. Sic autem intellecta lege, patet adhuc Missam intra biduum celebrari.

Sed ulterius inquiri potest, utrum dies obitus et dies depositionis pro una eademque die haberi possint? Tunc enim triduum haberetur pro biduo. Et respondemus affirmative. Ratio est, quia quotiescumque Rubricae et Decreta nominant diem obitus, semper addunt « seu depositionis », hoc est sepulturae: propter quod universi auctores liturgici idem principium profitentur, nempe diem obitus et depositionis pro una eademque haberi. Satis sit referre Cavalerium praedi-

cantem: « Huc spectat distinctiva illa *in die obitus seu depositionis*, qua saepe utuntur Decreta, inscribiturque Missa ipsa in tali circumstantia dicenda, ut scilicet includatur dies obitus et sepulturae, si forte hic differens sit ab illo. Ab Ecclesia dies isti confunduntur et pro iisdem accipiuntur, unde in Collecta cantat, *Pro anima, quam hodie de hoc saeculo migrare iussisti*, licet Missam dicat in die sepulturae, iamque expirato die obitus (*Tom. III, Cap. 3, Decr. IX, n. II*) ». Nunc autem, licet auctores de modo computandi diem III, VII, XXX et anniversariam in diversam abeant sententiam, certum nihilominus est impraesenti hos dies ab obitu pariter vel a sepultura computari posse (*Decr. Gen. 2 Dec. 1892 adhuc inedit.*). Quid ni et biduum de quo in casu? Rationem enim huius exceptionis non videmus. Hoc autem posito, quod omnino certum arbitramur, iam vides, posse adhuc Missam exequialem impeditam in die obitus, atque etiam in die depositionis, si haec dies alia sit ab illa, post biduum ab obitu habere locum, esset enim adhuc intra biduum, non quidem ab obitus, sed a depositionis die. Quo in casu sufficiat innuere, diem III^{am} fieri IV^{am}, quartam inquam ab obitu, sed adhuc tertiam a depositione. Hoc modo et sensu lege Decreti exposita, conveniendum est, Missam exequialem etiam post biduum ab obitu esse licitam.

Resp. Ad 3^{um} Modum computandi verba legis « non ultra biduum » aequum non esse, et prorsus reformatione indigere.

Iure namque Missa exequialis celebrata non fuit die 1. Ianuarii, utpote liturgice impedita; sed die 2^{a} cantari poterat utpote libera, ergo canenda erat. Bo-

na quidem ratio expectandi propinquos defuncti, sed non liturgica, et damnum defuncto inferens. Dies ceterum 5ª mensis, ad quam Missa amandata fuit, diebus impeditis consideratis, a quibus vi legis abstrahere non licet, erat 5ª ab obitu, 4ª a depositione; ergo contra legem. Si nihilominus cadaver tumulatum fuerit die 2 Ian., tunc die 5 cantari poterat Missa de die III. a depositione, non tamen pro die obitus.

IV. **E Senogallia. De intonatione** *Veni Creator* **flexis genibus a Pontefice in Ordinatione Presbyteri facienda.** Hymnus *Veni Creator Spiritus*, in Ordinatione Presbyteri, intonari ne debet a Pontifice stante an genuflexo?

Resp. Prima fronte dicendum videtur, dictum Hymnum a Pontifice stante esse intonandum, non genuflexo. 1. Quia de more officium faciens quemcumque hymnum intonet, semper stat, et expleta intonatione, statim genuflectit, si sit genuflectendum. 2. Quia ipse cantus id videtur exigere. 3. Quia Rubrica Pontificalis in corpore cum alia Appendicis collata, id quoquet suadet, uti utramque perpendenti patere videtur. Nihilominus, re penitius perpensa, dicendum omnino est, dictam primi versus Hymni intonationem a Pontifice genuflexo esse agendam. Sane, perpende Rubricam: « Tunc Pontifex sine mitra ante altare conversus, *flexis genibus* incipit alta voce, schola prosequente, hymnum *Veni Creator Spiritus*: quid clarius? Confer hanc Rubricam cum alia simili, quae prostat in eodem codice pro consecratione Episcopi: « ... Consecrator, *flexis genibus*, versus ad altare incipit, ceteris prosequentibus, hymnum *Veni Creator Spiritus*: » quid perspicuitatis amplius desiderari po-

test? Arroges tempus, quo eiusmodi hymnus intonatur, satis esse grave, fine inspecto, ob quem Sancti Spiritus gratia invocatur a Pontifice super Ordinandis. Denique, haec quoque praxis Lateranensis Ecclesiae, in qua crebro Emus almae Urbis Vicarius, impraesenti Lucidus M. Cardinalis Parocchi, mitra deposita, ipsoque relicto pileolo, ardore spiritus ac devotione pari incensus, demississime se ante altare prosternit, tantam invocationem flexis genibus ad caelum elevans. Haec satis esse credimus, ut sensus praefatae Rubricae innotescat.

Sed vero potest opponi Rubrica Appendicis eiusdem Pontificalis, quae silet de genuflexione, imo postquam dixit de intonatione, subdit: « Et statim genuflectit super pulvinum etc. ». Ergo, concludi potest, in intonatione stare debet. Sed reponimus, Rubricam Appendicis, si concordet cum Rubrica Corporis Pontificalis, sequenda: si discordet, relinquenda; illa enim, non haec, legem constituit. Cum autem in casu illa aperte dicat intonationem agendam esse flexis genibus, ista autem innuat agendam esse a Pontifice stante, concludendum est, illi adhaerendum, hanc vero negligendam. Quod si in aliis casibus officium faciens, nonnisi post intonationem genuflectit, nil contra datum responsum deducitur. Casus enim noster est omnino alius. 1. Quia in aliis casibus hymni praeintonantur, hic vero Pontifex sine ulla praeintonatione intonat. 2. In aliis casibus officium faciens non est ad altare conversus, sicut in casu nostro praescribitur. 3. Finis intonationis, et cantus totius hymni, minus gravis est in aliis casibus, quam in nostro. 4. Denique lex in casu praesenti alia est a lege, quae pro

aliis casibus loquitur. Neque obiicias, cantum postulare ut Episcopus stet, potiusquam ut genuflectat; quia agitur de simplici intonatione, quae sine incommodo fieri potest genibus flexis, et quam reliquus sequitur hymnus genibus pariter flexis dicendus: ceterum contra legem certam non est interpretatio facienda. Ergo Pontifex, sine mitra et pileolo genuflexus ante altare, intonabit hymnum *Veni Creator Spiritus.*

V. *E Galliis.* **De non omittendo** *Flectamus genua* **in Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes ad Ordinationem.** In ritibus, qui habentur in Pontificali Romano pro collatione Ordinum, habetur *Flectamus genua.* At nonne, si Ordinatio habenda sit in Sabbato ante Pentecosten, omittendum est? Certe in Missa huius diei omittitur: quidni et in Ordinatione?

Resp. Verba *Flectamus genua*, non omittenda, sed dicenda sunt in Ordinatione, etsi locum haec habeat in Sabbato Pentecostes. 1. Quia lex Rubricalis non distinguit, sed in omnibus et singulis Ordinibus ponit, *Flectamus genua:* nihil autem innuit de eiusmodi omittendo ritu in Ordinatione, quae fit in Sabbato Pentecostes. Cum ergo lex non distinguat, nec nos distinguere debemus. 2. Pontificale Romanum *De Ordinibus conferendis* satis prolixam minutamque exhibet instructionem circa Ordinantes, Ordinandos et ea quae, sive ab Episcopis, sive a clericis initiandis servanda sunt; et nihilominus de praefato, in Sabbato Pentecostes, omittendo ritu altum silentium servat. Ergo quocumque tempore Ordinatio sit habenda, praefatus ritus non est omittendus. 3. Aliud est Missa, aliud est Ordinatio: in Missa Sabbati Pentecostes omittitur *Flectamus genua*, quia non praescribitur

ratione temporis adhuc paschalis, uti ex Ordine Romano ait Gavantus (*Pars IV, Tit. XI, n. 25*); sed in Ordinatione dicendum est more solito, uti in aliis temporibus, ex peculiari ratione Orationis pro Ordinandis, quae eadem semper est. 4. Denique, haec Lateranensis Ecclesiae praxis semper servata, quae et adhuc iure merito servatur, dictisque de causis servabitur.

VI. *Ex Urbe.* **De altari in quod Sacramentum transferri et reponi debet feria V in Coena Domini.** Altare, seu cappella, in quam feria V in Coena Domini Sacramentum est transferendum et recondendum, esse ne potest ipsum altare maius?

Resp. Distinguendum est, aut altare chorale est ipsum altare princeps, aut aliud diversum, in quo functiones peraguntur. In prima hypothesi respondemus absolute, negative: in altera, affirmative. De hac secunda responsionis parte non credimus disputari posse; quia altare maius *per se* optime respondet fini, quem Rubrica in Sacramenti translatione et repositione huius diei intendit: hoc per se patet. Eapropter, si altare chorale, ubi peraguntur officia in triduo maioris hebdomadae, non sit maius, sed aliud ad solemniores functiones destinatum, nil vetat quominus altare princeps ornari possit iuxta Rubricam Missalis, in eoque Sacramentum in capsa repositum publice adorationi exponi. Si vero in altari principe officia peragantur, eodem uti ad Sacramentum solemniter reponendum et adorandum est omnino contra legem. Audias namque Rubricam pro feria V in Coena Domini: « Hodie paretur locus aptus in aliqua Cappella Ecclesiae, vel altari... ubi calix cum Hostia... reponatur. Finita Missa..., fit processio... usque ad locum

praeparatum, ubi pro crastino (*Sacramentum*) reponendum est ». Qua Rubrica cum altera collata pro feria VI in Parasceve, quae loquitur de processione instituenda ab altari, ubi repositum fuit calix cum Hostia consecrata, ad aliud ubi Sacerdos Missam praesanctificatorum facere debet, luce meridiana clarius ostenditur, dicta duo altaria esse debere omnino distincta. Hinc Gavantus de altari, in quo Sacramentum reponi debet, verba faciens, et Rubricam « Hodie paretur locus » commentans, ait: « Omnino debet esse distinctus ab altari, in quo fuit celebratum (*Pars IV, Tit. VIII, Rubr. 9, lit. f.*) ». Similiter De Herdt notat: « Locus ille... infra Ecclesiam esse debet, sed distinctus ab altari, in quo celebratur, ad faciendam processionem praescriptam (*Pars 5, 39*) ». Atque ita communiter universi auctores, ut controversiae obnoxius esse nequeat Rubricae sensus.

Ceterum; ponas dictum altare non esse diversum, sed idem, quid habebitur? 1. Manifesta legis infractio, cum perspicua ipsa sit, omnesque in ea intelligenda expositores conveniant. 2. Irreverentiae sine numero in SS. Sacramentum, seu feria V in Coena Domini tam in matutinis quam in vespertinis officiis, seu feria VI in Parasceve in officio matutino. 3. Dato autem, has irreverentias vitari posse, Caeremoniale pro dictis officiis oporteret efformare, quod novitatem saperet et singularitatem contra liturgicos Codices. 4. Quomodo sine continuis distractionibus ac dissipationibus fideles possent propriae devotioni satisfacere, qui frequentissime accedunt ad Ecclesiam, almum Eucharistiae Sacramentum solemniter adorationi propositum veneraturi? Ea propter omnino concludimus,

esse prorsus vetitum in eodem chorali altari Sacramentum reponere ad publicam adorationem, ubi peraguntur officia; quinimo, post dicta addimus, esse abusum non sustinendum eliminandumque. Quid autem dicendum, si altare princeps esset quidem chorale, ubi peraguntur officia, sicuti semper, ita et mane feriae V in Coena Domini; sed Missa haberetur in alio altari satis a chorali remoto, ut Sacramentum solemniter ad adorandum ea die propositum in ipso altari principe collocetur? Reponimus: hoc esset novissimus error peior priore. 1. Quia, licet Missa canatur in alio altari, nihilominus chorus habetur in principe, in quo collocaretur Sacramentum: iam autem demonstratum est, Sacramentum esse colocandum in altari diverso a chorali. 2. Cum altare maius sit semper chorale, ubi Missa conventualis agitur, et in casu tantum Missa in alio canitur, manifestum patet legis eludendae propositum. 3. Inconveniens est vitandum, nisi necessitas oppositum consulat, ut Missa canatur in alio altari quam in chorali, maxime quando duo altaria nimis inter se distant, ut in casu. 4. Si consuetudo hanc novitatem non ferat, eadem novitas eo ipso maximopere reprobanda. 5. Denique clerus in casu, peracto officio, necessario procedere debet ab altari chorale ad aliud secundarium, in quo Missa facta est, ut iterum revertatur processionaliter ad altare chori: quod novus est ritus non inducendus, et Rubricae peculiari aperte contrarium, uti facile perpendenti patebit. Brevi, huiusmodi agendi ratio literae et spiritui legis, ipsique recto sensui liturgico evidentur adversatur, nec irreverentiae occurrit in almum Sacramentum, de qua superius dictum est.

BREVIORA RESPONSA.

I. *Pro Dioecesi Engolismensi.* Missae privatae de requie die vel pro die obitus, etsi in duplici, ita indultae sunt a S. R. C. ut sint veluti additum Missae solemni vel cum cantu, quae dicta die haberi debet. Namque sicuti cantata, dictae Missae in die vel pro die obitus tantum permittuntur (*Decr. Gen. d. d. 8 Iun. 1896*); ergo tunc tantum censendae sunt indultae, cum Missa cum cantu locum habet: eoque magis, quia cadaver vel physice vel moraliter praesens esse debet (*Decr. Romana, 12 Ian. 1897 ad*), videlicet aut una, aut altera die, haud vero in utraque, neque divisim sed simul, sive ante, sive post cantatam, aut etiam ea perdurante.

II. *Pro eod. loco.* Anniversaria stricte sumpta fuerunt olim, quae a testatoribus fundata quotannis et vere a die obitus recurrebant, aut saltem statuta die in perpetuum fundata erant. Impraesenti ea sunt, quae vere hanc ultimam tantum retinent conditionem. Ergo ea quae hac quoque conditione destituuntur, late sumpta dicuntur: puta, quae Capitula, vel Communitates religiosae, aut Confraternitates die fixa vel mobili infra annum celebrant.

III. *Pro Senogallia.* Functione Confirmationis expleta, videlicet post verba « Benedicat vos Dominus etc. » Pontificalis Rubrica ait: « Expedita itaque Confirmatione, Pontifex sedet, accepta mitra » ; ergo ad praefata verba « Benedicat etc. » videretur ea non esse a Pontifice tenenda. Nihilominus in praefatis verbis Pontifex Confirmatos benedicit more solito. Atqui Ponti-

fex dum benedictionem impertit, de more Mitra induitur; ergo. Atque ita credimus esse agendum, salvo meliore iudicio.

IV. *Pro eod. loco.* Episcopo post assistentiam in cappa ad Missam solemnem de requie volente absolutionem facere circa tumulum, Presbyter et Diaconi assistentes non sumunt de more paramenta coloris nigri. Caeremoniale enim Episcoporum ait in casu: « Finita Missa, *Episcopus solus*, deposita cappa, apud sedem suam parabitur pluviali nigro etc. *(Lib. II, cap. XXXVI, n. 3).* »

V. *Pro Derthona.* Verba Pontificalis « genuflectunt » pro S. Chrismate; et « salutant » pro S. Oleo, indicant genuflexionem, saltem ex communi usu. Nam « salutant » in genere, secundo loco positum est ad eamdem reverentiam, nempe genuflexionem significandam, quam primo loco specifice posuit. Haec romana consuetudo.

VI. *Pro Dioecesi Septempedana.* In feria IV Cinerum, anno 1898 occurrente vigilia S. Mathiae, huius quidem fit com. in Missa. sed non legitur Evangelium. Namque ait A Carpo: « In fine Missae nunquam legitur Evangelium vigiliae, cuius homilia in officio, non *per accidens*, sed *per se* omissa fuit *(V. Calend. Perp. Adnotat. in festa Febr. 23, n. XII)* », uti in casu praecise accidit.

VII. *Pro eod. loco.* Editiones emendatiores Missalis, uti ex. gr. editio Desclée (1896) de qua S. R. C. testatur: « Haec editio cum typica plane concordat », in Missa B. Mariae V. de Misericordia, non « Et te in apparitione », sed « Et te in festivitate » notant; ergo...

VIII. *Pro eod loco 1.* In dubio an publica Ora-

toria rite ac solemniter fuerint benedicta, Ordinarii est decernere utrum praesumptio stet pro an contra, ita ut celebrari possit cuiusque Titularis festum sub ritu duplici I^ae^ classis cum octava iuxta Decreta.

2. Idem dicendum de Oratoriis Confraternitatum, etiamsi quotidie non pateant fidelibus, dummodo sint vere publica. Requisita porro ad Oratorium retinendum publicum invenies in hisce *Ephem. Liturg.* an. 1896 pag. 46, 47.

IX. *Pro Ebroicis.* Quando festum agitur alicuius ex Sanctis, qui nominantur in Canone, indubie caput inclinandum est, sive sit duplex, sive semiduplex, sive etiam simplex, vel instar simplicis redactum. At si festum quoad officium sit transferendum ex una die in aliam, vel de eo nihil fieri possit quia agendum est de duplici I classis, dictum festum non recolitur illa die ; ergo neque caput inclinandum est.

X. *Pro eodem loco.* Sacerdos celebrans in aliqua Ecclesia tenetur illius officio suam conformare Missam. Quod etiam comprobatur quodammodo quando illius officium est semiduplex ; quia exterus ideo Missam votivam vel de requie, vel suo conformem, vel Ecclesiae officio celebrare potest, eo quod eiusmodi Missas dictae Ecclesiae ritus permittit: idem dicas de Oratorio publico. Ergo in casu Missa de requie dicto Sacerdoti extero permittitur, sicut permitteretur eodem in casu in Ecclesia sua. Atqui Sacerdos celebrans in sua Ecclesia, gaudens privilegio personali altaris privilegiati, privilegio frui nequit nisi Missam de requie dicat quando eam ritus permittit ; ergo neque eodem frui potest privilegio in pari casu, celebrans in Ecclesia aliena.

XI. *Pro Agrigento*. Decretum in *Neapolitana*, d. d. 13 Iun. 1676 ad 3, dicens: « An Diaconus et Subdiaconus *debeant* adiuvare Celebrantem dum sacras vestes induit? Negative, » non significat, dictos ministros a Celebrante adiuvando in sacris induendis vestibus prohiberi, sed tantum ad id praestandum non esse obligatos. Quod tamen Decretum, sciat adm. rev. consulens, fuisse mutatum in nova, quae paratur, Collectione; atque ita ordinatum esse negotium, ut, si a consuetudine abstrahas, Diaconus et Subdiaconus ad Celebrantem in sacris paramentis induendis adiuvandum teneantur. Haec sint satis.

XII. *Pro Curenna*. Inter officia impedita transferenda, illud prae aliis eiusdem ritus prius transferri et reponi debet, quod est primarium, dignitate etiam alterius posthabita, si sit secundarium. Hinc in casu reponendum est die prima libera officium S. Gabrielis Archangeli, secundo autem loco officium pretiosissimi Sanguinis, ultimo denique officium B. Mariae a Misericordia nuncupatae. Haec enim duo, cum secundaria sint, reponenda sunt iuxta dignitatem, ordine temporis neglecto.

XIII. *Pro Legione in Hispania*. 1. In Ecclesiis Monialium in quibus, defectu Ministrorum, Sacrae functiones maioris hebdomadae fieri nequeunt, a Sacrorum R. Congñe facultas expetenda est, ut peragi valeant servata forma parvi Ritualis S. M. Benedicti XIII, editi pro minoribus Ecclesiis Parochialibus, an. 1725.

2. Aliae functiones, nempe Benedictionis Candelarum, Cinerum, Palmarum, ut iuxta idem Rituale peragantur, non opus est speciali facultate: sed nisi copia sit sacrorum Ministrorum, iuxta illud semper et ubique expleri possunt.

XIV. *Pro eod. loco.* Die Octava Dedicationis Ecclesiae, iuxta Rubricam specialem Breviarii Romani, Lectiones I Noct. recitari debent ut in die festo (*S. R. C. 5 Mart. 1736, alia Dub., ad 6 et 16 Septemb. 1741*).

XV. *Pro eod. loco.* In vigilia Immaculatae Conceptionis, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis celebranda est Missa de festo et altera de Vigilia, iuxta generales Rubricas; quoad colorem nullimode recedendum ducimus ab iis, quae mense proxime elapso diximus pag. 306: ita ut, salvo meliori iudicio, quod nemo hucusque pandit, color violaceus non sit adhibendus, sed *albus.* Ex eo quod hymnus *Gloria in excelsis* in praefata Missa ex speciali Rubrica excludatur, non sequitur colorem violaceum adhibendum, quemadmodum nemo dicet violaceum colorem adhibendum in Missis Votivis eiusdem B. M. V. eo quod in ipsis extra diem Sabbati hymnus praedictus omittendus sit.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro Mense Iunio propositae

PROPOSITIO.

Si Pyxis a Celebrante purificari debeat, quandonam id illi erit agendum, ante ne, an post sumptionem Sanguinis iuxta Rubricam Missalis rectumque sensum liturgicum?

SOLUTIO.

Ciborii purificatio certe fieri debet post sumptionem Sanguinis, et Rubrica Missalis non patitur, nec et rectus sensus liturgicus, illam haberi ante praefatam sumptionem.

a) *Primo* Rubrica, ut serius perpendenti patet, non ullum supponit locum liberum ante sumptionem Sanguinis ad di-

ctam Pyxidis purificationem: « *Sumit reverenter*, inquit Ordo « Missae, *ambas partes hostiae... quiescit aliquantulum in « meditatione sanctissimi Sacramenti. Deinde discooperit Ca- « licem... colligit fragmenta, si quae sint, extergit Patenam « super Calicem... accipit Calicem... sumit totum Sangui- nem cum particula* ». Unde ex contextu ipsius Rubricae ita coniungenda est communio sub utraque specie, ut nihil separare debeat unam ab altera, nisi quod est ad reverentiam Sacramenti ut aliquantula meditatio, vel quod ad perfectionem sacrificii requiritur, ut collectio fragmentorum quae ad idem Sacrificium spectant. Ergo non ibi fieri debet Ciborii purificatio.

Dicit quidem Ritus servandus Tit X, n. 5 quod « *si « vero adsint hostiae consacratae super Corporale positae, pro « alio tempore conservandae, facta prius genuflexione, reponit « eas in vas ad hoc destinatum, et diligenter advertit ne « aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat « super Corporale. Quod si fuerit, accurate reponit in Cali- « cem, et... supponens Patenam Calici stans reverenter « sumit totum Sanguinem* ». Sed quid contra nos? Nihil, terque quaterque nihil. Quippe hic agitur de simplici in Ciborio repositione hostiarum in eadem Missa super Corporale consecratarum, et insuper de casu ubi nemo simul adsit communicandus, non autem de purificatione Pyxidis, quae sane indicaretur, si iam ibi agenda esset, sicut et expresse imperatur Corporalis purificatio. Ambo enim sunt eiusdem momenti, et nulla ratio est cur una potius quam altera sub silentio praetermitteretur, si duae aequaliter essent ibidem faciendae. Hinc Rubrica nunc supponit vas ex omni parte praeparatum ad recipiendum hostias quin purificatione egeat, et communionem non esse populo distribuendam.

« *Si qui sunt communicandi in Missa,* ait Titulus X, « n. 6, *Sacerdos post sumptionem Sanguinis... ponat parti- « culas consecratas in Pyxide, vel si pauci sint communican- « di, super Patenam, nisi a principio positae fuerint in Py- « xide* », Et reversus post Communionem ad Altare, *si particu- « lae positae erant super Corporale, extergit illud cum Patena, « et si qua in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit* ».

Unde vides quod, in casu Communionis populi, etiam in Ciborio reponi non debent particulae consacratae nisi post sumptionem Sanguinis. Quomodo iam igitur eveniret ex Rubrica, purificationem Pyxidis fieri debere ante sumptionem Sanguinis?

Obstat aliunde ipsum Rituale Romanum quod, postquam dixerit, Tit. IV, cap. II, n. 11: « *Sacerdos, sumpto sacratissimo Sanguine, antequam se purificet ponat particulas consecratas in Pyxide, vel si pauci sint communicandi, super Patenam . .* » expresse declarat: « *Sanctissimae Eucharistiae particulas frequenter renovabit, hostiae vero seu particulae consecrandae sint recentes, et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat vel sumat* (cap. I n. 7). » Non enim intelligeretur purificatio Pyxidis ante distributionem veterum hostiarum; et nemo dicet illas quoque sumi posse ante sumptionem Sanguinis. Quod confirmatur ex decreto S. R. C. quae, si hostiae integrae in Ciborio supersint, mandat prius distribui aut sumi, et deinde propterea Pyxidem tantum purificari ut reliquae sumantur cum purificatione Calicis (*S. R. C. 5 Sept. 1672, n. 2602 ad 3*). Ergo Rubrica non patitur Pyxidis purificationem ante sumptionem Sanguinis.

Clamat enim ratio sana non esse perturbandum aut immutandum ordinem caeremoniarum, quae servandae sunt in celebratione Missae, praesertim in momentis pretiosissimis. Porro ex Ordine Missae vidimus purificationem Ciborii non fieri posse ante sumptionem Sanguinis, quin per talem adiunctionem perturbaretur ritus servandus in Communione sacerdotis, quae post Consecrationem est momentum sacrificii augustissimum. Ergo non est hoc instanti agenda Pyxidis purificatio.

Item, dictat sana ratio quod non sint inutiliter vel sine necessitate multiplicandae purificationes Corporalis. Sed quando Pyxis est perfecte disposita ad recipiendum hostias, et nullus est communicandus in Missa, repositio illarum in Ciborio est facilis et prompta, et Corporalis purificatio recolligit omnia, quae ad idem sacrificium spectant. Itaque in casu hostiae super Corporale consecratae reponuntur in Pyxide ante sum-

ptionem Sanguinis, et sic explicatur dispositio Tit. X, n. 5.

Similiter, non sunt multiplicandae sine aliqua utilitate transpositiones hostiarum super Altare consecratarum: unde, si communio populi facienda sit, iam rectus sensus liturgicus non sinit hostias super Corporale positas, in Ciborio recondendas esse ante sumptionem Sanguinis; quia vix inibi inclusae, statim extrahendae forent pro fidelium communione, et sic explicatur altera dispositio Tit. X, n. 6.

Denique, omni cogitanti liquet quod purificatio Pyxidis ante sumptionem sanguinis nimium distraheret sacerdotem a Communione sua, quae nonninsi per sumptionem Sanguinis clauditur. Si insuper sacrae species debeant saepe innovari ad praecavendum corruptionis periculum, rectus quoque sensus liturgicus requirit ut ad idem periculum avertendum novae cum veteribus hostiis non permisceantur: nam aliter facile posset relinqui vetus hostia, quae tunc corruptioni certae exponeretur. Caeterum, post communionem fidelium extrahi deberent hostiae ad purificationem Pyxidis, ut saltem vetera hostiarum fragmenta non corrumpantur, et iam vides plura inutiliter facta fuisse, reponendo hostias in Ciborio ante sumptionem Sanguinis, et quidem non sine quadam irreverentia erga Sacramentum, quod sine necessitate tangere non decet, cum duabus vicibus reponere sacerdos debeat hostias in Ciborio, una vice illas extrahere, et non vitetur altera Corporalis purificatio post fidelium communionem.

c) *Tertio* accedunt auctores in re liturgica periti, inter quos: Quarti, Part. II, Tit. X, sect. 2, dub. 2; S. Liguori in suo opere: Caeremon. Miss. Part. I, cap. X, n. 8, cap. XI, n. 6; De Herdt, T. I, n. 278 ad 3, 281 ad 2, et 282: Felix Zualdi in suo Caeremoniali Missae privatae, Part. III, cap. I, n. 5; et D. Le Vavasseur in suo opere: *Cérémonial selon le rit romain*, Part. V. n. 143 et 144, qui sequentia unanimiter docent, nempe:

Si hostiae consecratae super Corporali positae sint, et « nullus adsit communicandus, *neque pyxis purificanda*, Sa-« cerdos meditatione post sumptionem S. hostiae peracta, ante « discooperitionem Calicis.... genuflectit, et erectus hostias in

« Pyxidem ponit.... Si S. Communio sit distribuenda *aut* « *Pyxis purificanda*, S. hostiae super Corporali consecratae, « in Pyxidem tantum ponuntur post sumptionem S Sangui- « nis (De Herdt, n. 278). »

« Si hostiae integrae in Pyxide supersint, *easdem post « sumptionem S. Sanguinis prius distribuit aut sumit, et « deinde Pyxidem purificat*.... et novas species in eam im- « ponit (De Herdt, n. 282). »

« S'il faut purifier un Ciboire qui doit être emporté à « la Sacristie, le prêtre le purifie comme il est dit au numero « précédent, » c'est à dire après avoir pris le précieux Sang (Le Vavasseur, n. 144.) »

« Pyxis est purificanda toties, quoties S. Species réno- « vantur : eadem enim ratio militat in utroque casu », id est iuxta S. Ligorium, « saltem singulis quindecim diebus, post « sumptionem Sanguinis (cap. XI, n. 6.) »

« Quae hoc numero dicta sunt, applicanda quoque sunt « S. hostiae in Ostensorio seu remonstrantia positae, quae intra « idem tempus renovari debet (De Herdt, n. 283). »

Hinc quicunque sit modus purificandi Pyxidem, qui non est ad rem, purificatio fieri non debet iuxta Rubricam et re ctum sensumli turgicum, nisi sumpto pretioso Sanguine, et reiiciendos arbitramur omnes modos in contrarium ab auctori bus, si forte sint, assignatos.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Romana
Curé de Lannes. (Diocèse de Langres)

QUAESTIO SOLVENDA
pro mense Augusto.

Qua de causa minister in Missa privata osculetur, vi Rubricae, ampullam vini, et an ampullam aqua e osculari quoque debeat? Et num inferiores in privata, et superiores ministri in cantata Missa, osculari toties dictas ampullas debeant, quoties eas, aut cum iis ministrant Celebranti?

RITUS SERVANDUS
IN CORONATIONE
IMAGINIS BEATAE MARIAE VIRGINIS

Pontifex indutus pluviali albi coloris et mitra, pergit ad altare, praecedente Clero, ibique sistens in plano, Cruci profunde inclinat: deinde ascendit super pradellam et, deposita mitra, coronas super mensam altaris positas benedicit, dicens:

Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta,

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cuius clementissima dispensatione cuncta creata sunt ex nihilo, Maiestatem tuam supplices deprecamur: ut has Coronas pro ornatu Sacrae Imaginis Unigeniti Filii tui Domini Nostri Iesu Christi, et eiusdem Genitricis Beatissimae Virginis Mariae fabricatas bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Si una tantum corona benedicenda sit, loco praedictae Orationis dicatur sequens:

Omnipotens sempiterne Deus, cuius clementissima dispensatione cuncta creata sunt ex nihilo, Maiestatem tuam supplices deprecamur: ut hanc Coronam pro ornatu Sacrae Imaginis Beatissimae Virginis Mariae fabricatam bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris. Per Cristum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Pontifex deinde sedens imponit incensum in thuribulo illud more solito benedicet: tum surgens aspergit Coronas aqua benedicta, et illas thurificat.

Inde, accepta mitra, descendit, et ante Altare genuflexus intonabit Antiphonam:



Quam Cantores modulatis vocibus prosequentur.

Interim Pontifex surgens, et mitra ornatus paratos gradus ascendet. Ante Sacram Imaginem mitram deponit, et accepta una ex Coronis, accedat propius, et caput Imaginis D. N. Iesu Christi eadem Corona ornabit dicens:

Sicuti per manus nostras coronaris in terris; ita et a Te, gloria, atque honore coronari mereamur in coelis.

Quando alia Corona benedicenda non sit, absoluta antiphona *Regina coeli*, Pontifex omissa praedicta formula: Sicuti per manus etc. pro coronatione Imaginis pueruli Iesu, accipit Coronam benedictam, et sequentem tantum recitat formulam:

Sicuti per manus nostras coronaris in terris, ita et per Te a Iesu Christo filio tuo gloria, atque honore coronari mereamur in coelis.

His expletis, Pontifex descendet cum mitra, et ante Altare deposita mitra, imponet thus in thuribulo, eoque benedicto, Sacram Imaginem stans triplici ductu thurificabit.

Deinde subdet:

℣. Corona aurea super caput Eius.

℟. Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

℣. Coronasti Eam, Domine.

℟. Et constituisti Eam super opera manuum tuarum.

Oremus.

Praesta, misericors Pater, per invocationem Genitricis Unigeniti Filii Tui Domini Nostri Iesu Christi, quem pro salute generis humani, integritate Virginis Mariae servata, carnem sumere voluisti, quatenus precibus eiusdem Sacratissimae Virginis, quicumque eamdem misericordiae Reginam,

et gratiosissimam Dominam nostram coram hac Imagine suppliciter honorare studuerint; et de instantibus periculis eruantur, et in conspectu divinae Maiestatis tuae de commissis, et omissis veniam impetrent, ac mereantur in praesenti gratiam, quam desiderant adipisci, et in futuro perpetua salvatione cum electis tuis valeant gratulari. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Tum intonabit Hymnum:



℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Si Pontifex Missam celebrare voluerit, post Orationem *Placeat* intonat in gratiarum actionem Hymnum *Te Deum* etc., et postea fidelibus adstantibus solemniter benedicit: deinde, publicata Indulgentia, si a Summo Pontefice concessa fuerit, iuxta verba in Litteris Apostolicis expressa, Pontifex recitat, more solito, Evangelium S Ioannis.

Si per triduum aut per octiduum solemnitas protrahatur, Hymnus *Te Deum* ultima tantum functionum die cantabitur.

Concordat cum originali adprobato. — In fidem etc.

Ex Secretaria Sacrae Rituum Congnis Die 29 Martii 1897.

DIOMEDES PANICI, S. R. C. Secretarius.

ELUCIDATIO
SUPER VERBA « DICITE NOCTURNUM *TALIS* DIEI »

In num. 5 Ephemeridum quaestio resoluta fuit a cl. Academico A. Fourneret super intelligentia verborum « dicite nocturnum talis diei », quae ad Diaconos et Subdiaconos post Ordinationem dirigit Episcopus. Nunc optatur, ut Decretum de hoc argumanto agens in hisce paginis inseratur. Votis annuimus, sed Decreti, quod est *in Gratanen.* Dubium tantummodo IX referimus, aliis omissis, vix communis utilitatis. Quinimo dictum Dubium cum suo relativo Voto notum facimus, ut magismagisque utile possit evadere. Responsum Sacri Tribunalis referre censemus inutile cum idem ad litteram sit, quae in Voto prostat. Dies inscripta Decreti est 11. Aug. 1860.

DUBIUM IX.

Pontificale romanum in titulo de ordinatione presbyteri prope finem preces designat ab Episcopo ordinante singulis ordinandis iniungendas, deque subdiaconis et diaconis loquens sic ait: « Ad subdiaconatum et diaconatum (promoti) nocturnum talis diei ». Super huius clausulae genuino sensu theologi non consentiunt, quin potius in diversas abeunt sententias. Ut ergo quid certi tenendum sit pateat, orator ab hac S. Congregatione petit:

1. Utrum per nocturnum talis diei necessario intelligi debeat totum officium nocturnum de tempore, sive matutinum et laudes eius diei in qua Ordines conferuntur, sive unum nocturnum habeat, ut in sabbatis quatuor temporum et in sabbato passionis, sive tres, ut in Sabbato Sancto et in festis et dominicis, in quibus ordines extra tempora conferuntur; an vero in hoc casu matutinum de tempore absque laudibus intelligendum veniat?

2. Utrum in potestate Ordinantis sit iniungere unum tantum nocturnum, quem maluerit, sive officii de tempore, sive de Sanctis, quod ipsa die occurrat?

3. Utrum iniungere possit unum nocturnum de officio defunctorum, vel parvo B. M. V., vel de alio Sancto?

4. Quando Episcopus ordinans nihil aliud exprimit, quam quod verba Pontificalis sonant, utrum in potestate Ordinato-

rum sit recitare tantum vel unum nocturnum de tempore eius diei, in qua ordines receperunt, vel quemlibet alium nocturnum sive de tempore, sive de Sanctis illius diei, in qua preces iniunctas adimplere voluerint?

§ 1. *Resp.* Non est profecto nobis animus diversas hic enumerare et expendere sententias, in quas abeunt theologi super genuino sensu illius clausulae quam adhibet Pontificale romanum: « Ad subdiaconatum et diaconatum (promoti) dicite nocturum talis diei. » Quid enim proderit, studiosius inquirere et laboriosius expendere argumenta singulorum scriptorum etiam gravissimorum, super re, in qua ex hoc ipso, quod dubia videantur verba quibus enunciatur, et quod super ea nihil, quod pateat, ab ecclesiastica lege, aut S. Congregationis oraculo definitum sit, impune quilibet potest in suo sensu abundare?

§ 2. Res est de facto: seu reducitur ad meram interpretationem eorum verborum. Sat igitur erit ex sanioris criticae regulis certiorem, quantum liceat, interpretationem inquirere, et Pontificalis proposita verba iuxta liturgicas formulas, et usitatiorem ipsius Pontificalis praxim, seu loquendi usum paulisper perpendere, relictis subtilioribus tantorum auctorum disquisitionibus, quorum tamen auctoritate quandoque utemur, ubi res postulaverit. Summa huius interpretationis ad duas tantum voces reducitur, nempe, quid per nocturnum, quid per vocem *talis* intelligendum sit. Haec ubi assecuti fuerimus, confidimus certe ad quatuor propositas quaestiones responsum facile patere.

§ 3. Ad primum itaque quod attinet, sive ut assequamur quid veniat nomine nocturni, recolenda est prisca Ecclesiae disciplina quae in horarum canonicarum recitatione servabatur, seu quomodo dispertirentur, quo tempore recitarentur, quo appellarentur nomine, et quid progressu temporis variatum vel inductum fuerit. Et quoniam haec praeter caeteros dilucide simul atque erudite tractantur, quantum ad nos spectat, a Merato in suis observationibus et addit. Ad Gavantum sect. IV, cap. 1, placet ipsius Merati verbis rem totam exponere relate ad eos articulos, qui quaestioni nostrae lucem infundent. Ait

itaque praeclarissimus auctor loco citato de matut. c. 1, n. 1: Horae canonicae nocturnae seu officium nocturnum ita appellatum est, quia noctu recitabatur: « In noctis officio, sic prose-» quitur ib. n. III, unicus erat priscis temporibus nocturnus, » qui constabat duodecim psalmis, quemadmodum etiam nunc » in feriali officio, et in primo dominicae nocturno fieri solet, » sed quia dominica dies tota Deo colendo atque laudando » sacra esse debet, coeperunt monachi noctem, quae dominicam » praecedit, orando transigere. Tradit etiam Cassianus lib. 3, » cap. 3: monachos Aegyptios tribus diversis noctis tempo-» ribus diebus dominicis orasse, quibus opus facere non lice-» bat; contra vero diebus reliquis quibus opus faciebant, » semel tantum per noctem orasse Eas noctes in partitis distin-» guunt officiis; post aliquot psalmos decantatos, tres lectiones » perlegebant, idque tribus diversis temporibus per noctem re-» petebant, quae res tres nostros dominicae nocturnos profecto » demonstrat: non solum dominicis diebus, sed etiam prae-» cipuis anni festis noctis officium in tres nocturnos divideba-» tur, sed haec festa olim exiguo erant numero, et idcirco » trium nocturnorum officia minus frequentia erant, et nullo » negotio tres nocturni plerisque festis tributi fuere etc. »

§ 4. Maxime autem attendendum est, quod mox subiungit: » Tres nocturni isti qui tria diversa noctis officia constitue-» bant, non solum apud monachos maiori pietatis ardore » ferventes, sed etiam apud clericos in Ecclesiis cathedralibus, » diversis horis, diversis noctis vigiliis correspondentibus reci-» tabantur; sed tepescente et clericorum et monachorum » fervore factum fuit, ut nocturni non separatim, ut ante, » sed continenter una cum laudibus decantarentur, et ex » tribus vigiliis una solum texeretur etc. ».

§ 5. Neque id satis, sed progressu temporis id quoque factum est ut tres illos nocturnos, quos simul cum laudibus, in una tantum vigilia, id est, media nocte recitabant, ad ultimam vigiliam, seu prope lucem transtulerint, ne noctu consurgerent: « Initio decretum erat, subiungit laudatus auctor » (ibid.) ut media nocte surgentes (clerici et monachi) offi-» cium nocturnum tunc temporis cum laudibus coniungerent,

» qui mos etiam nunc apud quosdam regulares perseverat;
» sed cum nec onus illud surgendi media nocte clerus tolera-
» ret...., hoc saltem obtinuerunt Ecclesiarum praesides, ut ul-
» tima noctis vigilia clerici ad matutinum recitandum surge-
» rent, ut iam fieri solet in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis. » Ex qua trium nocturnorum et laudum coniunctione matutinum prodiit, cuius denominationis hanc affert rationem eruditus Meratus: « Hoc idem officium (nocturnum, seu tres nocturni) plerumque matutini nomen usurpavit, quia laudibus coniunctum est, quae summo mane recitari solebant. »

§ 6. Ex his quae ex Merato adduximus pronum est colligere: 1. Eam officii partem quae noctu recitabatur appellatam fuisse nocturnum, et hunc priscis temporibus unicum fuisse, qui duodecim psalmis constabat, prout nunc, tum in feris, tum in dominicis quoad eam partem quae primum nocturnum eiusdem dominicae constituit. 2. Deinde in nocte quae dominicam et praecipua anni festa praecedebat, fervescente pietate, tres distinctos nocturnos invectos fuisse, qui tribus distinctis temporibus recitabantur, et ad singulos nocturnos lectiones additas. Ex hoc autem explicitam distinctionem inter nocturnum et nocturnos luculentissime patere, quae pro re nostra sedulo advertenda est. 3. Hanc consuetudinem apud monachos invectam, clericos etiam charitatem sectantes et spiritalia exercentes laudabiliter amplexos esse, et eodem pietatis fervore servasse. 4. Hoc fervore autem tepescente inceptum esse tres illos nocturnos continenter seu unum post alium pone coniunctos recitari, quin ternis distintis vicibus ad orandum convenirent. 5. Tandem ne noctu consurgerent, recedentibus iam umbris, sive unum sive ternos nocturnos recitari incepisse adiicientes continenter laudes, et sic factum esse, ut nocturnus ille sive nocturni, matutini nomine appellarentur, quia simul cum laudibus summo mane recitabantur.

§ 7. Quod vero ad rem nostram ex hactenus expositis maxime notamus, illud est, quod ex primitivo ac genuino Ecclesiae loquendi more, res sunt omnino inter se distinctae, nocturnus, nocturni, et matutinus, adeo ut quaelibet ex iis vocibus separatim sumpta, et ex se sola propriam ac veram habeat

significationem. Quis vero non intelligit in praesenti horarum canonicarum disciplina, hodiernum feriale officium, atque ipsum primum dominicae nocturnum adamussim referre priscum illum nocturnum, qui constabat duodecim psalmis? Quis demum iure non inferet nihil obstare quominus exposita vox Pontificalis: « dicite nocturnum »: obvia ac naturali oratione intelligenda sit de unico nocturno ferialis offici, vel de primo officii dominicalis nocturno, quorum uterque constat duodecim psalmis?

§ 8. Huc nostrae sententiae non leve suffragium accedit ex praxi, seu ex usitato loquendi modo Breviarii romani in suis rubricis generalibus tit. XIII, de matutinis, ubi, agens de iis quae ad matutinum per ordinem regulariter dicuntur secundum diversitatem officii, probe ac sigillatim distinguit nocturnum, a nocturnis, aliuds ignificans per nocturnum in numero singulari, aliud per nocturnos in numero plurali. Inquit enim n. 2: « In duplibus etsemiduplicibus dicuntur novem psalmi... per tres nocturnos distinctos, » aliud quos singillatim partitur n. 3: *In primo nocturno dicuntur tres psalmi etc.* deinde n. 5: *In secundo nocturno dicuntur alii tres psalmi etc.* et demum n. 6: *In tertio nocturno alii tres psalmi etc.* Deinceps loquens de officio trium lectionum praescribit nocturnum feriae ut in psalterio, id est duodecim psalmi cum sex antiphonis, et tempore paschali cum una antiphona *alleluia.* Clarius etiam id constat ex eodem Breviario in officio Ascensionis Domini, et in officiis Paschatis et Pentecostes. Siquidem in primo, ut significet plures nocturnos, in assignandis antiphonis cuiuslibet nocturni praemittit ad instar rubricae: *in I noct. antiph. etc., in II noct. antiph. etc., in III noct. antiph. etc.* E contra vero in officiis Paschatis et Pentecostes in quibus unicus est nocturnus, absolute habet: *Ad nocturnum, antiph. etc.*

§ 9. Accedit etiam quod ipsum Pontificale romanum diserte innuit distinctionem inter unicum et inter plures nocturnos. Quemadmodum enim in praesenti quaestione ait, dicite nocturnum, ita tit. de Ecclesiae dedicatione seu consecratione praescribit, ante reliquias Sanctorum in altari consecrando includendas, celebrandas esse vigilias, et canendos nocturnos et matutinas

laudes in honorem Sanctorum quorum reliquiae etc.: quo adamussim servari videtur prisca illa vigiliarum recitandique officii disciplina. Sed de hoc mox sermo redibit.

§ 10. Iam vero ex his iure colligi posse videtur, formulam illam: dicite nocturnum, nihil prorsus commune habere, seu cum officio parvo B. M. V., vel Sanctorum vel defunctorum seu cum matutino tam cum laudibus, quam sine laudibus, sed importare tantummodo onus recitandi unius nocturni alicuius feriae. Diximus cum officio vel parvo B. M. V., vel Sanctorum, vel defunctorum, non solum quia ex usu loquendi Pontificalis romani quando aliquod peculiare officium exprimendum sit, disertis verbis hoc facit, nec locum dubitationi relinquit, ut mox vidimus in ritu consecrationis Ecclesiae: canendi nocturni in honorem Sanctorum etc.; sed etiam quia licet ex nuda nocturni significatione, iuxta ea quae ex Merato deprompsimus, ab Episcopo ordinante assignari posset subdiaconis et diaconis partialiter alter tantum ex tribus nocturnis illorum officiorum, tamen affirmare non dubitamus menti Pontificalis id respondere tantum quoad primum nocturnum dominicae, vel nocturnum feriae qui duodecim revera constant psalmis, non autem quoad nocturnos reliquorum officiorum, qui singuli tres tantummodo habent psalmos. In hoc autem stat argumenti ratio, quod si promotis ad diaconatus vel subdiaconatus ordinem unus ex his brevioribus nocturnis dicendus assignaretur, breviores ipsi preces (tres scilicet psalmos) recitare deberent, quam promoti ad primam tonsuram, et minores Ordines, quibus Pontificale iniungit septem psalmos poenitentiales cum litaniis versiculis et orationibus.

§ 11. In cuius thesis nostrae confirmationem haec quoque accedit ratio; quod scilicet, cum illae preces iniungantur tamquam onus atque obligatio; de iure fluit in iis iniungendis atque exigendis standum esse strictae ac praecisae significationi formulae, qua iniunguntur, seu litterae, ut aiunt, nisi aliter recta ratio faciendum suadeat. Atqui in casu nostro tantum abets ut recitatio unius solum nocturni a recta ratione distet, quin imo ecclesiasticae disciplinae, ut vidimus, consona sit.

§ 12. Ad pleniorem vero huius rei demonstrationem recolamus coronidis loco quae obiter innuimus ex Pontificali romano, ubi ritus praescribitur dedicationis seu consecrationis Ecclesiae. Quando agit de sacris reliquiis parandis sero ante diem dedicationis, quae sunt in altari consecrando includendae, iubet itidem ante ipsas recitare preces, easque iis verbis designat: « Celebrandaeque erunt vigiliae ante reliquias ipsas et canendi nocturni et matutinae laudes in honorem Sanctorum, quorum reliquiae sunt recondendae etc. » In qua enumeratione quis non videt quomodo liber pontificalis distinguat nocturnum a nocturnis, et laudes matutinas ab ipsis nocturnis, officium Sanctorum ab officio feriali, ita ut nulli omnino dubitationi locus supersit de qualitate, ac de partibus horarum canonicarum, quae in iis vigiliis recitandae sunt? Nunc vero huic textui Pontificalis comparetur alter textus, de quo est quaestio, vel videatur quid proprie sibi velit idem liber pontificalis per verba: « dicite nocturnum talis diei, et quid per illa: » canendi nocturni et matutinae laudes in honorem Sanctorum. » Quis non discernat in his diversis formulis seu locutionibus eam loquendi proprietatem, ut illico deprehendi possit quid utrobique dicendum seu canendum praecipiat? si laudes matutinae addendae vel non; quid iuxta Pontificalis locutionem accipiendum sit per vocem matutini, laudes nempe quae de mane dicuntur, ut fusius supra exposuimus, qua demum ratione unum officium distinguatur ab altero? Quam verborum proprietatem etiam Dominicus Macri in suo Hierolexico (*Voc.* Laudes) adnotavit his verbis: « Episcopus diaconibus et subdiaconibus in eorum ordinatione solet imponere onus recitandi his verbis: dicetis nocturnum talis feriae (sic), et non ait: dicetis matutinum, ne comprehendat etiam laudes. »

§ 13. Ergo cum in discussa formula: « dicite nocturnum talis diei » nulla mentio fiat neque de nocturnis plurali numero, neque de aliquo peculiari officio sive Sanctorum, sive de officio parvo B. M. V., sive de officio defunctorum, sive de quocumque alio titulo, sed si quis est titulus non alius sit, quam talis diei: iure optimo concludi posse videtur non

aliter verba illa accipienda esse quam de unico nocturno feriae vel de primo nocturno dominicae, qui item unicus erat iuxta veterem Ecclesiae disciplinam. In hoc autem id etiam adnotandum occurrit (ut clarius eluceat proprietas et mature elaborata loquendi ratio Pontificalis romani); quod nempe non dicit nocturnum talis feriae, sed talis diei, ut includat etiam dominicam, seu nocturnum quemcumque veteris disciplinae. Nam in voce illa *diei* non modo assignatur quilibet Hebdomadae dies, sed excluditur etiam quilibet titulus aliorum festorum, et ad hoc unum reducitur ut intelligamus: « Nocturnum stricte sumptum et quidem feriae vel dominicae ut in psalterio, idest duodecim psalmi cum sex antiphonis, et tempore Paschali cum una antiphona Alleluia. »

§ 14. Restat nunc ut videamus, an hic nocturnus, de quo loquitur Pontificale romanum, debeat esse exclusive illius diei, quo sive in temporibus a iure statutis, sive extra tempora Ordines conferuntur; an generice cuiuslibet diei designandi arbitrio Episcopi ordinantis, quod unum deesse videtur, quemadmodum in propositione statuimus, ad solutionem totius propositae quaestionis, quam ex sola interpretatione eius voculae *talis* secundo loco proposuimus. Porro vox ista, cum sit nomen relativum, illud per se nihil indicat nisi vel tacite vel explicite ad aliquid referatur. Ergo aut reperienda est huius vocis tacita vel explicita relatio, aut alia plane interpretatio investiganda.

§ 15. Nobis vero nullum apparet huius relationis vestigium, in cuius sensu acquiescere possimus. Et vero si qua eius vocis relatio fingi velit, non alia profecto se offert nisi ut dicamus, aut referri ad illum ipsum diem quo fit sacra ordinatio, ita ut illius diei nocturnus recitandus imponatur quo habita est ordinatio, aut potius referri ad monitum Pontificalis ad ipsum Episcopum ordinantem, quo ipsi significet ordinatis huiusmodi iniungendam esse recitationem nocturni talis diei, diei nempe quo sacra habebitur ordinatio. At neque primam neque alteram interpretationem tam facile admittet quisquis est in huiusmodi rebus vel minime versatus, et noscit exquisitam verborum et phrasium accurationem

qua utitur Pontificale romanum, quod numquam adhibuisset eam vocem talis diei quae certe ambiguitatem parit, et obscurissima per se est, ut patet ex ipso dubio proposito. Siquidem remota omni obscuritate et inaccurata locutione, dixisset clarius et naturaliter, huius diei in prima hypothesi, illius diei in altera.

§ 16. Exclusa igitur omni interpretatione quae praebere possit implicite vel explicite claram relationem illius vocis *talis* ad aliquid, cui referatur, alia nobis ineunda via est, ut probabilem aliam interpretationem investigemus.

§ 17. Ac primo praemittimus, vocem illam legi in eodem contextu et generaliter in hodiernis editionibus Pontificalis romani eodem charactere et atramento totius contextus, nulla apposita interpunctione, nullo signo diacritico. Et in hoc, ut existimamus, sita est tota ambiguitatis origo. At non ita in editionibus vetustioribus. In omnibus siquidem vox illa legitur in eodem contextu, sed in plerisque notatur rubro charactere. Ita porro testatur Georgius Gobat in sua experimentali theologia (tract. 8, § 772), vidisse se nempe vocem illam rubro charactere descriptam in Pontificali Lutetiae Parisiorum edito an. 1637 de mandato praesulum Ecclesiae Gallicanae. Aliud exemplar nos ipsi conspeximus in Pontificali secundum ritum Sanctae R. E. una cum multis additionibus opportunis ex apostolica bibliotheca sumptis, edito Lugduni 1542, quod fol. XXIII sic habet: *Fratres carissimi diligenter etc....* Ad subdiaconatum vel diaconatum (Ord.) nocturnum talis diei. Vidimus in altero pariter Lugdun. Edit. quod inscribitur Pontificale noviter impressum MCCCCCXI die viij maii. pag. xxvij, quod praemissa sequenti rubrica charactere rubro: « Pontifex accepta mitra et baculo etc.. vertit se ad ordinatos, et stans hortatur.. quod orent pro eo et aliis quos voluerit, iniungens eis missas et alia quae viderit expedire, » haec habet in textu: *Fratres etc.... Ad subdiaconatum et diaconatum nocturnum* TALIS *diei*. Utrumque exemplar reperitur in bibliotheca Casanatensi, quorum postremum cura et studio Ioannis Burchardi in lucem prodiit. Id vidimus insuper in ultera Pontificalis editione Venetiis anno 1520 sub Leone X per Lucam Antonium de

Iuncta (sive Giunti), quod exemplar Romae asservatur in bibliotheca CC. RR. Infirmis ministrantium ad S. Mariae Magdalenae. Porro nemo ignorat quanti faciendae sint editiones typis De Iuncta impressas ex philologorum testimonio. Afferemus auctoritatem Tiraboschi, qui in sua *Istoria della letteratura Italiana* tom. 7, pag. 312 haec habet. « Celebri sono le stampe di Giuseppe Giunti in Firenze, e di altri della stessa famiglia ivi ed in Venezia. » Idem Petrus Antonius Crevenna in suo catalogo librorum, quos ipse collegerat, editiones de Iuncta aemulatas fuisse scribit illas, quae ex Manutiis prodiere. *L' imprimerie des Giunti qui tint le second rang en Italie aprè les Aldes, semble en effet en avoir été l'émule.* Porro in his omnibus editionibus vox illa *talis* rubro charactere signatur.

§ 18. Haec quidem ideo protulimus ut appareat, in editionibus tanti nominis varietatem illam coloris non casu aut ignorantia irrepsisse, sed accuratiorem lectionem exhibere. Quae etiam laus praefatis editionibus Lutetiae Parisiorum de mandato praesulum ecclesiae Gallicanae, et Lugdunensibus detrahi nequit, cum certo constet ex iis typis optima exemplaria prodiisse. Cum igitur in variis temporis et locorum, iisdemque optimae notae editionibus haec coloris varietas inveniatur, concludendum est vocem illam *talis* non esse partem allucutionis integri contextus, sed monitum ad Episcopum, quasi parenthesi inclusam, ac si dicat: *dicite Nocturnum* diei (N. N.) vel ut animadvertit Georgius Gobat (loc. cit.) dicite Nocturnum (*talis, aut talis*) diei. Quid autem mirum si vox illa *talis* paulatim scribi coeperit nigro charactere, sive ex oscitantia sive ex inscitia typographorum, vel ne tempus insumerent in ea colorum varietate imprimenda, vel quia nullius momenti ducerent unum vel alterum colorem adhibere? Sed praetereundum non est, in aliqua etiam recentiori editione Pontificalis romani hodiendum reperiri eamdem vocem *talis* charactere rubro, quemadmodum in additamento quod aliquo abhinc tempore ponitur in fine Pontificalis — pro ordinibus uni conferendis — videre est in editione in fol. quam — excudebat Urbini anno 1819 Vincen-

tius Guerrinus suo ac Mariani de Romanis Bibliop. Romani aere collato, facta a praesidibus facultate; — vel in altera, quam in - 8 nitidissimis typis vulgavit Mechliniae *P. I. Hanicq Summi Pontificis, SS. Congregationis de Propaganda Fide, et Archiep. Mechl. typographus anno 1845.*

§ 19. Posito itaque quod vox ista *talis* accipienda sit tamquam rubrica, quae Episcopo ordinanti suggerit ut imponat ordinatis recitationem unius nocturni *talis* vel *talis* diei; id certe non importat esse taxative diem ordinationis: dixisset enim clarius: *dicite Nocturnum huius diei:* neque referri ad diem qua habebitur ordinatio: dixisset enim: *dicite Nocturnum illius diei*: sed facultative remitti arbitrio Episcopi ordinantis ut imponat ordinatis recitationem nocturni ferialis vel dominicae prout ipsi libuerit. Isthaec enim loquendi formula: *dicite Nocturnum talis diei*, ut clarius concludam, alterutrum ex his duobus importare necesse est: aut praesentem ordinationis diem, aut diem quamcumque pro ordinantis arbitrio designandam. Non primum ut vidimus, quia incredibile est Pontificalis romani redactores, qui coeteroquin accuratissimi ubique sunt vel in minimis designandis, voluisse significare per solaecismum, et obscurissimam formulam id quod clarissime et rectius significari poterat per pronomem *huius* vel *illius*. Restat ergo secundum, quod nos eo facilius, et libentius admittimus, quod, praeter adductam rationem nobis id persuadeat praedicta circumstantia antiquiorum illarum editionum, quae vocem illam *talis*, prostantem licet in contextu allocutionis, exhibent impressam rubro charactere prout inscribuntur rubricae, queis praescribitur norma illarum rerum quae vel dicendae vel faciendae sunt, iuxta notum adagium: *Lege rubrum si vis intelligere nigrum.*

§ 20. Quae nostra opinio optime confirmatur ex ipsa veteri Ecclesiae praxi, qua videtur data fuisse Episcopo ordinanti haec facultas et libertas imponendi scilicet ordinatis ea quae viderit expedire. Inspiciatur rubrica, quae legitur in Pontificali edito Lugduni anno 1511, et de qua paulo ante mentionem fecimus, § 17. Ibi primo generice monetur Episcopus, ut ordinatis iniungat missas et alia quae viderit expedire, ac

deinde deducens veluti ad praxim, libertatem ei concessam immediate subiungit: *ad diaconatum et subdiaconatum Nocturnum talis* (charactere rubro) *diei*, talis, nempe, vel talis, prout ipsi libuerit.

§. 21. Iam vero colligendo in unum quae hucusque dicta sunt, haec consequentur:

1. Per nocturnum sic simpliciter enunciatum intelligi non posse neque plures nocturnos (§§ 6, 7), neque nocturnum Officiorum B. M. V. vel Sanctorum vel defunctorum (§. 10), neque integrum, seu tres nocturnos dominicae (§. 3); sed praecise vel horam nocturnam feriae, vel primam vigiliam nocturnam seu primum nocturnum dominicae prout extat in Psalterio, qui constat duodecim psalmis et sex antiphonis de tempore currente. Et hoc eo magis confirmatur quia additur titulus diei (§. 13).

2. Ex acceptione sic exposita illius vocis *Nocturni*, patere etiam referri illum ad nocturnum quemlibet ferialis Officii ordinarie loquendo; atque ideo obiter notamus referri non posse ad aliquod particulare officium ex. gr. de sabbato sancto.

3 Cum hoc nocturno minime comprehendi debere Laudes, seu illas simul officii partes, quas hodie complectimur nomine Matutini cum Laudibus; quia iuxta veterem Ecclesiae disciplinam Laudes constituebant horam matutinam ab horis nocturnis omnino diversam (§ 5).

4. Per vocem illam *talis* diei non indicari praecise diem, quo habetur vel quo habebitur ordinatio (§ 15), sed habendum esse tamquam signum rubricae quo monetur Episcopus ordinans, ut assignet nocturnum illum *ex tali vel tali die* prout ipsi libuerit (§ 18, 19, 20), qui tamen, ut vidimus, sit vel nocturnus feriae ordinariae vel primus dominicae.

§. 22. Antequam tamen ad responsa veniamus, quae singulis dubii partibus convenire putamus, ne nimium hisce rationibus per nos adductis inhaerere videamur, nonnihil adiicimus, quoad praxim quae viget. Ex aliquot, quos sciscitati sumus, Episcopis virtute et scientia praeclarissimis novimus, alios imponere nocturnum feriae currentis diei quo ordines conferuntur, alios pro lubitu designare diem cuius dicendus

nocturnus sit. Hinc turbanda non erit praxis locorum et si, Episcopus eam diem vel aliam non assignet, sed simpliciter enunciet nocturnum talis diei prout in contextu Pontificalis tunc ipsa ordinationis dies intelligenda erit, et numquam designatio alterius diei ordinatorum voluntati et arbitrio relinquenda. Hoc enim in casu. debet vox illa *talis* ita intelligi ac si dicat *huius diei*, quemadmodum reapse reperitur expressum in editione quam prae manibus habemus Romae edita - an. 1752 typis Generosi Salomoni, praesidum facultate et privilegio Sanctissimi - quae in additamento, ubi agit de confirmatione et ordinibus un conferendis, explicite habet: *Dic nocturnum huius diei*

§. 23. Hinc, cum salva atque integra semper maneat dispositio Pontificalis de nocturno iniungendo, quodcumque tandem istius vel illius feriae sit officium, in ea nos sumus sententia, ut S. Congregatio nihil pro una aut altera methodo sequenda definiens respondeat, *id relinqui in facultate Episcopi ordinantis, cui tamen liberum erit sequi locorum consuetudinem.*

Hinc singulis quaesitis respondendum putamus:

Ad 1. « Verba Pontificalis romani, *Nocturnum talis diei*, intelligi de unico nocturno feriali, vel de primo dominicae, ut in Psalterio, id est duodecim psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem Episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio. »

Ad 2. « Provisum in primo. »

Ad 3. « Provisum in primo. »

Ad 4. « In casu dicendum nocturnum ferialem ut supra, qui respondeat illi diei, quo facta est sacra ordinatio. »

Haec autem responsa, si a quodam dicendi modo vix abstrahas, sua fecit S. R. C. in legemque convertit.

SUPER DECRETO *PETROCORICEN.*

13 IUL. 1883

ANIMADVERSIONES.

PARS SECUNDA.

Praemittimus hic tantum agi de validitate recitationis Matutini cum Laudibus, quando dicitur antequam sol medium conficiat cursum inter meridiem et occasum, vel, iuxta superius exposita, hora diei secunda a meridie. Decretum enim in *Zacathecas* de liceitate egerat, sed Decretum in *Petrocoricen.* manifeste de validitate loquitur, uti legenti patebit, cum de satisfactione verba faciat. Nihilominus, animadversionibus super validitate alias addemus super liceitate, quippe quae sive in se haec quaestio spectetur, sive relate ad Decretum *Petrocoricen.* nimiam cum altera de validitate relationem dicit. Item vix innuimus satis notam officii divisionem antiquissimam in *nocturnum* et *diurnum*: nocturnum complectitur Matutinem cum Laudibus, diurnum iuxta communiorem sentiendi modum reliquas Horas. Namque « pars quae nocturno tempore recitabatur, et adhuc a multis Religiosorum Communitatibus recitatur in choro, Nocturnum dicitur.... Quia tamen communiter recitatur tempore matutino, seu summo mane et appropinquante sole ad ortum, nuncupatur Matutinum. Nocturnum seu Matutinum sequuntur Laudes, unde sub eodem Matutini nomine complecti solent ex Rubrica et sensu communiori (*Tetamus, Diar. etc. an. civil. etc. Tom. I, Tr. I, n. 56*). »

I. Inter auctores recensendos esse diximus tanquam *probatos*, qui benigniorem sententiam admittunt, ab eorum momentis, quibus illa innititur, abstrahentes. Cum vero nonnulli sustineant, haec momenta adeo levioris esse ponderis, ut vix dicta opinio probabilis appellari possit (1), necessarium quoque ducimus eosdem ex intrinsecis momentis *probatos* ostendere, eoque magis ut animadversiones, quas exhibemus, Decretum *Petrocoricen.* undequaque exponant. Sed imprimis notatu dignum ducimus. supponi non posse ad auctores praefatos S. R. Tribunal remittere, uti superius demonstratum credimus, quatenus *probatos*, quin eos simul gravibus momentis iudicet innixos in propria sustinenda sententia. Proinde oppositum sentire idem esset ac dictos auctores, inter quos Sanchez et Salmaticenses, omnes et singulos veluti bardos in coenum proiicere. Quod autem peius, ipsimet S. R. Congregationi esset iniuriam irrogare, quae praedictos auctores respiciens in suo responso, pluris habuit, ac quodammodo sua sub umbra contexit. Sed extra propositum sunt huiusmodi momenta, quae proinde relinquimus, et ad potissimam perpendendam rationem progredimur, sicuti alias cum illa connexas, quae thesim ex intrinseco probat: brevi, quaestionis intima inspiciamus.

II. Auctores ferme omnes, sive rigidiorem sive benigniorem profitentes sententiam, in eo conveniunt,

(1) Quelle que soit l'autorité des auteurs, qui défendent cette opinion spécial, elle fait ici complètement naufrage, parceque nous voyons ces auteurs se déterminer sans raisons sérieuses, et verser dans l'erreur. Ita Vaffelaert, loc. sup. cit. pag. 219, Id autem scriptori videri posse, non diffitemur: at sic se revera rem habere, concedi nequit, sicuti iam duo cl. auctores, quorum dissertationes, licet compendifactas, Ephemeris *Revue Théologique* vulgavit (*an, 1888, pag. 500 et seq.*), abunde, uti credimus, demonstrarunt.

quod Matutinum diei sequentis dici potest post Vesperas. Rationem quam adducunt est, quia a Vesperis dies ecclesiasticus initium habet. Atqui quicumque Matutinum recitat post diem ecclesiasticum incoeptum, satisfacit obligationi suae; ergo qui post Vesperas recitat Matutinum, valide recitat, et satisfacit. Iam nunc, sit ex iure communi, sit ex iure consuetudinis, nihil nostra interest, impraesenti certum est, Vesperas de iure posse privatim recitari in meridie; ergo certum est, saltem hora secunda ab eodem meridie valide unumquemque posse recitare Matutinum et Laudes diei sequentis. Quod si dicas, ex eo legitime sequi, etiam posse illud valide dici statim post Vesperarum et Completorii recitationem in meridie factam, non contradicimus, neque consequens reiicimus, quia uti legitimum sustineri potest; sed in thesi, quam defendimus, insistimus. Basis ista adeo firma est et inconcussa, ut interpretationes, quae fieri possunt in contrarium, hac illac errare cogantur, et ad nihilum valeant, nisi ad fucum faciendum. Principia enunciata evolvamus et illustremus.

III. Matutinum anticipari posse post Vesperas, omnes praedicant; quia *quantum ad ecclesiasticum officium, et solemnitatum celebritates incipit dies a Vesperis*, docet divus Thomas (*Quaest. quodlibet. V, art. XXVIII*): respondet autem Libro Levitico, in quo praeceperat Dominus electo populo: « A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra (*XXIII, 32*). » Quaestio autem vix institui potest super Vesperarum, de quibus Angelicus loquitur, significatione; quia Vesperae idem sonant, uti Bellarminus explicat, aliique generatim intelligunt, atque officium vespertinum. Cl. Suaresius ait: « Multi existimant, post occasum solitas fuisse dici Vesperas.... Alii censent, tempus proprium huius Horae olim fuisse horam ultimam diei ante occasum solis, in eius initio vel illa currente (*Lib. IV, de Horis Canonicis, Cap. XV, n.*

7 (1). » Sed hoc ad eruditionem pertinet, ut sciamus quomodo antiquiores hac in re se gesserint, nihil vero ad propositum nostrum. Namque paulatim eiusmodi hora mutata est, ut consequenter anticipatum quoque fuerit officium vespertinum. Audias eundem Suaresium confitentem: « Postea vero successu temporum longe maior mutatio facta est; nam quae olim erat tempus ad Nonam designatum, nunc fere Vesperarum tempus opportunum est: nam frequentius dici solent in hyeme hora secunda post meridiem, in aestate vero hora tertia (*Loc. cit.*). » Iam nunc apprime hic animadvertendum est, doctissimum Theologum de tempore agere Vesperarum, quae in choro recitari debent, uti ex titulo capitis palam fit, dum

---

(1) Communiter admittitur, diem, sicut et noctem, in quatuor partes fuisse divisum apud Hebraeos, quae inter se aequales erant, et ab ortu solis initium, ad illius occasum finem habebant. Erant autem hae partes sic nuncupatae; *Mane*, quae pars respondebat horae *Prima*: altera dicebatur *Tertia*: sequens vocabatur *Sexta*, ultima pars *Nona* audiebat: sicque tota dies optime repartiebatur, quae 12 horis constat. Vult tamen cl. Suaresius, quem Tetamus sequitur, dictas partes semper quidem aequales *inter se* fuisse, *in se* tamen inaequales. Hae autem horae praefato modo divisae trium horarum spatium continebant: adeo ut primo mane haberetur hora *Prima*, post tres horas alia inciperet, quae dicebatur *Tertia*, post sex horas illa quae dicebatur *Sexta*, post novem ultima quae denominabatur *Nona*. Suaresius nihilominus notat, tunc incepisse horam *Primae* quando tres horae primae absolutae erant, horam *Tertiae* quando expletae erant horae sex, horam *Sextae* quando terminatae fuerant horae novem, et horam *Nonae* quando duodecim horae finem habuerant: ita quoque Tetamus. Quidquid sit, hoc apud omnes exploratum est, vespertinum tempus post expletam Nonam incepisse, et officium Vesperarum cum Completorio post Nonam fuisse recitatum, sed circa finem diei *(V. Suarez, Lib IV, cap. XIV, et Tetamum Tom. I, cap. XV)*. Hymnum lectores notent: *Te lucis ante terminum.*

nos verba facimus de recitatione privata, pro qua tempus optime congruum, iuxta praesentem saltem disciplinam, est indubie meridianum. Hinc quaerimus, utrum tempus Vesperarum desierit esse initium diei ecclesiastici, eo quod anticipatum illud videmus? Minime gentium; quia illud est tempus Vesperarum in quo recitari de iure potest officium vespertinum, seu in quo de iure Vesperae possunt recitari: adeo ut hora opportuna pro recitandis Vesperis, et tempus vespertinum utpote anticipatum, consequenter et ipsae Vesperae in idem reincidant. Atqui, iuxta divum Thomam, dies quantum ad officium ecclesiasticum incipit a Vesperis; ergo toto iure concludere licet, post recitatas tempore congruo Vesperas iam diem ecclesiasticum habuisse initium. Eapropter uti sua aetate Angelicus, ita et a nobis impraesenti merito praedicari potest: « Si quis post dictas Vesperas et Completorium dicat matutinas (*Matutinum videlicet cum Laudibus*), hoc iam pertinet ad diem sequentem. »

IV. Inferes, tempus aptum ad Matutinum cum Laudibus recitandum esse posse, uti optime cl. Palmieri animadvertit (*Opus Theolog. Moral. Tom. IV, Tr. IX, cap. II, n. 247, Nota a*), vel *facultativum*, vel *obligatorium*. Obligatorium est tempus diei naturalis a media nocte ad mediam noctem, quod etiam, iuxta aliquos, a parte initii ulterius extenditur, ita ut incipiat post solis occasum. Tempus autem facultativum incipit saltem ab hora secunda diei praecedentis, et desinit certo ad mediam noctem, in qua tempus obligatorium habet principium, vel iuxta alios ab initio noctis. Unde fit, ut sive intra tempus obligatorium, sive intra facultativum, Matutinum recites, tuae obligationi satisfacias. Obligatorium autem, stricte loquendo, est nocturnum tempus, quia Matutinum noctu antiquitus recitabatur, uti universi antiqui scriptores docent: facultativum autem dicitur tempus diurnum ante solis occasum, quia licet ad noctem vergat, nocturnum

tamen non est, sed Ecclesia ex quadam dispensatione et favore aptum illud facit. Id namque accidit de hora Matutini quod de Vesperarum; sicut enim ista paulatim anticipari coepit, ita consequenter et illa; cum semper post officium vespertinum recitari potuerit officium nocturnum, licet divisum hoc fuerit. Sunt qui docent, ex regula generali semper officium nocturnum fuisse in antiquitate recitatum media nocte, iuxta illud psalmi (118): « Media nocte surgebam ad confitendum tibi » *(Vid. Suarez, loc. sup. cit. n. 2)*. Sed cum Suaresio aliisque omnibus admittendum quoque est, dictum officium nocturnum etiam ante mediam noctem saepe fuisse in ipsa antiquitate inceptum; quia cum saepe tribus constaret nocturnis, haec *dicebantur divisim secundum tr s vigilias noctis.* ait S. Thomas (*sup. I. ad Cor. cap. 11, lect. 6*), cum quo alii conveniunt (*V. Revue Thoelogiq. 1888. Dissert. P. F. G. pag. 500 et seq.*)

Iam vero obligatio recitandi de nocte officium nocturnum, sicut relaxata est ex benignitate Ecclesiae ex parte diei sequentis, ita et relaxata est successu temporis ex parte praecedentis, quod ex praesenti disciplina manifestum est. Praecipue autem hoc accidit, eo quod cum de divinis agatur Deo tribuendis laudibus, melius est tempus praevenire, quam postponere, uti notant Angelicus et Suaresius: quorum hic ultimus docet: « Ceteris paribus, praeponere minus habet incommodi et periculi, et indicat maiorem diligentiam *(Loc. cit. n. 6)*. »

V. Pluries citatus Suaresius verba divi Thomae « dies incipit a Vesperis » interpretans, haec inter alia notat: « Alii volunt verba illa extendere ad quodlibet tempus, in quo Vesperae et Completorium possunt nunc iuxta communem usum privatim recitari, absque culpa, etiam sine causa. Et haec videtur ampliatio nimia; sic enim hora secunda post meridiem posset dici Matutinum, *quod sine dubio dicendum non*

est; quia neque consuetudo haec habet, neque ipse summus Pontifex hanc licentiam concedit, nisi cum magna difficultate et non ex levi causa (*Loc. cit. c. XXVII. n. 13*). » Ita et iure doctissimus auctor aetate sua. At primo notes, duplex momentum allatum impraesenti vix suo robore pollere. Nam, quoad primum, auctores gravissimi, quorum nunc potest auctoritate iudicari princeps, Sacrae Poenitentiariae Theologus, cl. Palmieri, contrarium sustinent: ex quo inducta iam praxis argui optime potest, quae paulatim et vi rationum inducitur. Quoad alterum vero, omnes religiosae familiae eiusmodi gaudent a summis Pontificibus privilegio, ut valeant, et quidem nulla movente causa, Matutinum hora diei secunda post meridiem recitare. Quod si efficaciam suam vix nunc retinet duplex momentum allatum, putasne valere adhuc assertum, quod iisdem momentis innititur? Notes secundo, hic Suaresium docere non esse tali tempore Matutinum dicendum sine causa, quae excuset: *absque culpa, etiam sine causa*; sed causa valet tempus facere licitum, non vero validum. Praeterea haud docet, dici non posse Matutinum, sed dicendum non esse hora secunda, quod *sine dubio dicendum non est*, ex superius scilicet allegata et exposita ratione, quae nunc vix aliquid probat. Notes tertio, hanc ampliationem temporis non esse nimiam; sed tantum cl. auctori nimiam videri, *haec videtur ampliatio nimia*. Hinc inferimus: 1° dicta a Suaresio aetate sua, vix amplius valere possunt aetate nostra: 2° dictam ampliationem diei non est certum esse nimiam: 3° tandem liceitatem tantummodo respiciunt, non validitatem. Quare autem? Quia, posita congruitate temporis ad Vesperas recitandas, tempus quod illas sequitur, necessario utile fatendum est, saltem quoad validitatem, pro anticipatione Matutini.

VI. Aut hora secunda post meridiem dies ecclesiasticus incoepit, aut non. Si illud admittas, dare co-

geris manus victas: videlicet, velis, nolis, concedendum tibi est, Matutinum cum Laudibus illo in tempore valide recitari. Si neges, explicandum tibi est, quo in die Matutinum recitent privilegiati, quando hora secunda post meridiem illud anticipant. Dies namque naturalis nondum certe incoepit, quippe qui a media ad mediam noctem illum incipere ambigit nemo; ergo tali die privilegiati Matutinum non dicunt. Dies autem ecclesiasticus hora secunda pomeridiana nondum, hypothetice inquam, initium habet, quippe qui tardius incipit, puta ab hora circiter occasus, vel media vel integra hora circiter ante, vel saltem quando sol mediam tenet viam inter meridiem et occasum. Ergo neque intra diem ecclesiasticum Matutinum recitabunt privilegiati. Quid ergo? Num dices, Pontifices pro privilegiatis extendere a parte initii naturalem diem, non vero pro aliis? Sed nos respondebimus, gravissimum hoc et singulare assertum demonstratione indigere, dum interim reiicimus ut assertum gratuitum. Num dices, pro privilegiatis ecclesiasticum diem citius incipere quam pro non privilegiatis? Et hoc quoque, reponimus, demonstrare oportet, secus reiici potest, uti reiicitur. Infra cuius ergo diei limites Matutinum recitant privilegiati? Fortasse infra extremos diei ecclesiastici limites: qui sia tardius incipit, seu de sero, ergo anterioris diei ecclesiastici limites perdurant, adhuc. Sed admitti non potest, primam maioremque officii Horam in extremis diei ecclesiastici limitibus recitari posse, saltem licite; hoc enim nimia esset ordinis inversio, quam supponere concessisse Pontifices, nemo potest et debet. Ceterum, id non esset recitare Matutinum diei sequentis, sed praecedentis, quod quaestionem de nostram non respicit, sed mutat. Alia respondendi ratio nobis non est: si eam adinvenerint rigidioris sententiae fautores, afferre faveant; et interim dum ipsi quaerunt, nos praedicabimus cum divo Thoma,

diem ecclesiasticum a Vesperis incipere, et post Vesperas, secunda videlicet saltem hora pomeridiana, valide posse recitari Matutinum diei sequentis.

VII. Nemo ambigit, certam esse legem super integro officio divino quotidie ab obligatis recitando. Officium eapropter iure dicitur onus diei: ut qui ex obligatis ultimum diei terminum sinat decurrere, quin illud recitaverit vel partem eius notabilem, lethalis culpae reus habeatur, nisi sufficienti causa excusetur. Tempus uniuscuiusque diei obligatorium est a media ad mediam noctem, uti alias exposuimus, tempus vero facultativum est ab initio diei ecclesiastici. Initium autem diei ecclesiastici esse Vesperarum tempus abunde constat, quando vero hoc praecise Vesperarum tempus incipiat incertum est. Generaliter admittitur antiquitus incoepisse *de sero*, per quod vespertinum tempus significatur; sed cum plus minusve extendatur ex parte initii, inter auctores non convenit quando praecise incipiat. Nonnulli tempus intelligunt occasus, nonnulli mediam horam ante occasum, alii intelligunt unam ante occasum horam, alii medium tempus inter meridiem et occasum, alii etiam horam secundam post meridiem. Veritas ergo est, praecisum tempus non esse lege determinatum, uti scribit Sanchesius: « Circa horam vero dicendi Matutinum nil invenitur expressum apud DD., praeterquam quod potest dici ante solis occasum (*V. apud ipsum Vaffelaert in Revue Théologique, an. 1887, pag. 244*) ». Et ratio indubie est, quia nimis late patet vesperae tempus; nihilominus certum est, vesperam lato sensu post meridiem incipere, et cum noctis initio finem habere; atque unice ex hoc repetenda incertitudo, varietas et diversitas sentiendi in auctoribus. Ergo, tacente lege, et auctoribus nequaquam inter se convenientibus, hoc unum certum sequitur: Matutini cum Laudibus recitationem, hora saltem secunda a meridie anticipatam, certo invalidam haberi non posse. Atqui in tanta rei incer-

titudine libertas possidet; ergo certum est valide posse Matutinum cum Laudibus anticipari semper hora saltem a meridie secunda.

Pars tertia.

I. Posita recitationis validitate, pergere liceat ad inquirendum super liceitate. Actus licitus ille est, qui nulli opponitur legi; atqui Matutini anticipatio hora a meridie secunda nulli opponitur legi, ergo huiusmodi anticipatio licita est. Maioris probationem praeterimus, cui nemo adversatur; lex enim sit naturalis, sit humana, civilis aut ecclesiastica, sit divina, actus nostros quoscumque gubernat: cui proinde actus conformes sunt liciti, oppositi sunt plus minusve illiciti. Minorem ergo perpendamus, videamus nempe an vera sit, an potius a vero aliena.

II. Lex est Lateranensis Concilii (1212), quae Clericis explicite praescribit « in virtute sanctae obedientiae, ut divinum officium *nocturnum* pariter et *diurnum*, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote (*Cap.* Dolentes, *Tit. de celebr. Miss.*) ». Quae tamen verba legis nil novi continent, sed illud imponunt quod iam ab ipso Apostolorum aevo fideliter servabatur: a quibus, sicut praeceptum obligationis officii divini, ita et temporis illud recitandi derivare, communiter admittitur. Alia namque lex magis explicita, quod tempus maxime attinet, et antiquior non reperitur, sive in Iure, sive in Conciliis, cum semper nihilominus in primaeva Ecclesia hoc Opus divinum (a forma tamen abstrahas necesse est), publice saltem, celebratum fuerit. Diximus, *publice saltem*, quia notum est primos clericos duxisse communem vitam: ut de privata officii recitatione vix in antiquitate verba fiant. Eapropter indubie tenetur ab omnibus, Horas diurnas diurno tempore, nocturnas nocturno tempore fuisse in

antiquitate recitatas: haec lex antiquissima in Ecclesia. Quae tamen, decursu saeculorum, postquam Presbyteri in pagos et villas missi officium privatim recitare coeperunt, coepit et relaxari, probabiliter ob labores, quos in sacris ministeriis sustinere debebant: quod et accidit paulatim in ipsa recitatione publica. Atque idcirco impraesentiarum videmus, Primam, Tertiam, Sextam et Nonam non amplius relativis suis horis recitari: idem de Vesperis dicas, de Completorio ac de Matutino, et etiam Laudibus, quae cum eo coniunguntur. In privata autem recitatione communiter docent Theologi, inobservantiam temporis in Horis canonicis recitandis, dummodo terminus a Vesperis ad mediam noctem diei sequentis servetur, nullam esse saltem gravem culpam. Hinc si quis post mediam noctem recitat omnes et singulas Horas, sive diurnas sive nocturnas, certum est graviter non peccare, imo fieri potest, ut nec leviter peccet, uti accidit, quando causa sufficiens agentem excuset. Satis ergo patet, ita legem de diurno et nocturno tempore fuisse relaxatam, ut sub levi tantum obligare valeat; haud vero sub gravi, praesenti saltem disciplina inspecta.

III. Peculiariter autem agendo de Hora Matutini, quae superius exposuimus maiorem vim possident. Namque huiusmodi Hora nunc post mediam noctem, nunc ante mediam noctem, in antiquitate recitata fuit publice, impraesentiarum vero a multis iam saeculis luce recitatur, si nonnullas Communitates religiosas excipias. Privatim vero, seu de nocte, seu post noctem et interdiu, seu etiam ante noctem ab immemorabili, citra controversiam licite, recitatur, quando nempe, ad minus, sol medium peragit cursum inter meridiem et occasum. Inferes, quam parum sit insistendum, aetate saltem nostra, circa Horas dicendas nocturnas nocturno tempore, et diurnas tempore diurno, seu in publica seu, et praesertim, in privata Matutini recitatione, ut haec fiat licita.

IV. Nunc quaeri particulariter potest, quaenam sit lex, quae obligat ad Matutinum non anticipandum hora secunda post meridiem. Cui quaesito responderi potest verbis Sanchesii (*Conf. L. 7, c. 2, D. 37*), quem cl. Palmieri in Morali Opere Confratris sui Ballerini refert in nota (*Tract. IX, Cap. II, n. 247, N. a*): « Ad dicendum Matutinum non est deputata, tamquam hora debita, media nox, ut aliqui falso putant, quia *nullum ius est id praecipiens vel determinans Matutinorum horam*, sed tantum dicunt textus, Matutinum esse officium nocturnum, de nocte dicendum, ut bene dicit Navarrus. » Cumque superius visum sit, et experientia doceamur, hanc Horam nocturnam iam esse de facto, quoad posse scilicet, diurnam redditam, quatenus nempe interdiu communiter recitatur, tam publice quam privatim, nescitur profecto qua de causa recitari licite nequeat hora a meridie secunda, eo saltem sensu ut graviter illicitum excludatur. Sane, si licet Matutinum dicere quando sol medium iter confecit inter meridiem et occasum, quare hora secunda post meridiem non licebit? Ratio nocturni temporis in neutro ex duobus casibus comprobatur: adeo ut, si nihil dicta ratio officit in primo, nec aliquid officere possit in altero. Dices fortasse, in primo casu magis solem vergere ad occasum quam in secundo. Sed reponimus, plus et minus rei substantiam immutare non posse, vel ad summum aliquid posse leviter illiciti parere, nunquam vero graviter illiciti. Hinc iure Sanchesius scribere potuit: « Qui absque sufficenti causa recitaret Matutinum diei crastinae hodie hora secunda post meridiem, peccaret venialiter (*V. Opus Theol. Mor. loc. sup. cit.*) ». Ex quo sequitur, eum qui sufficienti ratione motus dictam Horam canonicam eo tempore recitaret, nullam culpam admittere, sed rem prorsus licitam facere.

V. Quod ut clarius fiat, redire opportunum credimus ad divum Thomam, licet iam alibi de eius sentiendi

modo, sub alio tamen respectu, dictum fuerit. Sanctus Doctor scribit, diem a media nocte incipere quantum ad contractus et alia eiusmodi; sed « quantum ad ecclesiasticum officium et solemnitatum celebritates incipit dies a vesperis (*Quodlib. V. art. XXVIII*). » Inde concludit: « Si aliquis post dictas vesperas et completorium dicat Matutinas, hoc iam pertinet ad diem sequentem ». Alibi visum est, divum Thomam pro tempore Vesperarum, de quibus hic loquitur, intelligere tempus vespertinum: seu de sero, uti palam fit ex titulo articuli. Sed notavimus, anticipationem Horae canonicae Vesperarum tulisse secum ipsius anticipationem vespertini temporis. Nunc autem, hac supposita anticipatione, si liceat Matutinum dicere de sero, licebit saltem et illud dicere hora secunda post meridiem. Namque si valide Matutinum tunc recitari potest, uti superius demonstravimus, non est ratio cur illicita, saltem graviter, esse debeat illius recitatio. Haec Suaresii sententia, praefata divi Thomae verba exponentis: « Ille enim (*S. Doctor*) in Quodlib. V, a. 28, inquirit, an liceat dicere Matutinum diei sequentis *de sero* antecedentis diei. Et respondet, ex iusta causa, id est, propter honestam occupationem dici posse, in quo supponit tempus illud esse habile, et ita sufficiens, ut si absque causa id fiat, ad summum sit peccatum veniale, non mortale, alias discursu nullius esset momenti (*Lib. IV, Cap. XXVI, n. 13*) ». Ergo, posita ad minus iusta causa, Matutinum diei sequentis licite recitari potest de sero, seu vespertino tempore: quo impraesenti anticipato, et hora saltem secunda post meridiem illud recitare licebit. Namque « Deus clementior est, ait divus Thomas, quolibet homine; sed hic non imputat debitori in culpam, si debitor sibi reddat ante tempus; ergo multo minus Deus (*Quodlib. V, loc. cit.*). »

VI. Antequam concludamus, breviori calamo tres expendamus difficultates, quae contra asserta opponi

solent. Prima respicit consuetudinem, qua vigente, Matutinum anticipari potest, dicunt severiores scriptores, etiam hora secunda post meridiem: ea vero non obtinente, illud anticipari posse dicta hora negant. Respondemus primo, auctores vim non habent ferendi leges, sed eas tantum, si extent, explanandi; atqui in casu lex de hac consuetudine non existit; ergo. Videlicet: lex nusquam dicit, Matutinum anticipari posse hora secunda post meridiem, ubi vigeat talis consuetudo, non posse, ubi non viget. Ceterum, 1. consuetudo universalis fert, Vesperas posse recitari post meridiem; ergo post Vesperas et Completorium etiam Matutinum anticipari potest, sive consuetudo vigeat, sive non. 2. Consuetudo non potest facere ut dies unus evadat alter; si proinde ea inducta est, id significat, semper retentum fuisse, diem ecclesiasticum a primis Vesperis haber initium. Altera difficultas dicit: si dies ecclesiasticus a primis Vesperis incipit, ergo non solum Matutinum cum Laudibus, sed etiam aliae Horae anticipari possunt, quod nemo admittit. Respondemus negando consequens; agitur enim de Hora nocturna, non de diurnis, et momenta allata pro illa, nihil pro istis probare valent. Tertia tandem sic exponitur: Seu Communitates religiosae, seu Presbyteri bona conscientia praediti, ab auctoritate ecclesiastica facultatem postulant anticipandi Matutinum hora secunda post meridiem: quod frustra fieret, si valida et licita foret per se eiusmodi anticipatio. Respondemus 1. Ideo Ecclesia hanc concedit facultatem, quia diem ecclesiasticum iam novit incoeptum: secus officium, diei unius onus, concederet recitari alio die, pro quo aliud onus impositum est, quod admitti non debet. Ergo ex hac concessione certam deducimus, independenter ab indulto, validitatem officii hora secunda post meridiem anticipati. 2. Quod vero spectat liceitatem, respondemus cum cl. Palmieri, retorquendo argumentum: « Nam, ut habet Suarez *de Relig. Tr. 4, lib. 4. c. 17* et Fil-

liuccius, Tr. 23, c. 8, n. 274, *per privilegia Pontificia conceditur facultas dicendi Matutinum una hora ante occasum solis.* Ergo ne inutile erit privilegium, si *vi iuris communis* cuique liceat recitare non modo una hora ante occasum solis, sed multo antea, ut concedit S. Alphonsus? Bene Suarez l. c.: *Hoc argumentum infirmum est: quia multa in privilegiis conceduntur, non quia necessaria sunt, sed quia petuntur vel propter timorem seu scrupulum, vel ob dubitationem ex variis opinionibus ortam removendam, vel quia quod petitur, ex rigore iuris non licet, et pendet ex consuetudine, quae incerta et varia esse potest.* Et eandem difficultatem quoad horam secundam iam solverat Diana, Tom. 3, tr. 6, res. 54, n. 3: *Dices: Pontifices concedunt privilegia ut Matutinum possit recitari duas horas post meridiem. Ergo. Respondeo, qui petunt hoc privilegium, signum est quod tenent contrariam sententiam, et multa petuntur a Pontifice ad maiorem cautelam et propter scrupulum etc.* (Tract. IX, cap. II. n. 246). » Aliam innuimus difficultatem, si hoc nomine appellari ea possit, adeo levis est. Qui Vesperas et Completorium diceret ante meridiem, certe satisfaceret: ergo etiam satisfaceret recitando, p st dictas Vesperas et Completorium, Matutinum diei sequentis. Respondemus, absolute negando consequens; quia Vesperarum tempus est vespertinum et non matutinum, et dies ecclesiasticus ad Vesperas incipit, quae vespertino, non matutino tempore dici possunt et debent.

VII. Tandem a pluribus certe saeculis super hac controversia disputatur inter auctores gravissimos, qui in diversas et etiam contrarias abeunt sententias. Plures enim dicunt, Matutinum hora secunda post meridiem privatim recitare non esse licitum: tenent alii licitum non esse tempore aestatis, bene autem hiberno tempore: docent tertii quocumque anni tempore id licere. Assertis accedunt probationes, quae aliis graves, leves aliis videntur, ut quaestio insoluta maneat. Ecclesiam

eiusmodi controversiam nescire nemo profecto audebit asserere. Item eam esse gravem et ab Ecclesia pendere, ut si velit, nullius negotii solutio dicenda sit, nemo non videt. Nihilominus doctores disputant adhuc, et Ecclesia declaratione sua non denegat disputantibus libertatem. Ubi veritas? Dignosci certo nequit. Ipse S. Doctor Alphonsus, qui postea severiorem tenuit sententiam, mitiorem antea amplexatus fuerat, et *probabilissimam* dixerat. Quid ergo? En conclusiones certae: Lex dubia non est lex. Ex omnibus autem hucusque expositis certum est ad minus, qua hora Matutinum liceat a parte ante anticipare incertum esse. Specialiter ad minus verum est Matutinum posse anticipari hora secunda post meridiem incertum esse. Ergo certum est, legem prohibentem anticipationem Matutini diei sequentis hora secunda post meridiem non existere. Iam nunc certum est ad licite operandum sufficere certitudinem moralem, directam si haberi possit, indirectam seu reflexam si illa haberi non possit. Atqui ex iis, quae ab initio ad finem exposuimus, certa resultat saltem indirecta moralis certitudo pro efformanda hac super re tuta conscientia; ergo concludimus: certum est ad minus, in casu libertatem possidere, et unumquemque posse valide et licite, iusta saltem data causa, Matutinum diei sequentis, hora a meridie secunda diei praecedentis recitare.

Inferes: 1. Decretum *Petrocoricen*, cum ad probatos auctores remittit Episcopum, ita esse certo intelligendum, ut inter probatos omnino sint recensendi, qui sustinent Matutinum cum Laudibus diei sequentis semper anticipari posse hora a meridie secunda, non solum ob extrinsecam, sed etiam ob intrinsecam auctoritatem. 2. Non solum exinde probatum esse dictum Matutinum tali tempore valide recitari, sed etiam licite, iusta ad minus posita causa, quae, uti cl. Suaresius docet post divum Thomam, et superius vidimus, quaevis honesta occupatio esse poterit. A. B.

APPENDIX

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS

ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS

PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Divinum illud munus quod humani generis causa a Patre acceptum Iesus Christus sanctissime obiit, sicut eo tamquam ad ultimum spectat, ut homines vitae compotes fiant in sempiterna gloria beatae, ita huc proxime attinet per saeculi cursum, ut divinae gratiae habeant colantque vitam, quae tandem in vitam floreat caelestem. Quamobrem omnes ad unum homines cuiusvis nationis et linguae Redemptor ipse invitare ad sinum Ecclesiae suae summa benignitate non cessat: *Venite ad me omnes; Ego sum vita; Ego sum pastor bonus.* Hic tamen, secundum altissima quaedam consilia, eiusmodi munus noluit quidem per se in terris usquequaque conficere et explere; verum quod ipse traditum a Patre habuerat, idem Spiritui Sancto tradit perficiendum Atque iu-

cunda memoratu ea sunt quae Christus, paulo ante quam terras relinqueret, in discipulorum coetu affirmavit: *Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero mittam eum ad vos.* (1) Haec enim affirmans, causam discessus sui reditusque ad Patrem eam potissimum attulit, utilitatem ipsis alumnis suis profecto accessuram ab adventu Spiritus Sancti: quem quidem una monstravit, a se aeque mitti atque adeo procedere sicut a Patre, eumdemque fore qui opus a semetipso in mortali vita axactum, deprecator, consolator, praeceptor absolveret. Multiplici nempe virtuti huiusce Spiritus, qui in procreatione mundi *ornavit caelos* (2) et *replevit orbem terrarum,* (3) in eiusdem redemptione perfectio operis erat providentissime reservata. — Iamvero Christi Servatoris, qui princeps pastorum est et episcopus animarum nostrarum, exempla Nos imitari, ipso opitulante, continenter studuimus; religiose insistentes idem ipsius munus, Apostolis creditum in primisque Petro, *cuius etiam dignitas in indigno herede non deficit* (4). Hoc adducti consilio, quaecumque in perfunctione iam diuturna summi pontificatus aggressi sumus instandoque persequimur, ea conspirare voluimus ad duo praecipue. Primum, ad rationem vitae christianae in societate civili et domestica, in principibus et in populis instaurandam; propterea quod nequaquam nisi a Christo vera in omnes profluat vita. Tum ad eorum fovendam reconciliationem qui ab Ecclesia catholica vel fide vel obsequio dissident: quum haec eiusdem Christi certissima sit voluntas, ut ii omnes in unico Ovili suo sub Pastore uno censeantur. Nunc autem quum humani exitus adventantem diem conspicimus, omnino permovemur animo ut Apostolatus Nostri operam, qualemcumque adque deduximus, Spiritui Sancto, qui Amor vivificans est, ad maturitatem fecunditatemque com-

(1) Ioann. XVI, 7.
(2) Iob. XXVI, 13.
(3) Sap. I. 7.
(4) S. Leo M. *ser. II. in anniv. ass. suae.*

mendemus. Propositum Nostrum quo melius uberiusque eveniat, deliberatum habemus alloqui vos per solemnia proxima sacrae Pentecostes de praesentia et virtute mirifica eiusdem Spiritus; quantopere nimirum et in tota Ecclesia et in singulorum animis ipse agat efficiatque praeclara copia charismatum supernorum. Inde fiat, quod vehementer optamus, ut fides excitetur vigeatque in animis de mysterio Trinitatis augustae, ac praesertim pietas augeatur et caleat erga divinum Spiritum, cui plurimum omnes acceptum referre debent quotquot vias veritatis et iustitiae sectantur; nam, quemadmodum Basilius praedicavit, *Dispenspansationes circa hominem, quae factae sunt a magno Deo et Servatore nostro Iesu Christo iuxta bonitatem Dei, quis neget per Spiritus gratiam esse adimpletas?* (1)

Antequam rem aggredimur institutam, nonnulla de Triadis sacrosanctae mysterio placet atque utile erit attingere. Hoc namque *substantia novi testamenti* a sacris doctoribus appellatur, mysterium videlicet unum omnium maximum, quippe omnium veluti fons et caput; cuius cognoscendi contemplandique causâ, in caelo angeli, in terris homines procreati sunt, quod, in testamento veteri adumbratum, ut manifestius doceret, ab angelis ad homines Deus ipse descendit: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit* (2). Quisquis igitur de Trinitate scribit aut dicit, illud ob oculos teneat oportet quod prudenter monet Angelicus: *Quum de Trinitate loquimur, cum cautela et modestia est agendum, quia, ut Augustinus dicit, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur* (3). Periculum autem ex eo fit, ne in fide aut in cultu vel divinae inter se Personae confundantur vel unica in ipsis natura separetur; nam *fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in*

(1) *De Spiritu Sanctu* c. XVI, n. 39.
(2) Ioann. I, 18,
(3) *Summ. th.* 1ª, *d.* XXXI, *a.* 2 - *De Trin. l., I, c.* 3.

unitate veneremur. Quare Innocentius XII, decessor Noster, solemnia quaedam honoris Patris propria postulantibus omnino negavit. Quod si singula Incarnati Verbi mysteria certis diebus festis celebrantur, non tamen proprio ullo festo celebratur Verbum, secundum divinam tantum naturam: atque ipsa etiam Pentecostes solemnia non ideo inducta antiquitus sunt, ut Spiritus Sanctus per se simpliciter honoraretur, sed ut eiusdem recoleretur adventus sive externa missio Quae quidem omnia sapienti consilio sancita sunt, ne quis forte a distinguendis Personis ad divinam essentiam distinguendam prolaberetur. Quin etiam Ecclesia ut in fidei integritate filios contineret, sanctissimae Trinitatis festum instituit, quod Ioannes XXII deinde iussit ubique agendum; tum altaria et templa eidem dicari permisit; atque Ordinem religiosorum captivis redimendis, qui Trinitati devotus omnino est eiusque titulo gaudet, non sine caelesti nutu rite comprobavit. Multaque rem confirmant. Cultus enim qui sanctis Caelitibus atque Angelis, qui Virgini Deiparae, qui Christo tribuitur, is demum in Trinitatem ipsam aredundat et desinit. In precationibus quae uni Personae adhibentur, item de ceteris mentio est; in forma supplicationum, singulis quidem Personis seorsum invocatis, communis earum invocatio subiicitur; psalmis hymnisque idem omnibus praeconium accedit in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum; benedictiones, ritus, sacramenta comitatur aut conficit sanctae imploratio Trinitatis. Atque haec ipsa iampridem Apostolus praemonuerat in ea sententia: *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula* (1): inde significans Personarum trinitatem, hinc unitatem affirmans naturae, quae quum una eademque singulis sit Personis, ideo singulis, tamquam uni eidemque Deo, aeterna aeque maiestatis gloria debetur. Quod testimonium edisserens Augustinus, *Non confuse*, inquit, *accipiendum est quod ait Apostolus, ex ipso et per ipsum et in ipso*; *ex ipso dicens propter Patrem, per ipsum propter Filium, in ipso propter Spiritum San-*

---

(1) Rom. XI, 36.

ctum (1). — Aptissimeque **Ecclesia,** ea Divinitatis opera in quibus potentia excellit, tribuere Patri, ea in quibus excellit sapientia, tribuere Filio, ea in quibus excellit amor, Spiritui Sancto tribuere consuevit. Non quod perfectiones cunctae atque opera extrinsecus edita Personis divinis communia non sint; sunt enim *indivisa opera Trinitatis, sicut et indivisa est Trinitatis essentia* (2), quia, uti tres Personae divinae *inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur* (3) verum quod ex comparatione quadam et propemodum affinitate quae inter opera ipsa et Personarum proprietates intercedit, ea alteri potius quam alteris addicuntur sive, ut aiunt, appropriantur: *Sicut similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa, utimur ad manifestationem divinarum Personarum, ita et essentialibus attributis; et haec manifestatio Personarum per essentialia attributa appropriatio dicitur* (4). Hoc modo Pater qui est *principium totius* Deitatis (5) idem causa est effectrix universitatis rerum et Incarnationis Verbi et sanctificationis animorum, *ex ipso sunt omnia;* ex ipso, propter Patrem. Filius autem, *Verbum, Imago Dei,* idem est causa exemplaris unde res omnes formam et pulchritudinem, ordinem et concentum imitantur; qui extitit nobis via, veritas, vita, hominis cum Deo reconciliator, *per ipsum sunt omnia;* per ipsum, propter Filium. Spiritus vero Sanctus idem est omnium rerum causa ultima, eo quia sicut in fine suo voluntas lateque omnia conquiescunt, non aliter ille, qui divina bonitas est ac Patris ipsa Filiique inter se caritas, arcana ea opera de salute hominum sempiterna, impulsione quadam valida suavique complet et perficit, *in ipso sunt omnia*; in ipso, propter Spiritum Sanctum.

Rite igitur inviolateque custodito religionis studio, toti debito Trinitati beatissimae, quod magis magisque in chri–

---

(1) *De Trin.* l. VI, ct 10. - l. I, c. 6·
(2) S. Aug. *de Trin.* l. I, c. 4 et 5.
(3) S. Aug. *ib.*
(4) S. Th. 1ª, q. XXXIX, a. 7.
(5) Aug. *de Trin.* l. IV, c. 20.

stiano populo aequum est inculcari, ad virtutem Spiritus Sancti exponendam oratio Nostra convertitur. — Ac principio respici oportet ad Christum, conditorem Ecclesiae et nostri generis Redemptorem. Sane in operibus Dei externis illud eximie praestat Incarnati Verbi mysterium, in quo divinarum perfectionum sic enitet lux ut quidquam supra ne cogitari quidem possit, et quo aliud nullum humanae naturae esse poterat salutarius. Hoc igitur tantum opus, etsi totius Trinitatis fuit, attamen Spiritui Sancto tamquam proprium adscribitur: ita ut de Virgine sic Evangelia commemorent: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, et: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* (1). Idque merito adscribitur ei qui Patris et Filii est caritas; quum hoc *magnum pietatis Sacramentum* (2) sit a summa Dei erga homines caritate profectum, prout Ioannes commonet: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* (3). Accedit quod natura humana evecta inde sit ad coniunctionem *personalem* cum Verbo: quae dignitas non ullis quidem data est eius promeritis, sed ex integra plane gratia, proptereaque ex munere veluti proprio Spiritus Sancti. Ad rem apposite Augustinus: *Iste modus*, inquit, *quo est natus Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso primo exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei qui Filius hominis, et Filius hominis qui Filius Dei* (4). Divini autem Spiritus operâ non solum conceptio Christi effecta est, sed eius quoque sanctificatio animae, quae *unctio* in sacris libris nominatur (5): atque adeo omnis eius actio *praesente Spiritu peragebatur* (6), praecipueque sacrificium sui: *Per Spiritum*

(1) Matth. I, 18, 20.
(2) I Tim. III, 16.
(3) III, 16.
(4) *Enchir.* c. XXXX - S. Th. 3ª, q. XXXII, a. 1.
(5) Actor. X, 38.
(6) S. Basil. *de Sp. S.* c. XVI.

Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo (1). — Ista qui perpenderit, nihil erit ei mirum quod charismata omnia almi Spiritus in animam Christi affluxerint. Namque in ipso copia insedit gratiae singulariter plena, quanto maximo videlicet modo atque efficacitate haberi possit; in ipso omnes sapientiae scientiaeque thesauri, gratiae gratis datae, virtutes donaque omnino omnia quae tum Isaiae oraculis nunciata (2), tum significata sunt admirabili ea columba ad Iordanem, quum eas aquas suo Christus baptismate ad sacramentum novum consecravit. Quo loco illa eiusdem Augustini recte conveniunt: *Absurdissimum est dicere quod Christus, quum iam triginta esset annorum, accepit Spiritum Sanctum, sed venit ad baptismum, sicut sine peccato, ita non sine Spiritu Sancto. Tunc ergo*, scilicet in baptismate, *corpus suum, idest Ecclesiam, praefigurari dignatus est, in qua praecipue baptizati accipiunt Spiritum Sanctum* (3). Itaque Spiritus Sancti et praesentiâ conspicua super Christum et virtute intima in anima eius, duplex eiusdem Spiritus praesignificatur missio, ea nimirum quae in Ecclesia manifesto patet, et ea quae in animis iustorum secreto illapsu exercetur.

Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes. Ipsâque die beneficia sua Spiritus Sanctus in mystico Christi corpore prodere coepit, ea mira effusione quam Ioel propheta iampridem viderat (4): nam Paraclitus *sedit super Apostolos ut novae coronae spirituales per linguas igneas imponerentur capiti illorum* (5). Tum vero Apostoli *de monte descenderunt*, ut Chrysostomus scribit, *non tabulas lapideas in manibus portantes, sicut Moyses, sed Spiritum in mente circumferentes, et thesaurum quemdam ac fontem dog-*

(1) Hebr. IX. 14.
(2) IV, 1; XI, 2, 3.
(3) *De Trin.* l. XV, c. *26.*
(4) II, 28, 29.
(5) Cyr. hierosol. *Catech.* 17.

matum et charismatum effundentes (1) — Ita plane eveniebat illud extremum Christi ad Apostolos suos promissum de Spiritu Sancto mittendo, qui doctrinae, ipso afflante, traditae completurus ipse esset et quodammodo obsignaturus depositum: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (2). Hic enim qui Spiritus est veritatis, utpote simul a Patre, qui verum aeternum est, simul a Filio, qui veritas est substantialis, procedens, haurit ab utroque unâ cum essentia omnem veritatis quanta est amplitudinem: quam quidem veritatem impertit ac largitur Ecclesiae, auxilio praesentissimo providens ut ipsa ne ulli unquam errori obnoxia sit, utque divinae doctrinae germina alere copiosius in dies possit et frugifera praestare ad popolorum salutem. Et quoniam popolorum salus, ad quam nata est Ecclesia, plane postulat ut haec munus idem in perpetuitatem temporum persequatur, perennis idcirco vita atque virtus a Spiritu Sancto suppetit, quae Ecclesiam conservat augetque: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* (3). Ab ipso namque episcopi constituuntur, quorum ministerio non modo filii generantur, sed etiam patres, sacerdotes videlicet, ad eam regendam enutriendamque eodem sanguine quo est a Christo redempta: *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (4) Utrique autem, episcopi et sacerdotes, insigni Spiritus munere id habent ut peccata pro potestate deleant secundum illud Christi ad Apostolos: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (5). Porro Ecclesiam opus esse plane divinum, alio nullo argumento praeclarius constat quam

(1) *In Matt. hom.* I, - II Cor. III, 3.
(2) Ioann. XVI, 12, 13.
(3) *Ib.* XIV, 16. 17.
(4) Act. XX, 28.
(5) Ioann. XX, 22 22.

charismatum quibus undique illa ornatur splendore et gloria auctore nimirum et datore Spiritu Sancto. Atque hoc affirmare sufficiat, quod unum Christus caput sit Ecclesiae Spiritus Sanctus sit eius anima: *Quod est in corpore nostro anima, id est Spiritus Sanctus in corpore Christi, quod est Ecclesia* (1) — Quae ita quum sint, nequaquam comminisci et expectare licet aliam ullam ampliorem uberioremque *divini Spiritus manifestationem et ostensionem*: quae enim nunc in Ecclesia habetur, maxima sane est, eaque tamdiu manebit quoad Ecclesiae contingat ut, militiae emensa stadium, ad triumphantium in caelesti societate laetitiam educatur.

Quantum vero et quo modo Spiritus Sanctus in animis singulorum agat, id non minus admirabile est, quamquam intellectu paulo est difficilius, eo etiam quia omnem intuitum fugiat oculorum. — Haec pariter Spiritus effusio tantae est copiae, ut Christus ipse, cuius de munere proficiscitur, abundantissimo amni similem dixerit, prout est apud Ioannem: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae:* cui testimonio idem Evangelista explanationem subiicit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (2). Certum quidem est, in ipsis etiam hominibus iustis qui ante Christum fuerunt, insedisse per gratiam Spiritum Sanctum, quemadmodum de prophetis, de Zacharia, de Ioanne Baptista, de Simeone et Anna scriptum accepimus; quippe in Pentecoste non ita se Spiritus Sanctus tribuit, *ut tunc primum esse sanctorum inhabitator inciperet sed ut copiosius inundaret, cumulans sua dona, non inchoans, nec ideo novus opere, quia ditior largitate* (3). Verum, si et illi in filiis Dei numerabantur, conditione tamen perinde erant ac servi, quia etiam filius *nihil differt a servo,* quousque est *sub tutoribus et actoribus* (4): ac, praeter quam quod iustitia in illis non erat nisi ex Christi meritis adventuri; communi-

(1) S. Aug. *serm.* CLXXXVII *de temp.*
(2) VII, 38 39.
(3) S. Leo M. *hom.* III *de Pentec.*
(4) Gal. IV, 1, 2.

catio Spiritus Sancti post Christum facta multo est copiosior, propemodum ut arram pretio vincit res pacta, atque ut imagini longe praestat veritas. Hoc propterea affirmavit Ioannes: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus* (1). Statim igitur ut Christus, *ascendens in altum*, regni sui gloria tam laboriose parta potitus est, divitias Spiritus Sancti munifice reclusit, *dedit dona hominibus* (2). Nam, *certa illa Spiritus Sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat qualis nunquam antea fuerat, neque enim antea nulla fuerat, sed talis non fuerat.* (3) Siquidem natura humana necessario serva est Dei: *Creatura serva est, servi nos Dei sumus secundum naturam* (4); quin etiam ob communem noxam natura nostra omnis in id vitium dedecusque prolapsa est, ut praeterea infensi Deo extiterimus: *Eramus natura filii irae* (5). Tali nos a ruina exitioque sempiterno nulla usquam vis tanta erat quae posset erigere et vindicare. Id vero Deus, humanae naturae conditor, summe misericors praestitit per Unigenam suum: cuius beneficio factum ut homo in gradum nobilitatemque, unde exciderat, cum donorum locupletiore ornatu sit restitutus. Eloqui nemo potest quale sit opus istud divinae gratiae in animis hominum; qui propterea luculenter tum in sacris litteris tum apud Ecclesia patres, et regenerati et creaturae novae et consortes divinae naturae et filii Dei et deifici similibusque laudibus appellantur. — Iamvero tam ampla bona non sine causa debentur quasi propria Spiritui Sancto. Ipse enim est *Spiritus adoptionis filiorum in quo clamamus: Abba, Pater* idemque paterni amoris suavitate corda perfundit: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei* (6). Cui rei declarandae opportune cadit ea, quam Angelicus perspexit, similitudo

(1) VII, 39.
(2) Eph. IV, 8.
(3) S. Aug. *de Trin.* l. IV, c. 5.
(4) S. Cyr. alex. *Thesaur.* l. V, c. 5.
(5) Eph. Eph. II, 3.
(6) Rom. VIII, 15, 16.

inter utramque Spiritus Sancti operam; quippe per eum ipsum et *Christus est in sanctitate conceptus ut esset Filius Dei naturalis*, et *alii sanctificantur ut sint filii Dei adoptivi* (1). Ita, multo quidem nobilius quam in rerum natura fiat, ab amore oritur spiritualis regeneratio, ab Amore scilicet increato.

Huius regenerationis et renovationis initia sunt homini per baptisma: in quo sacramento, spiritu immundo ab anima depulso, illabitur primum Spiritus Sanctus, eamque similem sibi facit: *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est* (2). Uberiusque per sacram confirmationem, ob constantiam et robur christianae vitae, sese dono dat idem Spiritus; a quo nimirum fuit victoria martyrum et virginum de illecebris corruptelarum triumphus. Sese, inquimus, dono dat Spiritus Sanctus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est vobis* (3). Ipse enimvero non modo affert nobis divina munera, sed eorumdem est auctor, atque etiam munus ipse est supremum: qui a mutuo Patris Filiique amore procedens, iure habetur et nuncupatur *altissimi donum Dei*. — Cuius doni natura et vis quo illustrius pateat, revocare oportet ea quae in divinis litteris tradita sacri doctores explicaverunt, Deum videlicet adesse rebus omnibus in eisque esse, *per potentiam, in quantum omnia eius potestati subduntur; per praesentiam, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius; per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi* (4). At vero in homine est Deus non tantummodo ut in rebus, sed eo amplius cognoscitur ab ipso et diligitur; quum vel duce natura bonum sponte amemus, cupiamus, conquiramus. Praeterea Deus ex gratia insidet animae iustae tamquam in templo, modo penitus intimo et singulari; ex quo etiam sequitur ea necessitudo caritatis, qua Deo adhaeret anima coniunctissime, plus quam amico amicus possit benevo-

(1) S. Th. 3., *q.* XXXII, a. 1.
(2) Ioann. III, 7.
(3) Rom. V, 5.
(4) S. Th. 1., *q.* VIII *a.* 3.

lenti maxime et dilecto, eoque plene suaviterque fruitur. — Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine *inhabitatio* dicitur, conditione tantum seu statu ab ea discrepans qua caelites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine, *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (1), attamen de Spiritu Sancto tamquam peculiaris praedicatur. Siquidem divinae et potentiae et sapientiae vel in homine improbo apparent vestigia; caritatis, quae propria Spiritus veluti nota est, alius nemo nisi iustus est particeps. Atque illud cum re cohaeret, eumdem Spiritum nominari Sanctum, ideo etiam quod ipse, primus summusque Amor, animos moveat agatque ad sanctitatem, quae demum amore in Deum continetur. Quapropter Apostolus quum iustos appellat templum Dei, tales non expresse Patris aut Filii appellat, sed Spiritus Sancti: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo* (2)? — Inhabitantem in animis piis Spiritum Sanctum ubertas munerum caelestium multis modis consequitur. Nam, quae est Aquinatis doctrina, *Quum Spiritus Sanctus procedat ut amor, procedit in ratione doni primi; unde dicit Augustinus, quod per donum quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi* (3). In his autem muneribus sunt arcanae illae admonitiones invitationesque, quae instinctu Sancti Spiritus identidem in mentibus animisque excitantur; quae si desint, neque initium viae bonae habetur, neque progressiones, neque exitus salutis aeternae. Et quoniam huiusmodi voces et motiones occulte admodum in animis fiunt, apte in sacris paginis similes nonnunquam habentur venientis aurae sibilo; easque Doctor Angelicus scite confert motibus cordis, cuius tota vis est in animante perabdita: *Cor habet quamdam influentiam occultam, et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit.* (4). — Hoc amplius, homin

(1) Ioann. XIV, 23.
(2) I. Cor. IV, 19.
(3) *Summ. th. I., q.* XXXVIII *a. 2.* — S. Aug. *de Trin.* l. XV, c. 19.
(4) *Summ. Th. 3., q.* VIII, *a. 1 ad 3.*

iusto, vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tamquam facultates agenti, opus plane est septenis illis quae propric dicuntur Spiritus Sancti donis. Horum enim beneficio instruitur animus et munitur ut eius vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequantur; haec propterea dona tantae sunt efficacitatis ut eum ad fastigium sanctimoniae adducant, tantaeque excaellentiae ut in caelestis regno eadem, quamquam perfectius, perseverent. Ipsorumque ope charismatum provocatur animus et effertur ad appetendas adipiscendasque beatitudines evangelicas quae, perinde ac flores verno tempore erumpentes, indices ac nunciae sunt beatitatis perpetuo mansurae. Felices denique sunt fructus ii, ab Apostolo enumerati (1), quos hominibus iustis in hac etiam caduca vita Spiritus parit et exhibet, omni refertos dulcedine et gaudio; cuiusmodi esse debent, a Spiritu, *qui est in Trinitate genitoris genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas* (2). — Itaque divinus Spiritus in aeterno sanctitatis lumine a Patre et a Verbo procedens, amor idem et donum, postquam se per velamen imaginum in testamento veteri exhibuit, plenam sui copiam effudit in Christum in eiusque corpus mysticum, quae est Ecclesia; atque homines in pravitatem et corruptelam abeuntes praesentia et gratia sua tam salutariter revocavit, ut iam non de terra terreni, longe alia saperent et vellent, quasi de caelo caelestes.

Haec omnia quum tanta sint, quumque Spiritus Sancti bonitatem in nos immensam luculenter declarent, omnino postulant a nobis, ut obsequii pietatatisque studium in eum quam maxime intendamus Id autem christiani homines recte optimeque efficient, si eumdem certaverint maiore quotidie cura et noscere et amare et exorare: cuius rei gratia sit haec ad ipsos, prout spronte fluit paterno ex animo, cohortatio. — Fortasse ne hodie quidem in eis desunt, qui similiter rogati ut quidam olim a Paulo Apostolo, acceperint Spiritum Sanctum, respondeant similiter: *Sed neque si Spiritus Sanctus*

(1) Gal. v. 22.
(2) S. Aug. *de Trin.* l. vi, c. 9.

est, audivimus (1). Sin minus, multi certe in eius cognitione valde deficiunt; cuius quidem crebro usurpant nomen in religiosis actibus exercendis, sed ea fide quae crassis tenebris circumfusa est. Quapropter quotquot sunt sacri concionatores curatoresque animarum hoc meminerint esse suum, ut quae ad Spiritum Sanctum pertinent diligentius atque uberius populo tradant; sic tamen ut difficiles subtilesque absint controversiae, et prava eorum stultitia devitetur qui omnia etiam arcana divina temere conantur perscrutari. Illud potius commemorandum enucleateque explanandum est, quam multa et magna beneficia ab hoc largitore divino et manaverint ad nos et manare non desinant; ut vel error vel ignoratio tantarum rerum, *lucis filiis* indigna, prorsus depellatur. Hoc autem propterea urgemus, non modo quia id attingit mysterium quo ad vitam aeternam proxime dirigimur, ob eamque rem firme credendum; verum etiam quia bonum quo clarius pleniusque habetur cognitum, eo inpensius diligitur et amatur. — Nempe Spiritui Sancto, quod alterum praestandum esse monuimus, debetur amor, quia Deus est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* (2). Amandusque idem est, quippe substantialis, aeternus, primus amor; amore autem nihil est amabilius: multoque id magis quia summis ipse nos cumulavit beneficiis, quae ut largentis benevolentiam testantur, ita gratum animum accipientis reposcunt. Qui amor duplicem habet utilitatem neque eam exiguam. Nam tum ad illustriorem in dies notitiam de Spiritu Sancto capiendam nos exacuet; *Amans* enim, ut Angelicus ait, *non est contentus superficiali apprehensione amati, sed nititur singula quae ad amatum pertinent intrinsecus disquirere, et sic ad interiora eius ingreditur, sicut de Spiritu Sancto, qui est amor Dei, dicitur quod scrutatur etiam profunda Dei* (3): tum caelestium donorum copiam nobis conciliabit largiorem, eo quod donantis manum ut augustus ani-

(1) Act. XIX, 2.
(2) Deuu VI, 5.
(3) Cor. II, 10 - *Samm. th. 1 2ae, q. a.* XXVIII, 2.

mus contrahit, ita gratus et memor dilatat. Curandum tamen magnopere ut iste amor eiusmodi sit qui non in cogitatione arida externoque obsequio subsistat, sed ad agendum prosiliat, refugiat maxime a culpa; quum haec Spiritui Sancto, peculiari quodam nomine, accidat iniuriosior. Quanticumque enim sumus, tanti sumus ex bonitate divina; quae eidem Spiritui praesertim adscribitur: hunc benigne sibi facientem is offendit qui peccat, quique ipsis eius abusus muneribus et bonitati confisus, quotidie magis insolescit. — Ad haec, quum veritatis ille sit Spiritus, si quis ex infirmitate aut inscitia deliquerit, forsitan excusationis aliquid apud Deum habeat; at qui per malitiam veritati repugnet ab eaque se avertat, in Spiritum Sanctum peccat gravissime. Quod quidem aetate nostra increbruit adeo, ut deterrima ea tempora advenisse videantur a Paulo praenunciata, quibus homines iustissimo Dei iudicio obcaecati, falsa pro veris habituri sint, et *huius mundi principi*, qui mendax est et mendacii pater, tanquam veritatis magistro credituri: *Mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio* (1): *in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum.* (2) — Quoniam vero Spiritus Sanctus in nobis, ut supra monuimus, quasi suo quodam in templo habitat, suadendum est illud Apostoli: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signatis estis.* (3) Idque ipsum non satis est, indigna omnia defugere, sed omni virtutum laude christianus homo nitere debet, ut hospiti tam magno tamque benigno placeat, castimonia in primis et sanctitudine; casta enim et sancta addecent templum. Hinc idem Apostolus: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (4): formidolosae quidem, sed perquam iustae minae. — Postremo,

(1) II Thess. II, 10
(2) I Tim. IV, 1.
(3) Eph. IV, 30.
(4) I Cor. III. 16, 17.

Spiritum Sanctum exorari et obsecrari oportet, quippe cuius praesidio adiumentisque nemo unus non egeat maxime. Ut enim quisque est inops consilii, viribus infirmus, aerumnis pressus, pronus in vetitum, ita ad eum confugere debet qui luminis, fortitudinis, consolationis, sanctitatis fons patet perennis. Atque illa homini in primis necessaria, admissorum venia, ab eo potissimum expenda est: *Spiritus Sancti proprium est quod sit donum Patris et Filii; remissio autem peccatorum fit per Spiritum Sanctum, tamquam per donum Dei* (1) de quo Spiritu apertius habetur in ordine rituali : *Ipse est remissio omnium peccatorum* (2) — Quanam vero ratione sit exorandus, perapte docet Ecclesia, que suplex eum compellat et obtestatur suavissimis quibusque nominibus: *Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium: consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium:* eumdemque enixe implorat ut eluat ut sanet, ut irriget mentes atque corda, detque confidentibus et *virtutis meritum* et *salutis exitum* et *perenne gaudium*. Nec dubitare ullo pacto licet an huiusmodi preces auditurus ille sit, quo auctore scriptum legimus: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (3). Demum hoc est fidentur assiduoque supplicandum, ut nos quotidie magis et luce sua illustret et caritatis suae quasi facibus incendat; sic enim fide et amore freti acriter enitamur ad praemia sempiterna, quoniam ipse *est pignus hereditatis nostrae* ".

Habetis, Venerabiles Fratres, quae ad Spiritus Sancti cultum monendo hortandoque placuit edicere: minimeque dubitamus, quin ope praesertim navitatis sollertiaeque vestrae praeclaros in christiano populo sint fructus latura. Nostra quidem tantae huic rei persequendae nulla unquam defutura est opera, atque etiam consilium est ut, quibus subinde modis videbitur opportunius, idem pietatis studium tam praestabile alamus et provehamus. Interea, quoniam biennio ante, datis litteris *Provida matris*, peculiares preces, easque ad maturan-

(1) *Summ. th.* 3, *q.* III *a.* 8 *ad* 3.
(2). *In Miss. rom. fer.* III *post Pent.*
(3) Rom. VIII, 26.

dum christianae unitatis bonum, in sollemnibus Pentecostes catholicis commendavimus, libet de hoc ipso capite ampliora quaedam decernere. Decernimus igitur et mandamus ut per orbem catholicum universum, hoc anno itemque annis in perpetuum consequentibus, supplicatio novendialis ante Pentecosten, in omnibus curialibus templis et, si Ordinarii locorum utile iudicarint, in aliis etiam templis sacrariisve fiat. Omnibus autem qui eidem novendiali supplicationi interfuerint, et ad mentem Nostram, rite oraverint, eis annorum septem septemque quadragenarum apud Deum indulgentiam in singulos dies concedimus; tum plenariam in uno quolibet eorumdem dierum vel festo ipso die Pentecostes, vel etiam quolibet ex octo subsequentibus, modo rite confessione abluti sacrâque communione refecti ad eamdem mentem Nostram pie supplicaverint. Quibus beneficiis frui pariter eos posse volumus quos publicis illis precibus legitima causa prohibeat, vel ubi non ita commode, secundum Ordinarii prudentiam, in templo res fieri possit; dum tamen supplicationi novendiali privatim detur opera ceteraeque conditiones expleantur. Hoc praeterea placet de thesauro Ecclesiae in perpetuum tribuere, ut si qui vel publice vel privatim preces aliquas ad Spiritum Sanctum pro pietate sua iterum praestent quotidie per octavam Pentecostes ad festum inclusive sanctae Trinitatis, ceterisque ut supra conditionibus rite satisfecerint, ipsis liceat utramque iterum consequi indulgentiam. Quae omnia indulgentiae munera etiam animabus piis igni purgatorio addictis converti in suffragium posse, misericorditer in Domino concedimus.

Iam Nobis mens animusque ad ea revolat vota quae initio aperuimus; quorum eventum summis precibus a divino Spiritu flagitamus, flagitabimus. Agite, Venerabiles Fratres, Nostris cum precibus vestras consocietis, vobisque hortatoribus universae christianae gentes coniungant suas, adhibita conciliatrice potenti et paraccepta Virgine Beatissima. Quae ipsi rationes cum Spiritu Sancto intercedant intimae admirabilesque, probe nostis; ut Sponsa eius immaculata merito nominetur. Ipsius deprecatio Virginis multum profecto valuit et ad mysterium Incarnationis et ad eiusdem Paracliti in Apostolorum coronam adventum. Commu-

nes igitur preces pergat ipsa suffragio suo benignissima roborare, ut in universitate nationum tam misere laborantium divina rerum prodigia per almum Spiritum feliciter instaurentur, quae vaticinatione Davidica sunt celebrata: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae* (1). — Caelestium vero donorum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die IX Maii anno MDCCCLXXXXVII, Pontificatus Nostri vigesimo.

LEO PP. XIII

(1) Ps. CIII, 30.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.

S. P. A. Magister.

—

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta *Patriarch. Antioch., Vicesgerens.*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph, in Vico a S. Prisca, 8. (*in Col. Aventin.*)

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE
SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI.

VII.

Singularis profecto est ratio denominandi Dominicam, quae occurrit in octava Pentecostes. Namque modo appellatur Dominica Trinitatis, modo festum Trinitatis, modo autem Dom. prima post Pentecosten, ipsaque inter Dominicas 1. classis recensetur. Hinc elegans exorta est quaestio inter duos Rubricarum peritos circa locum commemorationis dictae Dominicae quando duplex aliquod in ea occurrit ad ritum simplicem redigendum, atque etiam circa eiusdem Dominicae commemorationem in secundis Vesperis, in concursu cum sequenti dup. II classis. Alter enim sustinet, ideo dictam Dominicam esse privilegiatam, quia in ea celebratur festum Trinitatis. Alter vero autumat, privilegium ita eamdem Dominicam decorare, quia inter Dominicas 1. classis enumeratur. Eapropter vult primus, ut commemoratio Dominicae in casu postponatur commemorationi duplicis simplificati et in II Vesperis omittatur. Alter vero censet oppositum in utroque casu. *Quaeritur:*

1. *Quaenam sit origo festi SS. Trinitatis, eiusque institutionis ratio?*

2. *An privilegium excludendi quodcumque aliud festum, etiam 1. cl., afficiat festum ipsum Trinitatis an potius Dominicam?*

3. *Utri ex diverse opinantibus ratio arrideat?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Gabrielis Scarafia Almi Collegii Capranic. alumni, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 3 Martii 1897; acta Epitoma per Rmum Dom. Petrum Pisani-Milvi Caerem. Apost. Magistrum.

I. Qaenam sit origo festi SS. Trinitatis eiusque institutionis ratio. « Diei Sabbati, ait doctis. Cavalieri, quae in lege veteri ad Deum propter se colendum fuerat delecta, in lege nova dominica dies successit, quae specialiter censetur dicata in honorem SS. Trinitatis, ad profitendam scilicet fidem Dei trini et unius, et Deum trinum et unum expressius colendum, quemadmodum expressius in lege gratiae ipse cognoscitur, prout in se est trinus et unus (*T. II. C. XVII*) ». Etiam alibi (*C. XIV*) idem auctor dixerat ex gravibus auctoribus didicisse, hanc ob causam olim Praefationem SS. Trinitatis in omnibus Dominicis dictam fuisse (quam anno postquam Cavalerius opus suum vulgaverat, die nempe 3 Ian. 1759, Clemens XIII restituit seu de novo concessit); ob eamdemque causam semper Symbolum in Missa Dominicae legi aut decantari, nec non in officio dominicali addi Symbolum S. Athanasii, et in officio quarumdam Dominicarum etiam octavum responsorium de SS. Trinitate *duo Seraphim etc.*; » in his enim omnibus Dei unitatem et trinitatem profitemur ». Thomassinus (*lib. 2, de festis, c. 18*) perbelle ostendit, nedum dies Dominicos, sed quoslibet Christianorum dies festos iure vocari posse et esse Trinitatis solemnia, quia ad Trinitatem

ipsam, tamquam verum omnium finem pertinent cuncta et cuncta nos ducunt, sive de Christi mysteriis agamus, sive de Deiparae excellentia, sive de Sanctorum rebus gestis. Haec porro causa fuit ob quam in Ecclesia Romana festum Augustae Triadis admodum sero legitur institutum. Hinc refert Micrologus *(De eccles officiis c. 60)*: « Alexander Papa de hac re inquisitus respondit iuxta romanum ordinem nullum diem specialiter adscribi solemnitati Sanctae Trinitatis, sicut nec Sanctae Unitatis, praecipue cum in omni Dominica, immo quotidie utriusque memoria celebretur. » Eadem fere habentur in capite *Quoniam, de feriis*, cui ecclesiastici scriptores praecipue intenderunt, ut originem et rationes huius festi investigarent. En autem textus: « Propterea festivitas SS. Trinitatis, secundum consuetudinem diversarum regionum, in quibusdam consuevit in octavis Pentecostes, et aliis in Dominica prima ante Adventum celebrari, Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore huiusmodi celebret specialiter festivitatem, cum singulis diebus *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto* et cetera similiter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis ». Huius Decretalis auctor Pontifex Alexander III communiter existimatur, ac reipsa eius est inscriptio, quae in Corpore Iuris habetur. Hoc item admittit I. ℞. Casali saeculi XVII scriptor (*De veterib. sacr. Christianor. ritib. p. 422*), at nonnulli accuratiores, observat Lambertinius (*De festis Dom. C. XII*), putant Alexandrum II fuisse, et merito quidem, quia de hac Decretali loquitur Micrologus qui, ut refert Thomassinus, *mortuus est ante Alexandrum III Pontificem. Alexander ergo cuius ille meminit secun-*

dus eius nominis extitit sub fine saeculi (*De dier. festor. celebrat. l. 2, C. XVIII, n. 11*) ». Non est autem verum, prosequitur Cavalieri (*loc. cit.*), quod scribit Micrologus, Alexandrum Papam, festum Trinitatis, consuetudinesque illud celebrandi reiecisse; sed solum idem festum non indixit, Ecclesiarum tamen consuetudinem minime damnans, ut eruitur ex allegatis verbis, ac advertunt Thomassinus *loc. cit.* et Gonzalez *in dictum cap. Quoniam* ». Primus (n. 1.) reipsa ait: « Ceterum Romanus Pontifex non respuit festum hunc diem, sed ei minime est suffragatus, Ecclesiarum ceterarum ritus non condemnans ». Alter vero: « Unde cum Alexander consultus fuisset utrum liceret specialem diem dicari huic festivitati, ut PP. Gallicani fecerant, respondit Ecclesiam Romanam non consuevisse speciali die hoc mysterium colere, cum singulis diebus dicatur *Gloria Patri etc.* Unde non damnavit Alexander consuetudinem Ecclesiarum, ubi certo et praefinito die celebratur, sed tantum certum diem huic festivitati non indixit ». Etsi itaque solemnitas ista apud Ecclesiam Romanam non esset in usu, pluribus tamen in locis consueta erat celebrari, in quibusdam in octava Pentecostes, in aliis in Dominica, quae Adventum anteit; nec desunt alii, in quibus in utraque ex praefatis Dominicis illa recolitur, veluti in Ecclesia Senonensi, et nonnullis aliis regni Galliarum. Id eruitur ex quadam Catursii epistola ad Carolum Magnum, qui anno 800 imperium assumpsit; in hac legitur: « Ergo, mi rex, si vobis placeat hoc consilium pro his omnibus, pro te et pro exercitu Christianorum, ut unum diem post ieiunium in anno in honore SS. Trinitatis et Unitatis et angelorum et

omnium Sanctorum celebrem constituas super Regnum tuum cum consilio Synodi Francorum ». Concilium Salegunstadiense (*an. 1022*) habet: « Quidam, maxime Matronae, habent in consuetudine ut per singulos dies audiant Missas peculiares de Sancta Trinitate, etc. et ideo sanximus ne hoc ulterius fiat, nisi suo tempore » Ex hoc deduci videtur, quod huic festo proprium tempus iam fuerat assignatum, et quod propriam Missam habebat. Alia monumenta Alexandro II anteriora, quibus confirmatur vere quibusdam in locis iam celebratum fuisse tale festum, videri possunt apud Martène (*Cap. 28, n. 22*). Omitti tamen non debet quod de S. Stephano Leodiensi Episcopo, qui anno 902 e vivis excessit, legitur; traditur nempe officium in honorem SS. Trinitatis composuisse, cuius successor Richerius decretum edidit ut per Dioecesim diceretur et festum celebraretur; quod postea etiam a vicinioribus Ecclesiis praestitum fuisse colligitur ex Baillet (§. *1, n. 2*).

Officium quod nuncrecitatur, antiquum vocatur in Breviario edito Venetiis anno 1440, et fuisse putatur idem, quod S. Stephanus mox citatus composuit, prout ferunt Durandus (*lib. 6, c. 114*) et Tritemius in Chronaca Hirsagiense. Gavantus (*T. 3, Sect. VI, Cap. 18*) testatur aliud legisse officium a Romana Ecclesia usurpatum, a Ioanne Pechano Archiepiscopo Cantorberiensi compositum, et a Francisco Titelmanno expositum. Hoc officium in usu extitit anno circiter 1200, vivente Pechano; sed eo quod stylus difficilis ac obscurissimus erat, abrogatus fuit et ab illo subrogatus, quo utimur hodie, in quo nihilominus S. Pius V. Hymnum immutavit et lectiones, addidit primum et

ultimum responsorium, atque alias induxit modificationes in melius, iubens ut in laudibus eaedem dicerentur antiphonae, quae in primis Vesperis. Oratio in Sacramentario Gregoriano, invenitur in Missa de nocte Pentecostes. Ioachim Hildebrandus (*De priscae et primitivae Ecclesiae Sacris publicis et diebus festis*, Amsterdam *pag. 59*), ait festum SS. Trinitatis semper fuisse solemne in Ecclesia, cum computaretur tamquam octava Pentecostes, et semper celebrarentur octavae magnorum festorum; sed celebratum tamquam festum peculiariter dicatum cultui Trinitatis, non esse saeculo IX antiquius. Tandem in Decretali dicitur in Ecclesia Romana usus non fuisse stata die celebrandi peculiari cultu SS. Trinitatem, cum quotidie veneraretur, et decantaretur quotidie sub fine cuiuslibet psalmi hymnus *Gloria Patri*. Theologice probat Suarez (*De Religione l. 2. c. 1*) quamque Dominicam institutam esse ob specialem cultum SS. Trinitatis, et id minime obstare cultui postmodum introducto in Dominica prima post Pentecosten, cum additus fuerit *ad maiorem reverentiam Trinitatis, et ut expresse memoria tam in officio proprio, quam in concionibus illius mysterii fieret*. Praeterea certum est SS. Trinitatem esse principale obiectum ac finem omnis religiosi cultus, quem Deo reddit Ecclesia. Namque ex eo quod Sanctos honore prosequimur, cum Christus a fidelibus veneretur, cuius Sancti membra sunt, et cum fideles Christum venerentur Dei Filium, unum substantialiter cum Patre et Spiritu Sancto, nemo est qui non videat esse, ut diximus, SS. Trinitatem praecipuum obiectum et finem religiosi cultus. Et quod ℣. *Gloria Patri* respicit, de quo Decretalis ait solitum fuisse quotidie

decantari, et forsan in fine cuiusque psalmi, communis quondam fuit opinio, illum compositum fuisse in Concilio Nicaeno, et, cum in Oriente recitaretur in fine psalmorum S. Hieronymo instante, hanc laudabilem consuetudinem ad Occidentem translatam, auctoritate S. Damasi Papae (V. Herrera. *l. 2*, et Gonzalez *ad Cap. « Quoniam »*). Ast id, probat Lambertinius (*loc. cit.*), falsum est ex toto. Oratio *Gloria Patri*, seu *hymnus glorificationis*, uti aiebant veteres Patres, non fuit invecta a Concilio Nicaeno, cum de ea loquatur S. Basilius in Epistola ad Amphylochium (*Cap. 7.*), et ante Basilium Athanasius Alexandrinus, qui illius expresse meminit in libro *de Virginitate, sive de Meditatione*: » Cum surrexeris a mensa rursum gratias agendo trinis vicibus dicas: « Miserator et misericors Dominus escam dedit timentibus se. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, rursumque post actam glorificationem, preces tuas absolvas. » Nunc hi Patres antiquiores sunt Concilio Nicaeno, et ideo si loquuntur de glorificationis hymno verbaque referunt, nequit dictus hymnus ortus dici in praefato Concilio. Dicatur ergo melius quod, cum Apostoli de mandato Domini Baptisma contulissent in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, usque ab illorum aevo fideles inceperint hymnum canere glorificationis. Doxologia ergo originem duxit in Synaxibus christianis, et fideles hac ratione suas preces concludebant. Et quamvis ab initio nondum extiterit determinata formula, dici tamen potest huiusmodi usus Deum glorificandi exortus una cum Ecclesia, ac fundamentum habere in mysterio Trinitatis et Baptismi formula. Singulae tres personae divinae Pater, Filius et Spiritus Sanctus enumerantur in Doxologia celebris

orationis Sacerdotalis S. Policarpi, in actis sui martyrii servatae. Aliud maximi ponderis monumentum, probabiliter secundae medietatis saeculi tertii, est lapis quidam sepulcralis Coemeterii S. Domitillae, a cl. De Rossi interpretatus, in quo legitur:

. . . .
(IV?) CVNDIANVS *credidit in*
. . . CRISTVM IESV*m vivit in*
*Patr*E ET FILIO ET ISP*iritu sancto.*

Id vero quod tribui potest Concilio Nicaeno est additio *Sicut erat in principio etc.* ad haeresim Arianorum confundendam, qui blasphemantes aiebant genitum fuisse *in tempore* Filium a Patre, et tempus extitisse, quo non erat. Id satis aperte constat a Concilio Vaisonensi (442) paulo post Nicaenum coacto tempore Constantii Imperatoris, Pontifice Iulio: « Et quia non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem et totam Africam vel Italiam propter haereticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore coepisse blasphemabant, in omnibus clausulis post Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, *sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum amen* dicitur, etiam et nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus ». Haec item opinio Baronii (*an. Chr. 325, n. 175 et seqq.*) et Card. Bona (*De divina psalmodia, C. 16, p. 6*), qui posterior, post relatam Cassiani auctoritatem, qui testatur in Oriente non consuevisse decantari in fine cuiuslibet psalmi *Gloria Patri*, et post adnotatum S. Hieronymum quinquaginta annis ante Cassianum vixisse, concludit haud verum esse

instante S. Hieronymo ob Oriente translatam ad Occidentem disciplinam *Gloria Patri* decantandi in fine psalmorum; Cassianus enim, qui post S. Hieronymum vixit, testatur in Oriente non extitisse hunc morem et scriptorem eius notitiae deceptum fuisse ab Epistola S. Hieronymi. quam ille cum aliis apocrypham indicat (V. Schelstrat in suo opere *antiquitatis illustratae, p. 2*; et Pagi, *Breviarium Romanum Pontificum, T. 1*). Extat profecto apud Baronium (*ann. Chr. 518, n. 31*) Canon Concilii Narbonensis, anno Christi 589 celebrati, id est centum et sexaginta annis et amplius post S. Hieronymi mortem, in quo ita legitur: « Ut in psallendis Ordinibus per quemque psalmum *Gloria* dicatur omnipotenti Deo: per maiores vero psalmos, prout fuerint prolixiores, pausationes fiant, et per quamque pausationem gloria Trinitatis Domino decantetur. » Huic Decreto plures aliae adhaeserunt Ecclesiae, quod satis iustificat Alexandri II assertum, (quod singulis diebus hymnus glorificationis *Gloria Patri* diceretur, et forsan in fine uniuscuiusque psalmi.

Hinc ad nostram quaestionem redeuntes, a qua non inopportune forte digressi sumus, cum Ecclesia Romana non spreverit disciplinam, iuxta quam in aliquibus Ecclesiis celebrabatur peculiare festum in honorem SS. Trinitatis, incoepit haec extendi. Unde Abbas Rupertus, qui initio saeculi XII vixit, scripsit de hoc festo veluti communiter sua aetate celebrato (*lib. II de Divinis Officis C. 1*), et Durandus, qui sub finem saeculi XIII vixit, quamvis dicat quasdam diversitates extitisse in eiusdem observantia, testatur nihilominus iam pluribus in locis fuisse receptam. Ra-

dulphus Tungrensis vero, qui exeunte saeculo XIV vixit, scribit (*C. 60*) quod paulo ante festum Trinitatis Romae non celebrabatur, quod in Gallia ubique ferme cum octava colebatur, et novissime etiam Romae festivitas Trinitatis admittebatur, quod plures Germaniae Ecclesiae sequi coeperant. Auctor ligni vitae (*lib. 5*) eiusdem festivitatis institutionem in Ecclesia Romana tribuit Gregorio IV. Novaes in historia Ioannis XXII notat. Advocat in Ditionario portatili, articulo Petrus d'Ailli affirmare hunc Cardinalem Ianuae praedicasse anno 1405 tanta vi de SS. Trinitatis mysterio, ut Antipapa Benedictus XIII sua oratione motus festum illius instituerit. At ex dictis satis ostenditur tales sententias non posse sustineri, unde certo retineri potest, quod, cum hoc festum paulatim in dies extendi coepisset, Sedes Apostolica tandem illud exceperit, ac sedente Ioanne XXII, qui ab hac luce sublatus creditur anno 1334, ad Ecclesiam universam extenderit, assignata pro eiusdem celebratione Dominica prima post Pentecosten (*V. Martène C. 28*; *Thomassinum C. 18, lib. 2, n. 3; Baillet* in historia huius festi §. *1, n. 4; Gavantum; Merati*; *Gonzalez, Pagi et Lambertini lib. 4 de Canoniz. p. 2, C. 30, n, 1*; *Guyetum Heortologia pag. 9*).

Ratio, ob quam huic magis Dominicae, quam alteri diei praedicta festivitas consignata fuerit, varia excogitatur. Durandus (*lib. 6, C. 114, n, 1*) hanc congruentem dat causam, quia Natalis Domini fuit festum Patris, cui natus est Filius, Pascha fuit festum Filii, Pentecostes Spiritus Sancti, unde statim celebrandum erat trium simul Personarum festum, ut Unitas

in Trinitate veneretur. Rupertus Abbas (*lib. 11, C. 1*), eo quod post adventum Spiritus Sancti coepit statim praedicari et credi misterium SS. Trinitatis, in cuius nomine dabatur Baptismus. Thomassinus (*loc. cit.*), ut omnes pernoscant, Trinitatem finem et complementum esse celebritatum omnium ac mysteriorum. Tandem Grancolas (*Commentar. lib. 2, C. 80*) et Cavalieri (*loc. cit.*), ut novum officium supprimeretur de octava Pentecostes alicubi invectum, impleretur que Dominica diu vacans, idest sine officio, quamvis huiusmodi opinio nitatur falso supposito, ut videbimus, cum non videatur appellanda haec Dominica vacans.

II. Quaeritur secundo an privilegium excludendi quodcumque aliud festum, etiam 1.^{ae} cl., afficiat festum ipsum Trinitatis, an potius Dominicam. Non dubitat Cavalerius (*loc. cit.*) perennem augustae Triadis solemnitatem causam fuisse, cur tale festum praeceptum fuerit sub ritu duplici tantum 2.^{ae} classis, ac sine octava, quamvis alia mysteria minus praecipua solemniori ritu in Ecclesia colantur. Translationis tamen periculum, quod eidem ab occurrentibus festis altioris ritus obvenire poterat, per privilegium excludendi festa quaecumque omnino convenienter, ut mox dicemus, submotum extitit atque proscriptum, ac proinde institutum sub ritu duplici 1.^{ae} classis officium Dominicae, quod consequenter excludit quodcumque aliud festum occurrens eodem die. Sarnellius sibi quaestionem proponit (*T. 4 lett. 24*) cur Dominica SS. Trinitatis inter eas ponatur, quae sunt 1.^{ae} classis et festum inter 2^{ae} classis, et declarationem praemittens super vi difficultatis, congruentias perscrutatur, atque ita de hoc loquitur: Si festum SS. Trinitatis institu-

tum esset sub ritu duplici 1.ae classis necessarium fuisset Dominicam primam post Pentecosten expungere, nullum enim ex festis Domini duplex primae classis commmemorationem habet Dominicae, veluti Pascha et Pentecostes; Dominica vero prima post Pentecosten obliterata, ordo ac titulus sequentium Dominicarum immutandus fuisset, eas potius appellando Dominicas post Trinitatem. Prima igitur locum secundae excipere debuisset, atque ita numerus quoque Dominicarum imminutus fuisset, quae non sunt pauciores numero 23, nec plures 28 usque ad Adventum. Praeterea festum SS. Corporis Christi 1.ae classis debuisset octavam sequi, hoc tamen non congruebat: tum ex eo quod necessaria non fuerit, uti notat Micrologus (*De ecclesiast. observ. C. 60*), quia unaquaeque Dominica est octava Trinitatis, imo quotidie eius memoria celebratur, quamquam ubi est titulus Ecclesiae peculiaris, octavam habeat (quae tamen propterea dignior non habetur alia Corporis Christi), tum ex eo quod institutum fuerit prius festum Corporis Christi cum sua octava, et interdum incidat octava quoque Nativitatis S. Ioannis Baptistae, tali enim rerum conditione magna octavarum confusio ortum habuisset. Conveniens ergo fuit celebrari festum SS. Trinitatis ritu dupl. 2a. cl. una cum Dominica 1a. post Pentecosten. Unde de festo simplici eo die occurrente fit tantùm commemoratio in Laudibus et Missis privatis, dum si occurrit ad *instar simplicis*, eius commemoratio fit in primis et secundis Vesperis, in Laudibus et omnibus Missis, etiam solemni, et ante commemorationem Dominicae, si ex se ritus sit duplicis. Et ne ullum festum primae classis occurens

ea ipsa Dominica festum SS. Trinitatis excluderet ad honorem tanti mysterii, ut se exprimit Gavantus (*T. III, Sect. VI, Cap. XIX*), collocata fuit Dominica Trinitatis inter Dominicas 1[ae] classis, quae nunquam omittuntur. Consequenter, si in secundis Vesperis concurrat cum festo 1.[ae] clas., fit de sequenti, cum commemoratione Trinitatis tantum; si cum festo 2.[ae] clas., Vesperae fient de Trinitate, eo quod semper oportet praevalere dignitate, cum commemoratione alterius festi sequentis, ac proinde *Dominica* 1.[a] *post Pentecosten, ut sic, est eiusdem rationis cum Dominicis sequentibus. non enim de ea intelligitur Rubrica sub titulo Dominicarum 1.[ae] classis, quae nunquam omittuntur, nempe Dominica Trinitatis;* et id satis patet, officium enim integrum fit de SS. Trinitate, et de Dominica 1.[a] post Pentecosten commemoratio tantum et 9 lectio, quae commemoratio omittitur, sicut iam diximus, in secundis Vesperis, si in feria II celebretur festum 1.[ae] vel 2.[ae] classis.

Scriptores de rebus liturgicis, ut bene notat Gardellinius in sua adnotatione ad Decretum 27 Martii 1824, *Resolutionis dubiorum ad 1.*[um] hanc praetereunt controversiam, et vix unus est Gavantus, qui, ut supra vidimus, docet in nihilo differre hanc Dominicam seorsim a festivitate Trinitatis consideratam, ab aliis usque ad Adventum, et occurrens difficultati, quae forte alicui magni ponderis videri poterat, ex eo deducta, quod huiusmodi Dominica notatur inter eas, quae numquam omittuntur, in Tabella Breviariis praemissa, ita prosequitur: « Neque mireris, quod festum Trinitatis nunc dicatur festum, nunc Dominica; nam utrumque verum est, et ratione Dominicae in qua semper occur-

rit, habet hoc, quod nunquam omittitur officium de Trinitate, licet eo die occurrat alicubi primae classis festum; ratione vero festi, habet ea tantum, quae sunt propria festorum secundae classis, nempe commemorationem simplicis in Laudibus tantum et Missis privatis. « Ipsamet Trinitas sic voluit (concludit Gavantus) a qua regitur Ecclesia ».

His positis, ad quaestionem solvendam, de modo singulari Dominicam primam post Pentecosten denominandi, debet ante omnia declarari ad quam classem adscribenda sit, in se considerata, ab adnexo festo SS. Trinitatis abstrahendo. Haec Dominica aliam habere nequit qualitatem, praeter illam, quae communis est aliis post Pentecosten et post Epiphaniam, neque ullo pacto confundi debet cum aliis, quae qualitatem habent primae vel secundae classis, quoad privilegium exclusivum, licet ritus sint semiduplicis. Non titulus, non ratio occurrit, ob quam privilegiatis queat adnumerari. Et re quidem vera praecedens Sabbatum dat complementum celebrationi officiorum de divinis Mysteriis relate ad Passionem et Resurrectionem Christi Domini, et Adventus Spiritus Paracliti, ideo eo in Sabbato, celebrata Missa conventuali, finem habet tempus paschale. Igitur Dominica, quae immediate sequitur, neque est neque haberi potest ut octava Pentecostes, nam si talis esset reputanda, comparanda quodammodo foret Dominicae *in Albis*, quae gaudet ritu duplici. Contra vero Dominica 1ª post Pentecosten non habet nisi ritum semiduplicem, et Missa, quae legenda foret, nisi officium occurreret SS. Trinitatis, nullam habet relationem ad octavam Pentecostes, et ideo etiam nunc in Missarum Codice reti-

netur, quamvis non amplius locum habeat, ad servandum antiquitatis memoriam, quando legebatur, cum nempe festum SS. Trinitatis ad universam Ecclesiam nondum praeceptive extendebatur. Ibi autem ostenditur ritus semiduplex, quia ponitur secunda oratio *A cunctis* et tertia *ad libitum*, contra vero si haberet qualitatem octavae Pentecostes, haberet etiam ritum duplicem et unicam orationem ad instar Dominicae *in Albis*.

Neque obiicias Dominicas Adventus et Quadragesimae qualitatem habere duplicis 1^{ae} vel 2^{ae} classis, quoad privilegium exclusivum, et nihilominus non esse nisi ritus semiduplicis, veluti illa est, quae prima post Pentecosten occurrit; namque hoc illae gaudent privilegio, quia ex Ecclesiae institutione peculiaria includunt Mysteria et populum Christianum spirituali quodam apparatu disponunt, ad celebrandas solemniores festivitates, in quibus memoria recolitur Nativitatis, Manifestationis, Passionis etc. D. N. I. Ch. Quae vero sequuntur Dominicae post Epiphaniam et Pentecosten nihil habent, in se, ex quo ab aliis oporteat distingui. Unde si *de facto* privilegio gaudet quodlibet officium excludendi, eo gaudet non ratione sui, sed ob adnexam festivitatem SS. Trinitatis, quae licet sit secundae classis, nunquam omittitur etiamsi occurrat festum primae classis, quod Rubrica transferendum iubet. Uniuntur quidem festum Trinitatis et Dominica prima post Pentecosten, sed non confunduntur, unicuique tribuendum est, quod illi convenit; festum Trinitatis privilegio donatur eliminandi quodcumque duplex; Dominica vero, ut talis, cum sit ritus semiduplicis, nihil plus habet, quod

exigat ritus qualitas. Quod si quis velit hanc Dominicam ratione sui, et separatim ab adnexo festo SS. Trinitatis, illis revera adnumerandam esse, quae nunquam omittuntur, irrito conatu quaerere debebit rationes ad opus; nulla autem ei suffragabitur saltem ab intrinseco. Nemo est, qui neget hanc Dominicam legi in tabella illarum, quae nunquam omittuntur; ast absolute omnino negari debet id factum fuisse intuitu Dominicae in seipsa spectatae, et non potius ob adnexam festivitatem; non enim illis adnumeratur ut *Dominica prima post Pentecosten*, aut *in octava Pentecostes*, ut dicitur *Prima Adventus*, *Prima Quadragesimae*; verum enunciatur *Dominica Trinitatis*. Ita festiva solemnitas SS. Trinitatis Dominicae perpetuo affixa, notatur in tabella duplicium 2.ae classis, sed iterum notanda erat inter Dominicas, quae nunquam omittuntur ratione privilegii exclusivi. Patet igitur tali privilegio ditari festum, non Dominicam, eodem ferme modo, quo solemnitates Paschae et Pentecostes, quae alia omnia respuunt festa occurrentia *ratione sui*, et non relate ad Dominicas, in quibus perpetuo ex Ecclesiae instituto huiusmodi solemnitates sunt affixae. Forte non deerit, qui existimet Dominicam 1.am post Pentecosten eodem frui privilegio, quo gaudet Dominica *in albis*, quae est ritus duplicis maioris, et nihilominus festo altioris ritus non cedit. Ast vehementer errat, ut observat quoque Mühlbauer (*Decr. Auth. T. III, P. 2*) qui in hac opinione versatur. Magnum quippe unam inter et alteram discrimen est. Dominica *in Albis* quamquam de rigore non sit octava Paschae, quae desinit ad Nonam Sabbati praecedentis, habet nihilominus, qualitatem octavae singulari privilegio

ditatae, quo ab aliis omnibus distinguitur, ideoque legitur in Rubrica: *Dominica in Albis in octava Paschae*. Breviarium Mozarabicum et Orationale Gothicum habent: *Dominica in octavae Paschae*. Insuper in Missa huius Dominicae Deo redduntur gratiarum actiones, tum pro noviter sacro lavacro regeneratis, tum pro Paschalibus festis peractis. Introitus quippe et Epistola ad collatum Neophitis Baptismum relationem habent, cetera ad Resurrectionem. Hisce de causis haec Dominica semper in Ecclesia solemnissima fuit, utpote quae sublimia includit Mysteria. E contrario Dominica prima post Pentecosten nihil prorsus habet unde aequari possit Dominicae *in Albis*; imo nisi adnexum haberet festum Trinitatis, et *de ea* fieri deberet, nullatenus differret a Dominicis, quae sequuntur. Nam, ut legitur in Ordine Romano XIII, sive Caeremoniale edito iussu Gregorii X (apud Mabillon *Mus. Italic. T. II, pag. 241, n. 27*): « In Dominica prima post festum Pentecosten, quae caret octava, die Sabbati in Vigilia ipsius Dominicae usque ad Dominicam primam de Adventu Domini fit officium de die et nocte, ut continetur in Ordinario et utitur Ecclesia colore viridi ». Grancolas (*De Brev. Rom. C. 81, lib. 2*): et Cavalieri (*Tom. II, C. 17 n. 6*) volunt ideo hanc Dominicam assignatam fuisse festo SS. Trinitatis, quia, absoluta iam in Sabbato octava Pentecostes, non habebat officium proprium, et vacantibus adnumerabatur; at nos assentiri non possumus, namque vacans profecto dici nequit, si dat initium Dominicis post Pentecosten et quae proxime succedit, in ordine secunda est. Certum tamen est, quod in Cappella Pontificia Missa Trinitatis unicam orationem habebat, quin

de Dominica fieret commemoratio. Ita in Caeremoniali S. R. E. (*lib. 2, T. II, C. 13*): « In vigilia SS. Trinitatis fiunt Vesperae etc. In die fit Missa solemnis etc. dicitur tantum una oratio ». Ad hunc Caeremonialis locum Catalanus notat: « Hic est ritus, cuius passim meminit Burchardus in suo MS. Diario, ubi etiam refert, quod cum, finita Missa, Cardinalis S. Marci ei dixisset, quod de Dominica debuit fieri commemoratio in Vesperis et in Missa; se eidem respondisse, illam de expresso mandato D. N. Papae (Innoc. VIII) fuisse omissam ». Idipsum confirmatur ex Rubrica 27 Codicis Vaticani 4737, quae iubet: « Item in festo Trinitatis, quae est in octavis Pentecosten, utitur paramentis albis... nec in Missa dicti festi fit commemoratio de Dominica, quamvis in Matutinis et Vesperis de ipsa Dominica fit commemoratio. »

Suppetit et aliud argumentum ad nostrum assertum probandum, et ex eo desumitur, quod haec Dominica non gaudet Statione, qua decorantur omnes aliae Dominicae, quae ob privilegium exclusivum, etsi ritu gaudeant semiduplici, festa tamen occurentia ritus primae vel secundae classis non admittunt, quod expresse notatum videmus a Panvinio (*De Basil. Lateranen. lib. 2, c. 8, MS. in ead. Basil.*). Praeterea absque fundamento est assertum, quod haec Dominica iam ritu 1ae classis gauderet antequam Ioannes XXII, ibi festum SS. Trinitatis recolendum instituerit; etenim, ut vidimus, ex Missali constat fuisse ritus semiduplicis. Tandem si primae classis esset Dominica, quoad privilegium exclusivum, in ratione Dominicae duo sequerentur absurda, videlicet: vel quod Dominica, quae nunquam omittitur, omittenda esset, vel quod

privilegio exclusivo pötiretur Dominica, et festum Trinitatis eo gauderet non ratione festi, sed ratione Dominicae, quae certe contradictionem involvunt, nulloque pacto componi queunt. « Omnia conciliantur, concludit Gardelinius (*loc. cit.*), si ad festum Trinitatis referatur illud *Dominica Trinitatis*, ita ut sensus sit : *Festum Trinitatis, quod adnexum est Dominicae primae post Pentecosten, licet sit ritus 2ae clas. est ad instar Dominicarum, quae nunquam omittuntur* ».

III. Tandem ad quaestionem, utri ex diverse opinantibus ratio arrideat, videmur satis superque in superioribus dixisse, ut tuto respondeatur : Primo. Hic enim sustinet ideo dictam Dominicam esse privilegiatam, quia in ea celebratur festum SS. Trinitatis, vult proinde ut commemoratio Dominicae in casu postponatur commemorationi duplicis simplificati, et in secundis Vesperis omittatur, quod consonum est rectae rationi, Missali, Breviario et Decreto S. R. Congregationis.

QUAESTIONES ANNI 1895-96

VI.

1. Num semper, seu in latina seu in graeca Ecclesia, viguerit consuetudo, ut Diaconus et Subdiaconus communicarent in solemnori Missa, pacemque reciperent et quo ordine, a Celebrante Episcopo ?

2. Quinam impraesenti tenendus ordo pacis, dum Diaconus et Subdiaconus Missae non communicant,

in Missarum Pontificalibus, Rubrica Caeremonialis et Decretis perpensis?

3. Quibusnam ex disceptantibus ratio faveat, quidque in praxi tenendum?

CONCLUSIONES

Ex dissertat. R. D. B. Cerretti, habita die 26 Febr. 1896; Epitomatore Rmo D. Roberto Marcucci.

I. Quaesitum tres habet partes: nempe imprimis quaeritur num in Ecclesia Graeca et Latina semper viguerit consuetudo ut Diaconus et Subdiaconus communicarent in solemniori Missa; secundo num pacem ab Episcopo celebrante reciperent; tertio quo ordine. Pauca ad quamlibet partem. Relate ad primam solemne hoc fuit in utraque Ecclesia Graeca et Latina, ut unum et idem sacrificium a pluribus interdum Sacerdotibus celebraretur, praesertim diebus solemnioribus. Hic autem usu hactenus servatur a Graecis, apud nos vero in solis ordinationibus Presbyterorum et Episcoporum. Huiusmodi ritum late describit Ioannes Morinus (*lib. I. de sacr. Ordinat.p ar. 3ª.*), et probatur antiquorum canonum et Patrum testimoniis. Revera Constitutiones Apostolicae (*lib.* VIII) Episcopum describunt Sacrum operantem cum Presbyteris circumstantibus simulque offerentibus et communicantibus. Canon Concilii V Toletani praecipit Presbyteros et Diaconos quotidiano Sacrificio adesse. Quibus verbis intelligitur non tantum materialis ut ita dicam praesentia, sed, notat Bona, participatio de Sacramento videlicet communicatio

in eodem Sacrificio. Ioannes VIII in fine octavae Synodi ad Photium scribens, suos Apocrisarios defendit quod cum ipso Photio simul sacrificare noluerint. Anastasius Ischirae calumniatori suo exprobrat, quod numquam Synaxim cum aliis Presbyteris fecerit. Ordo etiam Romanus hunc ritum exprimit, qui adhuc vigebat tempore Innocentii III. Multa alia etiam afferri possunt testimonia ad existentiam istius consuetudinis probandam, quae testimonia, ut superius allata, demonstrant in utraque Ecclesia mos fuisse quod ministri communicarent non solum cum una simul cum celebrante offerebant, sed et cum simpliciter assistebant. Durandus cum quibusdam ex Scholasticis improbant hanc consuetudinem et dicunt non bene conciliari cum ipsa doctrina dogmatica: sed praecise Theologis dogmaticis onus incumbit sole clarius demonstrare, ut revera nonnulli faciunt, quam a vero aberret Durandus eiusque sectatores. Sed quidquid sit, pro re nostra sufficit factum adstruere. De cetero per plura saecula, ait Bona. (*Rerum Liturgicarum Lib. I. cap. 24*) constanter iste ritus in utraque Ecclesia viguit, quinimo in Ecclesia Graeca adhuc viget, ut videre est in caeremonialibus Graecis; in Latina vero in desuetudinem abiit. Quod vero in Ecclesia Latina revera ista consuetudo erat, sufficit perlegere Caeremoniale Episcoporum ubi de ordine dandi pacem sermo est: dicitur nempe quod Diaconus et Subdiaconus accpiunt pacem ab Episcopo celebrante cum ab eo capiunt communionem. Ergo mos communicandi in Ecclesia Latina saltem in Missa solemniori servabatur. Nuperrime adhuc ista consuetudo servabatur in Basilicà S. Petri, ubi quibusdam diebus Festis ministri communi-

cabant cum celebrante; quinimo in Ordinario, quo Capitulum et Clerus Vaticanus utitur, notatur etiam nunc quando ista communio generalis locum habere deberet, sed ad eam non amplius accedunt ministri, bene vero clerici Sacrario addicti et Sem. Vaticani alumni. In Cappella papali nunc quoque fit, Diaconus Card. (Evang.) accipit communionem stans a Pontifice. Subdiaconus apostolicus vero genuflexus ab eodem Pontifice, qui dat quoque osculum pacis eisdem. Igitur paucis: Tum in Ecclesia Graeca, tum in Latina consuetudo erat in Missa solemniori communicandi ministros cum Episcopo celebrante : in Ecclesia Graeca etiam nunc servatur, non ita vero in Ecclesia Latina.

Osculum pacis in Missis solemnioribus in omnibus Liturgiis habetur, quamvis non omnes in uno eodemque loco Missae ponant. Liturgia enim Romana et Ambrosiana post primam orationem, qua Sacerdos pacem Ecclesiae precatur, ponit ; Graeci vero et alii Orientales ante Praefationem dant pacem. In Liturgia S. Iacobi datur pax post Symboli recitationem, in Liturgia S. Chrysostomi ante Symbolum. Igitur omnes Liturgiae hunc ritum habent, quamvis non eodem loco Missae ponant, et omnes eum sub eodem symbolico aspectu peragunt, nempe in signum fraternitatis inter fideles. Et res aliter esse non potest si consideretur, ut notant rerum liturgicarum expositores, praesertim Bona (*loc. cit.*), quod osculum pacis sit ex ipsa Apostolorum institutione ; hinc debebat certe transmitti in omnes Liturgias. Sed quo ordine dari debet ? Tum in caeremonialibus Graecis, tum Latinis haec phrases habentur, nempe : *iuxta dignitatem*, et : *sicut thus ministratur, ita et osculum pacis datur*. Igitur inci-

piendum est ab eo, qui maiorem habet dignitatem, qui deinde, vel Episcopus celebrans, ut inferius videbimus, distribuit aliis, quibus thus fuit adhibitum.

II. Ut clarior evadat responsio ad quaesitum: Quinam impraesenti tenendus est ordo pacis dum Diaconus et Subdiaconus Missae non communicant, in Missarum Pontificalibus, Rubrica Caeremonialis et Decretis perpensis; videamus prius quinam sit quando communicant Ministri, deinde quando non communicant. Quando communicant res est plana, ita enim Caeremoniale Episcoporum, nullo contradicente S. R. Congregationis Decreto, statuit: « Ordo autem (dandi pacem) idem erit prout..... de thuris ministratione dictum fuit; hoc excepto, quod ipse assistens non dat osculum Diacono Evangelii et Subdiacono Epistolae, nec duobus Diaconis assistentibus, isti enim capiunt pacem ab eodem celebrante statim, postquam illam dederit Presbytero assistenti, genuflectentes prius et post ante SS. Sacramentum, non tamen osculantes Altare. Illi vero, hoc est Diaconus Evangelii et Subdiaconus Epistolae, capiunt pacem ab eodem Episcopo celebrante, cum ab eo accipiunt communionem ». Ergo iuxta Ceremoniale Episcoporum, Presbyter assistens accipit pacem ab Episcopo, deinde ab eodem Episcopo pacem accipiunt duo Diaconi assistentes, tandem osculum ab Episcopo celebrante recipiunt Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolae, antequam communionem ab Episcopo accipiant.

Sed si res plana est quando Ministri ab Episcopo communionem accipiunt, non ita est, saltem prima fronte, quando ministri non communicant; in hoc casu enim habentur quaedam S. R. Cong. Decreta, quae non vi-

dentur inter se cohaerere, et adversari Rubricae Caeremonialis Episcoporum. Igitur imprimis ut innuatur de ista incohaerentia oportet; deinde explicatio eiusdem danda est, ad statuendum quis in praesenti ordo sit tenendus. Ita se habet Rubrica Caeremonialis: « Sed si fuerint Sacerdotes, et iam celebraverint aut velint hac die celebrare, tunc postquam Presbyter assistens cum Pluviali, pacem ab Episcopo celebrante acceperit, ut eam per Chorum distribuat, ab eodem celebrante pacem etiam accipiunt cum Diaconis assistentibus Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolae ».

Sed die 17 Iunii anno 1606 in *Bracaren.* S. R. Congregatio, declaravit, quod in tali casu, nempe quando ministri non communicant, prius debeat accipere pacem ab Episcopo celebrante Presbyter assistens ut illam choro distribuat; deinde Diaconus Evangelii, pacem ab eodem Episcopo accipiens, Subdiacono ministret. Subdiaconus vero, iuxta aliud Decretum ab eadem S. R. Congr. editum in Asculana anno 1664 die 24 Maii, dat Diaconis assistentibus. Igitur evidens est dissonantia inter Rubricam Caeremonialis, et Decreta S. R. Congr. At non sufficit: die enim 15 Martii, anno 1608 S. R. Cong. aliud Decretum hac super re ediderat statuens, quod quando ministri sunt Presbyteri et non communicant, sive quia iam celebraverint, sive quia volunt celebrare, tum Diaconus Evangelii et Subdiaconus Epistolae debent pacem accipere ab Episcopo immediate post duos Diaconos assistentes. Quod quidem Decretum consonat omnino cum Rubrica Caeremonialis Episcoporum, sed sicut Caeremoniale, adversatur Decretis superius allatis. Igitur quid tenendum in praxi? Responsio in promptu est: ultimum hoc

Decretum, quod consonat cum Caeremoniali Episcoporum, est sequendum... en autem ratio: anno 1727, videlicet postquam edita fuerint omnia Decreta superius allata, facta fuit correctio Caeremonialis, in quo integra Rubrica de ordine dandi pacem in Missa solemniori, quando ministri non communicant, addita fuit. Quia vero ista additio convenit cum hoc ultimo Decreto, cetera alia huic contraria, censentur revocata, proindeque nullius roboris. Quod et iure tenebitur, eo quod praedicta Decreta in oppositum deleta sunt a nova Collectione authentica. Paucis itaque, hic ordo in presenti quando ministri non communicant in solemniori Missa est tenendus, videlicet: Presbyter assistens cum pluviali accipit pacem ad Episcopo ut choro distribuat: deinde vero ab eodem Episcopo celebrante Diaconi assistentes et tandem Diaconus Evangelii et Subdiaconus Epistolae.

III. Ex his omnibus facilis omnino est solutio tertiae petitionis, quibusnam ex disceptantibus ratio faveat. Nam absque dubio, Capitulum illius Cathedralis a veritate aberrat, et ratio favet Humberto caeremoniarum magistro. Et sane Canonici fundantur in Decreto illo, quod nunc revocatum censetur, iuxta quod imprimis ab Episcopo accipere debet pacem Presbyter assistens ut illam choro distribuat, deinde Diaconus, qui Subdiacono ministrat, qui sua vice Diaconis assistentibus dat. Humbertus autem fundatur in Decreto quod etiam nunc valorem habet et cohaeret cum Caeremoniali Episcoporum, vi cuius statuitur, Presbyterum assistentem debere recipere ab Episcopo pacem, deinde pariter immediate ab Episcopo debere recipere Diaconos assistentes, et post eos, Diaconum

Evangelii et Subdiaconum Epistolae. Et hic ordo in praxi omnino tenendus.

VII.

1. Unde exoriantur, Caeremonialis Episcoporum legibus inspectis, tot tantaque discrimina inter Missarum ac Vesperarum solemnia Episcopi dioecesani et titularis?

2. Utrum ex Caeremoniali Episcoporum, eiusque expositoribus certae erui possint normae, et quae, pro iis determinandis, quae soli Dioecesano, aut etiam Titulari, in dictis functionibus competunt?

3. Quid de singulis in casu expositis? Et num a S. R. C. provocare congruat opportuna remedia, ut incommodis, de quibus in casu, eatur obviam?

CONCLUSIONES

Ex dissertatione R. D. D. Spolverini habita die II Mart. 1896; Epitomatore R.mo P. Henrico Chatillon O. P.

I. Praemittimus in casu nostro tantum valere quae dicentur de Titulari, quantum quae de Dioecesano extra locum suae iurisdictionis. Codex nullus extat, qui Pontificalium Missarum et Vesperarum ad faldistorium caeremonias moderetur, ita ut, quia Caeremoniale Episcoporum de functionibus a Dioecesano, seu Ordinario peragendis pertractat, et non ab extraneo seu Titulari, quisque in sua Ecclesia se recte agere praesumit, ex privato iudicio spiritum vel literam di-

cti Caeremonialis interpretatus. Unde operis pretium est, quinam sit ordo tenendus Caeremoniali conformior investigare.

In Caeremoniali Episcoporum, tantummodo libro II, cap. 26 de Pontificali ad faldistorium verba fiunt, alibi vero quaedam breviter innuuntur. Tamen, seu ex iis, quae dicuntur de Episcopo dioecesano, cum adnotatione, quod non possint extendi ad extraneum seu ex iis, quae loquuntur de ipso Dioecesano praesente Superiore, seu ex iis quae habentur de Episcopo suffraganeo, habebimus quod satis sit ad quaestionem solvendam. Praeterea notandum est, differentiam, quae inter Dioecesanum et Titularem intercedit praecipue repetendam esse a iurisdictione, quam ille actu exercet, dum iste non exercet, eo quod suae Ecclesiae possessionem non adipixatur.

His praemissis videamus singulas differentias ex Caeremoniali. De Throno ait (*l. I, C. 13*), Episcopum illum nunquam cedere, nisi Cardinali S. R. E. (intellige, nulli alii deberi; potest quippe Episcopus honoris gratia cedere). De septimo Candelabro disponit (*ib. C. 12*), prout uni Dioecesano debito. Diaconorum assistentiam (*ib. C. 8*) iubet, *nulli alteri etiamsi sit Legatus, qui in Sede Episcopi sederet*, faciendam esse. De pastorali baculo, utitur, inquit, « in sua tantum Civitate vel Dioecesi, *et etiam alibi ex permissione Ordinarii* (*ib. C. 17*). De Cappa: « Extra Dioecesim et Ecclesiam suam Episcopi non utuntur Cappa » (*ib. C. 3*). De genuflexionibus Episcopo faciendis ait: « qui ei ad lotionem manuum ministrant genuflexi officium suum peragunt, nisi adesset Legatus etc. (*ib. C. 18*); et tunc laici tantum et clerici omnes praeter Ca-

nonicos et Praelatos debent genuflectere (*lib. 2. C. 51*). » Alibi praescribitur praegustatio panis et vini; alibi benedictio danda ab Episcopo quum ambulat per suam Civitatem vel Dioecesim. Circuli faciendi dicuntur dumtaxat ante *Episcopum proprium*. In his haud semper dignosci potest iurisdictionis signum ex actus natura profluens, sed plura statuta sunt ut fiant tantum pro Episcopo Ordinario, honoris causa, ad iurisdictionem distinguendam et exaltandam, denotant enim *per se* maiorem solemnitatem, et ex singularitate iuxta intentionem Ecclesiae honoris augumentum. Unde responderi potest tot tantaque discrimina inter functiones Episcopi Ordinarii et Titularis ex hoc oriri, quod nonnullae ex se proveniant ab exercitio iurisdictionis ordinariae, quam Dioecesanus actu exercet, aliae vero ab Ecclesia positae sint, ut distinguatur unus ab altero Episcopo, utrum sit proprius superior an non, quamvis gradu extraneus esset maior.

II. Ad statuendum vero quaenam sint normae sequendae, ut distinguatur quid soli Dioecesano, quid etiam Titulari competat, haec observari possunt: 1. Omnes caeremoniae, quae iurisdictionem indicant, uni competunt Dioecesano; 2. de aliis, quae a Caeremoniali exclusive describuntur prout Dioecesani propriae, huic soli competunt, quae autem in genere ponuntur, utrique (dummodo aliter non constet ex S. R. Congregatione); 3. quae tandem determinantur pro Suffraganeo, vel Dioecesano praesente Cardinali, possunt, servatis servandis, etiam Titulari applicari.

Hinc Titulari explicite negatur 1. Thronus, 2. assistentia Diaconorum, 3. baculus pastoralis, 4. genuflexiones, 5. circuli ad *Kyrie*, *Gloria* etc., 6. septi-

mum Candelabrum, 7. Cappa pontificalis. Permittitur Presbyter assistens, et Diaconorum munera a Caeremoniali supplenda praedicantur per Diaconum et Subdiaconum Missae; hinc Diaconus ipse aufert Mitram et gremiale, et non Subdiaconus. Utrum vero, Diacono impedito, spectet ad Subdiaconum an ad Caeremoniarium Mitram imponere et auferre, quaestio est; decreta, quae favere videntur Subdiacono, data sunt pro Cappella Pontificia extra quam non facile extendenda sunt; eo vel magis quod quaestio insoluta remanserit quoad principium, decreta enim habent: Dilata et ad mentem. Quae erat: ut Emus ponens *curaret* ut magistri caeremoniarum abstinerent in futurum ab imponendo et auferendo Mitram et gremiale *in casu* etc. nisi impedito Diacono et Subdiacono (*26 Apr. et 7 Jun.* 1704). Diaconus Calicem abstergit ante vini infusionem et non Subdiaconus, ac semper Naviculam porrigit et Episcopum thurificat. Uterque Minister post Presbyterum assistentem pacem ab ipso Episcopo recipit.

Quod Presbyter assistens debeatur et Titulari, constat ex ipso Caerem. (*lib. I c. 27; l. II, c. 26 et alibi*), et Decretis pluribus S. R. C. Nec attendendum verbis Martinucci, ex quibus eius officium « ad hoc redigitur, ut curam gerat Missalis »; sed et debet mantile Episcopo porrigere, annulum imponere, respondere ad confessionem etc. Librum super caput sustinere ad cantum Episcopi, nunquam candelam sustinere (*S. R. C. 19 Maii 1642*). Accipit pacem omnium primus eamque choro defert. Adiuvat Episcopum genuflectentem, et ad Elevationem planetam cum Diacono sublevat a sinistris genuflexus.

III. De singulis in casu expositis dicendum: Omni-

no improbandam esse consuetudinem solemnia Missarum et Vesperarum pontificali ritu celebrandi in Ecclesiis ita angustis aut talis conditionis, ut ritibus ac caeremoniis cum decore exercendis non dent locum. 2. Utrumque retineri posse circa Episcopi praeparationem, ut eam in sacrario perficiat vel in ipsa Ecclesia, semper dum caligas et sandalia induit. Alia vero paramenta ex Altari suscipit contra nonnullos, qui etiam in Sacristia id peragendum putant 3. Cantum horae Tertiae dum Episcopus in presbyterio sumit paramenta, non esse communiter Romae usitatum, si Basilicas patriarchales excipias, idcirco, ubi consuetudo viget, retineri posse. 4. Regulam esse generalem paramenta deponi ubi ea Episcopus induerit. 5. Gratiarum actionem et depositionem caligarum et sandalium fieri ubi praeparatio et assumptio facta fuerit. 6. Subdiaconum ad dicendum *Sanctus*, *Agnus Dei*, et ad purificationem ministrandam non debere conscendere, sed in plano manere. Caeremoniale habet: « Cum dicit *Sanctus* iungit manus.... prosequens cetera cum ministris.... *videlicet assistente Presbytero et Diacono*, qui tunc ad eum accedit (*l. II, c. 8, n. 67*). » Episcopus « dicit *Agnus Dei etc.*, simul cum assistente et Diacono (*ib. n. 75*) ». Ceterum omnis dubitatio expellitur ex S. R. C. Decreto, 2 Maii 1892 ; ad dubium « An Subdiaconus in Missa pontificali ascendere debeat ad dexteram Diaconi in cornu Epistolae tum ad recitandum *Agnus Dei*, tum ad infundendam aquam, dum Pontifex se purificat post Communionem (prout vult Martinucci) vel ad praebendas Diacono ampullas uti alii cum Baldeschi, et si negative, an saltem ad praedicta, nec non ad *Sanctus* ascendere teneatur ubi

talis viget consuetudo? Respondit ad 1^{um} Negative in omnibus, et servetur Caeremoniale Episcoporum *l. II, c. 8, n. 7, 76*); ad 2^{um} Negative, et servetur Caerem. Episc. (*l. II, c. 8, n. 67*).» Tamen in casu, quo Presbyter assistens nondum reversus fuerit ad Missale, Diacono apud illud remanente, Subdiaconus ascendet ad dexteram Episcopi purificationem ministraturus. 7. Ultimum Evangelium seu Initium S. Ioannis recitandum esse integre apud Altare (*S. R. C. 17 Aug. 1887*). 8. Manuum lotionem fieri non debere post Sacrum peractum, ait enim Caeremoniale (*l. 1, C. 11*): « Quater Episcopus in Missa solemni lavat manus; primo antequam etc... *quarto et ultimo* post communionem ».

Quod autem Vesperas spectat, haec cum De Herdt notentur: non admittuntur Diaconi assistentes, nec Presbyter assistens, sed tantum quatuor aut sex Pluvialistae, prout fit in Vesperis a simplici Sacerdote celebratis. Capitulum tamen a Cantore decantatur. De Altaris SS. Sacramenti thurificatione quid dicendum? Caeremoniale illam non admittit celebrante Episcopo in sua Dioecesi, Decretum vero 22 Martii 1862 ad 6 dicit non debere thurificari celebrante Episcopo, sed videtur loqui de Ordinario: praxis romana thurificationem admittit.

Attentis igitur tot discrepantiis in pontificalium praecipue Missarum praxi, congruitne opportuna remedia a S. R. C. provocare? Profecto, si nimis cuidam saperet, novum Caeremoniale pro Episcopis Titularibus invocare, saltem optandum, ex plurium voto, ut dicitur in casus expositione, « ut norma quaedam communis ab auctoritate competenti probata tandem aliquando in lucem prodeat » (1).

(1) Vide nostras Ephemerides huius anni num. 5, pag. 290.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex oppido Vivario.* **De Symbolo dicendo, eiusque de causa, in Missa propria S. Theresiae.** In Hispania festum S. Theresiae habet Missam propriam cum speciali Praefatione atque etiam Symbolo: quaeritur, an Symbolum dici quoque debeat si festum transferatur a die 15 Octobris in aliam?

Resp. Non videmus rationem de ea re dubitandi; cum enim officium aliquod transfertur, nihil in eo mutandum de more est, sive accidentalis sive perpetua translatio fiat. Abstrahimus a quadam exceptione ob naturam temporis, quod non comprobatur in casu. Porro officium Missam sequitur, ut si nihil in illo, nihil et in ista mutari debeat. Si proinde ex privilegio speciali et locali Missa S. Theresiae Symbolum ferat, uti legimus in cl. Solans (*Prontuario Liturg. n. 1016*), nulla est ratio, ob quam in Missa de festo translato illud omitti debeat.

Quod autem attinet rationem dicti Symboli in Missa addendi, quam adm. rev. consulens ponit, nempe quod uti *Doctorissa* consideretur, quid respondendum nescimus. Profecto praefatam virginem praeclaram fuisse magistram in re spiritali, concedendum est; verumtamen ea de causa fuisse indultum Symbolum, non plane constat. Quamplures enim ex sanctis Confessoribus, eodem iure ac praedicta Sancta, magistri extiterunt in viis Domini; sed neque ideo Symbolo gaudent in Missa, neque eo tantum sensu doctores

esse debent illi, quos Rubrica Missalis Doctores appellat, et quibus Symbolum tribuit. Ceterum Symbolum in Missa sanctis Doctoribus competere notum satis est, verum et *Doctorissis* hunc tributum honorem certe non novimus. Quin hanc scrutemur causam, contenti simus potius dicere, id speciale et locale fuisse privilegium, quo dictam virginem decoravit S. R. C.

Nota. Utrum Missa quoque festi secundarii, seu S. Virginis Transverberationis, Symbolo gaudere debeat, pro negativa responsione stamus. 1. Quia agitur de mero privilegio pro Missa propria festi primarii; ergo non videtur extendendum ad Missam de Communi festi secundarii. Hinc cl. praecitatus Solans notat (*loc. cit.*), dicendum esse *Credo* in Missa propria festi primarii; sed de eo dicendo in festo Transverberationis prorsus silet (*n. 1000*). 2. Quae alibi exposuimus super hoc negotio in festis secundariis Patronorum vel Doctorum (*V. Ephem. 1894 pag. 526 et seq.*), hic applicari nequeunt; quia Patroni et Doctores vi legis de iure gaudent Symbolo, non autem ex privilegio. 3. In festo secundario ipsa maior solemnitas fortasse deficit, quippe quod inferiori supponimus ritu celebrari prae alio primario, quod est dup. II classis. Quae hucusque diximus, sive in responso ad Dubium propositum sive in nota, supponunt, non haberi de S. Theresia Reliquiam insignem in Ecclesia; tunc enim et certa haberetur causa Symboli dicendi in Missa, quocumque die festum agatur, nec solum in primario, sed etiam, uti credimus, in secundario, licet aliquis ex auctoribus contrarium sentiat.

II. *Ex eod. loco*. **De duobus festis eadem die perpetuo occurrentibus.** Sanctorum festum Cyrilli et Me-

thodii perpetuo occurrit cum festo S. Michaelis de Sanctis, est utriusque festi dies assignata est 5 Iulii: quale ex iisdem dicta die agendum, quale in aliam transferendum?

Resp. Antequam respondeamus necessarium ducimus verborum, ad rem nostram quod attinet, significationem authenticam, eorumque usum faciendum declarare. Adm. rev. consulens haud exacte dicit, pro Ss. Cyrillo et Methodio ac pro S. Michaele de Sanctis eamdem esse assignatam diem, videlicet 5 Iulii. Dies assignata enim est idem ac dies ab Episcopo, vel calendarii redactore de illius consensu, translata in perpetuum. Verum quae dies a S. Sede seligitur pro aliquo recolendo festo liturgico, non dicitur *assignata* sed *mutata*. Inter hanc autem et illam diem grave discrimen intercedit, hoc est: dies mutata est vere dies propria sicuti *natalitia*, cuius omnia iura in illam transeunt, quae propterea dicitur quasi-natalitia, et diem festum liturgice constituit. At non sic dicendum de *assignata*, quippe quae non est, nec *natalitia* nec quasi-natalitia, cuius iura omnia in illam non transeunt nec propterea constituit festum liturgicum, sed est dies statuta pro recolendo officio, quod propria die impeditum fuit; consequenter est dies *non propria*, unde dicitur *assignata*. Haec doctrina est certa, impraesenti saltem, ex recentissimo, nondum tamen evulgato, iure renovata ac declarata, ab omnibus proinde tenenda ac omnino servanda.

His suppositis, nullo negotio dubium propositum solvitur. Festum Ss. Cyrilli et Methodii non agitur die 5 Iulii, de qua ne verbum quidem in Martyrologio Romano, sed die 9 Martii, uti in eodem Martyrologio

legere est. Quod si in calendario Urbis dies 5 Iulii reperitur inscripta pro dictis Sanctis, id significat talem diem esse *assignatam*. In Martyrologio enim haec dies inscribi, nec debet nec potest, cum particularis sit alicuius Ecclesiae: bene vero in eo inscribitur de more dies *natalitia*, vel etiam *quasi-natalitia*, quae pro universa inservit Ecclesia. At festum S. Michaelis recensetur in Martyrologio die 5 Iulii, in qua eius festum colitur; dicitur enim in eodem codice (*ad diem 10 Apr.*) Summum Pontificem Pium IX, hanc eandem diem pro illius festivitate assignasse. Itaque duo habentur eadem die Sancti, quorum alter est in die *propria*, alter in die *non propria*, ille in die *quasi-natalitia*, iste in die *assignata*, ex quibus illius recolitur festum, istius tantum officium: quale ergo praevalebit, quale transferetur? Indubia responsio: dies *propria* praevalet *non propriae*, dies *quasi-natalitia* diei *assignatae*, dies *festus* diei *officii*; ergo, cum illa comprobentur pro S. Michaele, ista vero pro Ss. Cyrillo et Methodio, luce meridiana clarius patet, S. Michaelem praevalere Sanctis Cyrillo et Methodio: ut proinde die 5 Iulii de illo sit agendum, isti vero sint in diem primam liberam transferendi. Hinc novum quoque festum S. Antonii M.ae Zaccaria, uti quamprimum patebit, iam statutum est die 5 Iulii celebrandum, utpote in *die propria*, amoto alio eadem die *assignato* festo in calendario Urbis utpote *non propria* et ad primam liberam translato.

III. *Ex Urbe.* **De qualitate imaginum tegendarum tempore Passionis.** Quaenam sunt imagines, quae tegi debent tempore Passionis?

Resp. Rubrica Missalis (*ante Dom. Passionis*)

notat: «... Cooperiuntur cruces et imagines ». Caeremoniale Episcoporum autem, sequenti ratione se exprimit: «... Cooperiantur... omnes cruces et imagines Salvatoris Nostri I. C. per Ecclesiam, et super altare nullae ponantur imagines Sanctorum (*Lib. II, cap. XX, n. 3*). »Quae duplex Rubrica, si cum authentica S. R. Congñis declaratione conferatur, nullam relinquit dubitandi rationem. Haec autem declaratio habetur in Decreto *Dalmatiarum*, d. d. 4 Aug. 1663 ad 2: « An cruces, et imagines Sanctorum... debeant tegi, an vero cruces et imagines Salvatoris tantum? (*Resp.*) Debent tegi omnes imagines. » Ex his ergo satis superque constat cruces omnes, omnesque Sanctorum imagines esse tempore Passionis tegendas.

Haud dictis obstantibus, inquiri nunc potest, an pro omnibus, sive crucibus sive imaginibus, illae intelligantur tantum quae pro recipiendo cultu in Ecclesia habentur, an etiam aliae omnes, quae ad simplicem ornatum in Ecclesiae ponuntur. Ex. gr. tegi ne debent parva crux quae supereminet tabernaculo, parvae cruces quae superimponi solent pictis tabulis viae crucis, hae ipsae pictae tabulae etc. etc.?

Respondemus negative ad 1^{um} proindeque affirmative ad 2^{um} quia lex de crucibus et imaginibus verba faciens has ultimi generis non comprehendit. Sane, ratio harum imaginum tegendarum est, ut per illas, quibus cultus tribuitur a Christi fidelibus, veluti absconditas, Christi memoria patientis, et humiliantis se in animis intuentium excitetur. Imaginibus vero quibus cultus non exhibetur, quippe quae ratione tantum ornatus sunt in Ecclesia, a fidelibus non attenditur, ita ut lex velut inutilis foret, quod saltem effectum attinet.

Insuper ad finem legis obtinendum contectio harum imaginum, templum vel templi obiecta adornantium nullimode necessarium est. Tertio, eadem lex impossibilis evaderet; quomodo enim omnes dictae imagines ad ornatum tegi possent? Nonne in omnibus fere Ecclesiis quamplures ex his imaginibus Sanctorum, Angelorum, prophetarum, Christi Domini etc. conspiciuntur hac illac in parietibus depictae, quas cooperire idem esset ac templa deturpare, quin ullus obtineretur effectus? Denique ita Ecclesiae omnes dictam interpretatae sunt legem: per quod indubie ostenditur hanc quam diximus, non aliam, esse illius significationem.

Nec ceterum deest aliqua eiusdem legis interpretatio authentica. Exquisita enim S. R. C. « Utrum imagines quae quatuordecim Viae Crucis stationibus affigi solent ad instruendos fideles et eorum pietatem fovendam, relinqui possint non velatae, tempore Passionis », aperte respondit: « Affirmative (*Marianopolitana 18 Iul. 1885 ad IV*). » Ubi vides, a legis obiecto excludi imagines, quae ad instructionem vel ad pietatem excitandam in fidelium animos exponit Ecclesia. Ergo a fortiori quae ad ornatum solummodo sunt positae; illae enim quosdam pios affectus excitare natae sunt, non vero istae: ut si primae manere discoopertae possint, a fortiori secundae. Consequenter in oppido est, illas solas esse exclusivum legis obiectum, quae respiciunt cultum.

Verum inquiri potest, utrum per totam Ecclesiam dictae imagines sint velandae, sive in altaribus extent, sive extra altaria. Respondemus, esse imagines cooperiendas per Ecclesiam explicite Caere-

moniale Episcoporum docet, et superius vidimus. Verumtamen optime intelligi lex potest de imaginibus altarium, quae plures esse possunt, et ut plurimum sunt in Ecclesiis; si vero agatur de imaginibus aut statuis, etsi ad cultum, quae extra altaria locum habent, aliter dicendum venit. Quia per velatas imagines altarium finis legis satis impletur, cum cetero et in altaribus liturgicae functiones principaliter fiant, et super iisdem generatim loquendo imagines ad cultum locentur. Hinc si aliqua imago vel aliquod simulacrum discoopertum aliquando exponatur extra altaria, non videtur esse contra legem. Certe S. R. C. occasione primae communionis puerorum, circa imaginem S. Ioseph exquisita fuit: « An.... effigies S. Ioseph... extra altare exposita... possit relinqui discooperta tempore Passionis? ». Responsio facilis, si etiam extra altaria velari deberent imagines, nempe negativa; nihilominus Sacrum Tribunal respondere censuit: « Consulat probatos auctores (*Societatis Iesu, 11 Maii 1878 ad XVI*). » Lex ergo exigit tantum velatas esse debere tempore Passionis imagines ad cultum, quae sunt in altaribus, de reliquis extra altaria non ita.

IV. *E Pedemontio.* **De concurrentia quorumdam festorum.** 1. Concurrente hic festi primarii S. Mauritii Mart. (*22 Ian.*) octava die cum sequenti festo S. Agnetis V. M. duplici minori, nulla ne ratione poterit dari praecedentia S. Mauritio, saltem vi patronatus, supra S. Agnetem, ita ut illud integras sibi vindicet Vesperas, hoc autem festum sola fruatur commemoratione?

Resp. Vesperas integras alteri festo prae altero, ritu pari, olim fuisse iure tributas, sola ratione solem-

nitatis peculiariter externae, docent auctores plures, uti Cavalerius et De Herdt. Sententiae autem funda mentum fuit aliquod Decretum S. R. Congñis, *Santanderien.* 26 Ian. 1793 ad 17 et 18: quo declaratur, concurrentibus festo S. Laurentii Mart, et festo Ss. Iusti et Pastoris, eiusdem ritus, illi competere integras Vesperas, huic vero solam commemorationem; quia festum S. Laurentii est universale, Ss. Iusti et Pastoris particulare, illud habet vigiliam, octavam etc. haud vero istud. Hoc in Dubio 17: in sequenti autem tribuuntur Vesperae integrae S. Ioanni Nepomuceno, et sola com. S. Isidoro; quia ritu erant aequales, sed in illo habebatur pompa externa, concursus populi, devotio singularis, asservatio Reliquiae etc. istud vero omni carebat solemnitate. Quinimo exquirente Oratore utrum in casu affirmativi responsi, eadem norma et quidem ad sensum Rubricae, servanda esset in casibus similibus, Sacrum Tribunal sequenti modo respondet: « *Posse recitari* Vesperas integras illorum Sanctorum, quorum festa cum solemnitate et populi concursu celebrantur, facta com. tantum alterius officii concurrentis eiusdem ritus ». Hinc concludendum videtur, pro solemnitate de qua loquuntur Rubricae (*Tit XI n. 2*), 1. intelligendum ritum, 2. qualitatem primarii, 3. dignitatem personalem; sed posse quoque intelligi solemnitatem externam, quae ex supra enumeratis notis constituitur. Nobis autem haec intelligentia Rubricae sapiens plane videtur; cum enim omnia in duobus festis sunt paria, consultius est spectare devotionem populi et cleri, eique satisfacere, uti reliqua signa externae solemnitatis, quam materialiter Rubricas servare, nullo ad hanc solemnitatis speciem respectu

habito, quam iuxta S. R. Congñis Decreta illae quoque respiciunt.

Equidem in casu nostro agitur de die octava; sed hanc quoque sub denominatione festi venire, nunc saltem, post recentiora Decreta dubitari nequit. Si ergo, plus minusve, recensitae notae in dicta die octava reperiantur, cum et melioris notae auctores et ipsamet S. R. C. praefatae sententiae faveant, imo eaedem Rubricae, non gravamur idipsum sentire, videlicet, iure posse integras tribui Vesperas diei octavae S. Patroni, et sola com. S. Virgini.

2. Die 22 sept. hic iterum agitur de festo S. Mauritii una cum Sociis illius, sub ritu dup. maiori, quod et primarium declaratum est, fortasse ratione Sociorum, de quibus unicum festum colitur; quia ceterum, cum nullus Sanctorum duo festa primaria habere debeat, dictum festum deberet esse secundarium. Si ergo concurrat hoc idem festum cum alio primario vel praecedenti vel sequenti eiusdem ritus, quomodo ordinandae Vesperae?

Resp. Haud iudicamus licitam nimiam ratiocinationem in sequenda lege, cum facile in errorem induci possimus. Verum est, saltem de facto, nullum Sanctorum plusquam unum habere primarium festum; hinc si festum S. Mauritii declaratum fuit primarium, id probabilius evenit ratione Sociorum, quibus ratione etiam S. Mauritii fortasse idem concessus est ritus duplicis maioris. Sed nihilominus dictum festum, quaecumque sit causa, dup. maius est atque primarium, et hoc discussioni obnoxium esse non potest, posito, quod exploratum est, relativo Decreto. Ergo, eo concurrente cum alio festo primario eiusdem ritus,

Vesperas dividat necesse est iuxta Rubricas. Nec officit, quod deberet esse illud festum secundarium, quia primarium certe est. In ordinandis autem Vesperis spectari non potest quod esse deberet, sed id quod est. Nulla enim lex potestatem facit ordinandi Vesperas secundum qualitates, quibus aliquod festum deberet esse praeditum, sed ordinandae omnino sunt prouti nunc extat, et secundum qualitates, quas ex lege induit. Secus sine numero quaestiones suborirentur, et nociva daretur calendariorum redactoribus libertas, vi cuius in festis moderandis arbitrium potiusquam legem sequi possent, quod profecto ipsimet legi adversatur. Eapropter arbitramur in casu simpliciter applicandam esse legem, ex qua festum Ss. Mauritii et Sociorum duplex maius primarium cum alio duplici maiori primario concurrens dividere Vesperas debet iuxta Rubricas.

V. *Ex Oeniponte in Austria.* **De duobus recolendis Patronorum festis a Regularibus.** *In una Capuc.* 10 Iul. 1896 S. R. C. pro omnibus Regularibus praescribit quoad patronos: « Servetur Decretum in *una Minorum de Observ.* 20 Mart. 1683 ad VII. ». Vi huius Decreti duos patronos principales assumere debent Regulares: 1. loci (vel dioecesis si loci deest): 2. provinciae (vel ditionis si provinciae deest). Quaeritur: An ad hos duos patronos principales, etiam aeque principales adiungendi sint, ita ut quatuor patroni vel plures appareant? Decretum anni 1683 de hoc tacet; quid ergo in casu?

Resp. Decretum recentius, de quo supra (*10 Iul. 1896 ad 3*) quaerit, utrum Regulares teneantur celebrare non solum patronum (particularem) loci, sed

etiam (generalem) provinciae aut regni? Equidem hoc Decretum cum patrono provinciae et regni ponit etiam patronum dioecesis; sed cum remittat ad aliud Decretum antiquius pro responsione, in quo nullum fit verbum de patrono dioecesis, nos illud verbum tacuimus, ita est enim ac si non esset in hoc recentiori Decreto.

En Decretum antiquius ad litteram: « Cum ex declaratione huius Sac. Congñis Regulares teneantur recitare de patrono principali loci; an sub ly loci comprehendatur etiam patronus principalis regni vel provinciae, de quo concessum est ab Apostolica Sede, ut a Clero tam saeculari quam regulari in dictis locis celebretur? » Responsum est autem: « Comprehendi etiam dictos patronos, si liquido constet de concessione Apostolica (*Dub.* 7). » Ergo, seu ex recenti seu ex antiquo Decreto, ad quod S. C. Oratorem remittit, certo constat, Regulares teneri ad celebrandum patronum loci, qui est particularis, et patronum regni vel provinciae, qui generalis est.

Nunc a nobis inquiritur, num duobus dictis patronis, quorum alter particularis, alter universalis, alii sint adiungendi aeque principales, si dentur; quia antiquius Decretum de his non loquitur. Cui quaesito respondendum est et respondemus omni cum securitate: Affirmative. Ratio simplicissima est; quia videlicet, cum aeque principales sint, omnes sunt eiusdem iuris; nec ratio suppetit, ob quam de uno deberet fieri, haud vero de altero. Neque opponendum, tunc non amplius de duobus tantum patronis a Regularibus fieri, sed de quatuor; immo, addi posset, de quinque et de pluribus etiam. Namque principium est

ut fiat de patrono loci, etiam a Regularibus; et si in loco patroni sunt duo aeque principales, vel ad modum unius sunt, uti ex. gr. Ss. Cosma et Damianus, vel separati, uti S. Rochus et S. Aemidius: si primum facile concipitur, non de duobus celebrari patronis, licet materialiter id fiat, quia unum tantum festum colitur: si alterum, duo quidem debent esse festa, cum coniungi Sancti nequeant, sed velut unus duo patroni considerari debent ob aequalem principalitatem.

Attamen cum Cavalerio (*Tom. I, Cap. III, Decr. 11, n. LX*) advertendum, accidere posse, ut quandoque plures patroni uti aeque principales circumferantur, qui eiusmodi revera non sunt. Hoc in casu seligatur qui est magis proprius; qui solemnius recolitur, qui feriatione gaudet, qui praerogativis certis ab Urbano VIII requisitis est praeditus etc. et de hoc tantum fiat. Quod de particulari diximus, et de universali dictum habeas. Haec quidem, nisi consuetudo inveterata aliud exposcat, quae indubie, maxime si ipsum Urbanum VIII Pontificem praecedat, servanda erit: uti pariter servanda erit consuetudo de dictis festis agendi sub ritu inferiori, puta sub dup. II cl. dup. maiori etc.

Nota 1. Quod adm. rev. consulens asserit in altero Dubio super sensu Decreti *Cogñis Ss. Crucis et Passionis D. N. I. C.* (*non vero SS. Redemptoris*), ad III, d. d. 14 Maii 1887, videlicet si plura de eodem patrono civitatis vel dioeceseos festa celebrentur, ad omnia et singula Regulares teneri, falsum est. Illud quidem responsio dicit, sed in fine Appendicis habetur « Errata corriges », ex quo palam fit, responsionem praefatam esse emendandam, et sensum genui-

num esse. Regulares ad unum tantum celebrandum festum teneri de Patrono civitatis vel dioeceseos, si plura a clero regulari de eodem celebrentur. Quod ergo de tali patrono particulari dicitur, id praedicandum pari de causa circa patronum universalem, ubi habeatur.

Nota 2. Ad unum patronorum principalium festum Regulares tenentur etiam si absque feriatione celebretur; id enim per accidens evenit, cum patronus praecipuus, tam particularis quam universalis, ex Constitutione Urbani VIII ius ad feriationem habeat. Responsio autem S. R. Congñis « Regulares tenentur ad celebranda patronorum festa quae cum feriatione recoluntur » sapientior esse nequit: 1. quia agitur de patronis principalibus, qui ius habent ad feriationem, quam de facto generatim habent: 2. quia, quando festa patronorum quorumcumque feriatione gaudent, semper a Regularibus celebranda sunt, nisi ratione patronatus, quia fortasse minus principalis est, indubie ratione feriationis

Ex his inferimus, rationem sentiendi adm. rev. consulentis hoc super negotio, partim rectam esse, non vero integre. Itaque verum est: « I. Regulares tenentur: 1. ad officium et Missam duorum tantum patronorum principalium i. e. a) loci ./. in defectu huius, dioecesis ./. b) provinciae ./. in huius defectu, ditionis. » Hoc verum est, modo addas, eosdem Regulares teneri etiam ad plures, vel loci vel provinciae aut regni, aut ditionis patronos, si habeantur, et vere aeque principales sint. Falsum est: « ./. Ad officium et Missam horum duorum patronorum tenentur *toties quoties* in anno, nullo habito respectu an cum feria-

tione celebrentur an absque. » Falsum est: « II. Ad officium et Missam patronorum aeque principalium non tenentur. » Verum est: « III. In casu, quo duo patroni supradicti cum feriatione celebrantur in Dioecesi, Regulares non solum ad officium et Missam tenentur, sed etiam ad feriationem. »

Nota 3. Si officia votiva cum relativa Missa, in casu, indulta fuerunt explicite etiam pro tempore Passionis et a die 17 ad 25 Decembris, nulla est quaestio. At si concessa tantum fuerunt pro Quadragesima, pro Adventu, pro quatuor temporibus et vigiliis, arbitramur eo sacratiori tempore, seu Passionis, seu a die 17 ad 25 Dec. non esse permissa. Aliud enim est tempus Quadragesimae, aliud tempus Passionis; ut hoc tempus et alio nuncupetur nomine, et in illo non videatur inclusum. Magis quam tempus Quadragesimae, hoc sacrum est, ut ad officia votiva quod attinet, aliud videatur de tempore Passionis dicendum ac de tempore Quadragesimae. Hinc eo tempore ipsa Suffragia Sanctorum cessant, ut Ecclesia magis ad Deum attendat. Quod vero aliud tempus attinet, idem eodem iure concludendum, ob eamdem generalem rationem sacratioris temporis.

Quod si obiicias, duplex istud tempus eadem officia non excludere, quia in indulto non excipitur, responderi potest, neque excipi tempus a Dominica Palmarum ad Pascha, neque excipi ipsam vigiliam Nativitatis Domini: num autem poterunt illa officia dictis feriis celebrari ? Minime profecto, quia quodcumque festum excludunt; ergo ex allato argumento negativo concludi nil potest. Sicut itaque ab his feriis excluduntur, quamvis de iis taceat Indultum, ita et ab aliis

feriis ex momentis allatis, videntur exclusa. Ceterum omnino certum non possumus iudicium ferre, sed oporret Indultum ipsum prae oculis habere et perpendere.

VI. *E. Galliis.* **De qualitate 2. aut 3. Orationis in Missa votiva de Ss. Apost. et de S. Ioseph.** Quando fit officium votivum de Ss. Apostolis (feria III), aut de S. Ioseph (feria IV), et relativa Missa dicenda sit, si ratione temporis Oratio *A cunctis* addi debeat, quomodo se gerendum, ne bis nominentur aut Ss. Apostoli Petrus et Paulus, aut S. Ioseph?

Resp. 1. Si agatur de Missa votiva Ss. Apostolorum, non specialiter de Ss. Petro et Paulo, nihil mutandum venit; quia Oratio in tali votiva Missa praescripta non nominat Ss. Apostolos Petrum et Paulum, sed tantum Apostolos in genere, cum sit « Deus, qui nos per beatos *Apostolos tuos ad agnitionem etc.* »: quod de Secreta comprobatur etiam et de Post-communione. Nominare autem particulariter in sequenti Oratione *A cunctis* Ss. Apostolos Petrum et Paulum, cum iam omnes Apostoli in genere nominati fuerint in praecedenti, non est inconveniens. Satis sit exemplum litaniarum Sanctorum allegare, ut alia plura praetereamus, in quibus singuli invocantur Apostoli in particulari, et postea omnes in genere. Aliud dicendum foret, si ageretur de Missa votiva Ss. Apostolorum Petri et Pauli in cuius Oratione vere dicti Sancti nominantur in particulari. Cum autem eiusmodi Missa illa eadem sit,quae antiquius iam prostabat in Missali Romano, et habeat Orationem *Deus cuius dextera*, in aprico est, vim habere in hoc casu tantum Gen. Rubricam Tit. IX *De Orationibus*, n. 15, in quo edicitur: « In

(*Missis*) votivis de Apostolis, quando ponitur Oratio *A cunctis*, eius loco dicitur Oratio de S. Maria *Concede nos*. Ratio est quia dicta Rubrica respicit Missam Ss. Apostolorum Petri et Pauli, quae unica erat.

Resp. 2. in Missa votiva de S. Ioseph Oratio vere nominat dictum Sanctum, idemque pariter nominatur in oratione *A cunctis*, ut si utraque, uti iacet saltem, diceretur, manifesto bis S. Ioseph nominaretur, quod est inconveniens. Sed opportune Decretum latum fuit pro Missa votiva praefati Sancti: quod licet Missas votivas recentius indultas praecesserit, nihilominus ad rem optime facit, et indubie servandum est. Hoc itaque decretum sic se habet: « Cum iam in Oratione *A cunctis* nomen S. Ioseph exprimendum sit de praecepto, quaeritur utrum in Missis votivis in honorem S. Ioseph celebrandis, tempore quo haec Oratio dicenda venit, Orationi praefatae substituenda sit Oratio *Concede*, quae primo loco ponitur inter Orationes diversas, uti alias Decretum fuit? (*Resp.*) Recitandam esse Orationem *A cunctis*, omisso nomine S. Ioseph (*Ruremunden*. 27 Maii 1876 ad III.) » Quinimo advertendum hic opportune est, hoc ipsum Decretum, in recentioribus editionibus Missalis, compendifactum Rubricam constituere. Certe in editione approbata, seu iuxta typicam, Desclée, ann. 1896, quam prae manibus habemus, in Missa votiva S. Ioseph, ante Epistolam, legitur: « Secunda et tertia Oratio pro diversitate temporis, ut in semiduplicibus. Quo tempore Oratio *A cunctis* dicenda venit, in eadem omittitur nomen S. Ioseph ».

VII. *Ex Urbe*. **De quibusdam ordinis Episcopalis actibus non exercendis ab Episcopo Titulari.** Epi-

scopus aliquis Titularis potestne consecrare altaria sine facultate Ordinarii?

Resp. Ante omnia supponimus: 1. Quemcumque actum Episcopi Titularis, qui ex Ordinis potestate procedit, esse validum: adeo ut petitio licitum tantum spectare valeat. 2. Quosdam esse actus, qui a potestate Ordinis derivant, et simul a potestate iurisdictionis, videlicet: requiritur potestas Ordinis, ut sint validi, et potestas iurisdictionis ut sint liciti. Ita ex. gr. nemo sanae mentis dubitat, Episcopum Titularem valide ordinare Diaconum in Presbyterum, etsi nulla ratione illi minister subditus supponatur. Id vero graviter esse illicitum, ut ex Tridentino (*VI, De ref. V.*) ipso facto suspensus maneat, nemo quoque ambigere possit.

His duobus suppositis, animadvertimus, altarium consecrationem indubie constituere actum Ordinis Episcopalis, quamvis Sacerdotes dictum aetum exercere quoque valeant ex delegatione Pontificis. Episcopus est minister ordinarius et operatur vi Ordinis Episcopalis, Sacerdos est Minister extraordinarius et operatur partim vi Ordinis sacerdotalis, partim vi delegationis, ad quam dicit habilitatem vi characteris presbyteralis.

Verum, consecratio altaris implicat ne iurisditionem? Respondemus sub distinctione: aut agitur de altari fixo, aut de altari portatili. Si primum, cum necessario ad aliquam Ecclesiam vel Oratorium publicum pertinere debeat, indubie iurisdictionem implicat, ut Episcopus Titularis hanc consecrationem agere nullo pacto possit, quin consensum habeat Ordinarii, qui in dicta Ecclesia vel Oratorio publico iurisdictione gaudet. Si alterum, res quidem minus gravis apparet, sed vero et id prohibitum dicendum est. Primo,

quia eiusmodi altaria portatilia, nonnnisi pro iisdem Ecclesiis, aut Oratoriis publicis, aut privatis inservire possunt. Verum in omnibus his iurisdictionem exercet Episcopus Ordinarius, quam laedere nemini licet. Sane quod attinet Ecclesias et Oratoria publica, eamdem ut supra rationem militare facile unicuique patet: ut sicut Ecclesias, et quandoque etiam Oratoria publica, ita et illarum et horum altaria, seu fixa seu portatilia, consacrare ad Ordinarium de iure pertineat. Quod autem Oratoria privata spectat, quamdam ipsummet Ordinarium possidere in iis iurisdictionem non est inficiandum. Quia facultas dicta Oratoria erigendi conceditur quidem privatis personis, sed de more ad Ordinarios mittitur pro illius executione. Insuper ius et onus inest Ordinariis, eadem Oratoria invisendi examinandique, ut iudicent num ad consuetas legum normas sint constructa : adeo ut si in aliquo deficiant, esse possint et debeant ab iisdem Ordinariis interdicta, et Missa in illis fieri nequeat. Iam nunc si iurisdictione pollent Ordinarii in dictis Oratoriis, eadem necessario et potissimum versari debet in eorum aris portatilibus, ex quibus substantialiter Oratoria privata, in casu, constituuntur.

Secundo, si cuicumque ex Episcopis altaria portatilia consecrare liceret, nemo non videt quam facilis aperiretur via inconvenientibus procul dubio vitandis, uti essent ex. gr. indecens ac turpe mercimonium, ipsumque periculum Sacrificium agendi super altari sine lapide consecrato. Praefata enim libertate indiscriminatim in quibuscumque Episcopis posita, ipsis aedituis facile committeretur lapidum emptio, et cura ut ad aliquem Episcopum eos pro consecratione

deferrent, cuius tamen omissio comprobari posset, vel ex incuria, vel ex malitia. Haec fortasse ratio, praeter alias, ex qua Abbatibus explicite denegatur facultas altaria etiam portatilia consecrandi pro sibi non subiectis Ecclesiis, quamvis valide id possent, sicut valide et licite id faciunt pro Ecclesiis sibi subiectis. Hinc antiquissima praxis Urbis, reliquarum magistrae, in qua sola Ecclesia Lateranensis, altaria portatilia consecrat, vel per Emum Urbis Vicarium, vel per Antistitem Vicesgerentem.

Tertio, et profecto gravius, docent communiter Doctores, Episcopum Titularem, nullum posse actum facere vi Ordinis, independenter ab Ordinario, quemadmodum neque id potest dioecesanus Episcopus extra territorium iurisdictionis suae. Innituntur autem Tridentinae Synodo (*Sess. VI, cap. V, De Reform.*), quae prohibet Episcopis Pontificalia agere in dioecesi aliena. Et quamvis plures sustineant, semper Episcopum Pontificalia agere quando pontificalibus utitur Insignibus, quod tamen falsum nos demonstratum credimus (*V. Ephem. Liturg. 1896, pag. 275 et seqq.*); nihilominus in hoc conveniunt omnes, Episcopum tunc indubie agere Pontificalia, cum aliquem exercet actum Ordinis, pro quo Episcopalia Insigna requiruntur. Porro ex episcopali Ordine procedere consecrationem altarium, in qua, etsi privatim fiat, saltem Mitra ex pontificalibus Insignibus requiritur, ex pontificali codice aperte constat. Ergo Episcopus Titularis consecrationem altarium, sint fixa, sint portatilia, sive pro Ecclesiis sive pro Oratoriis, tam publicis quam privatis, non potest facere.

At dices: Episcopus ergo Titularis neque sa-

crum lapidem pro Oratorio suo, ad quod ius habet, consecrare poterit? Negativa responsio profluerei ex dictis. Nihilominus breviori calamo animadvertimus, id fortasse Episcopo Titulari non esse vetitum sustineri posse ex sequenti ratione. Concilium Tridentinum loco superius citato indubie loquitur de Ordinationis actu (*V. Eph. Liturg. sup. citat.*), in quo habetur et exercitium Ordinis et exercitium iurisdictonis, uti patet. Hinc definitum est a Benedicto XIV, suspensionem quam Concilium infligit, a Pontificalium exercitio non incurri ab Episcopo, nisi propter actum Ordinationis. Consequenter neque a Concilio videntur prohibiti alii actus Ordinis, nisi saltem iurisdictionem implicent. Ergo Episcopus Titularis prohiberi non videtur a consecratione lapidis pro altari portatili, nisi quatenus iurisdictionem importat. Atqui consecratio lapidis, in casu, pro suo privato Oratorio, in domo tamen sua, et privatim facta ab Episcopo Titulari, nullam implicat iurisdictionem. Ergo.

VIII. *E Dioecesi Carnutensi*. **De Supplendis Presbyteris ad S. Oleorum consecrationem, per Ministros Episcopi**. In consecratione sacrorum Oleorum Feria V Mai. Hebd. nisi facile haberi possint duodecim Presbyteri prout exigit Pontificale Romanum, valentne pro quinque ex ipsis fungi Presbyter assistens, Diaconi assistentes, Diaconus et Subdiaconus in Missa Pontificali inservientes? Et si ita fieri potest, estne necessarium quod Dalmaticas et Tunicellas deponant, ut Casulas induant tempore praefatae caeremoniae S. Oleorum?

Resp. Presbyteri duodecim in consecratione Oleorum assistunt Pontifici « tanquam *testes*, et ministerii

sacri Chrismatis *cooperatores*. Diaconi vero... et... Subdiaconi parati stant tamquam *ministri* et *inspectores* (*Pontif. Rom. De Officio Fer. V. Coenae Dom.*). « Hinc errat Cavalerius affirmans (*Tom IV c. 26, Decr. 5*) » quia ille Sacerdotum numerus necessarius non est ad consecrationem sacrorum Oleorum, sed solummudo ad solemnitatem mysterii, cum Presbyteri non acciantur tanquam *cooperatores*, sed tamquam *testes* ». Unde erui potest non agi de re parvi momenti, sed magni ponderis, ut stante necessitate, quae praevideri possit, oporteat ad Apostolicam dispensationem recurrere, prout exigunt recentiora Decreta et praecipue in *Soanen. et Pitilianen.* 19 Iunii 1875, quod ita se habet « Imploranda est dispensatio a S. Sede *toties quoties* occurrat ob defectum tum Presbyterorum tum Ministrorum in casu consecrationis Oleorum Sanctorum ».

Verumtamen haud perturbandus ordo S. Actionis, ut vitetur ad hanc dispensationem recursus. Ad rem facit Epistola a Secretario S. R. C. ad Vicarium Apostolicum Ken-si missa, die 2 Iunii 1853, quam transcribimus: « Quoniam a S. Sede dispensatum fuit cum Vicario apostolico huius Provinciae, ut Feria V. in Coena Domini peragere possit consecrationem Sacrorum Oleorum cum minori numero Presbyterorum, quam qui requiritur ut in Caeremoniali Episcoporum, ob horum deficientiam, quumque in dispensatione habeantur haec verba: *Adhibeat quo plures habere potest Presbyteros*: Quaeritur utrum illa clausula sic intelligi debeat, ut duo Presbyteri, quorum eo die unus agit Diaconum Evangelii, alter Subdiaconum Epistolae in Missa Pontificali, debeant quum ventum fuerit ad Sacram Caeremoniam supradictae consecratio-

nis, deponere Dalmaticam et Tunicellam et Casulam assumere, ut maior appareat Presbyterorum numerus eiusmodi consecrationi assistentium, dictaque S. Olea salutantium, peractaque caeremonia, Dalmaticam et Tunicellam reassumere ad Missam perficiendam? Notandum aliunde quod fere nunquam habeatur aliquis ex ordine diaconali vel subdiaconali, qui e secretario afferat illucque referat Sacra Olea, unde si non sit necesse supradictos deponere et reassumere dicta paramenta, tunc ipsi afferunt et referunt Olea, totaque caeremonia convenientius peragitur. Quoad cetera nil deest ad Pontificalem Missam, ceteraque illa die peragi solita, solemniter perficienda.

Super quibus omnibus et singulis facta per me subscriptum Sacrorum Rituum Congregationis Pro-secretarium fideli relatione, prudenti sane consilio constituit nil directe memorato Patri respondendum, et satius esse Amplitudini Tuae communicare propositam ab eodem praxim nullo modo adoptandam, ac proinde omnino convenientius, ut Diaconus et Subdiaconus, qui Pontificali Missae assistunt, quique in casu sunt Presbyteri, postquam ad suam sedem Episcopum comitati sunt, retentis sacris vestibus, quibus induti sunt, processionaliter ad Sacrarium accedant ex eoque deferant Olea: inde, quoad fieri potest, Episcopo praestent singula officia, quae a Pontificali requiruntur, et praestanda essent ab Archidiacono et Presbytero assistente, expletaque sacra caeremonia, ad sacristiam S. Olea reducant, processionaliter ad latera Episcopi revertantur, ut ei in suo quisque officio deserviat. Posita enim apostolica dispensatione quoad numerum Presbyterorum assistentium, nulla prorsus apparet causa ad propositam praxim adoptandam ».

sacri Chrismatis *cooperatores*. Diaconi vero... et... Subdiaconi parati stant tamquam *ministri* et *inspectores* (*Pontif. Rom. De Officio Fer. V. Coenae Dom.*). « Hinc errat Cavalerius affirmans (*Tom IV c. 26, Decr. 5*) » quia ille Sacerdotum numerus necessarius non est ad consecrationem sacrorum Oleorum, sed solummudo ad solemnitatem mysterii, cum Presbyteri non acciantur tanquam *cooperatores*, sed tamquam *testes* ». Unde erui potest non agi de re parvi momenti, sed magni ponderis, ut stante necessitate, quae praevideri possit, oporteat ad Apostolicam dispensationem recurrere, prout exigunt recentiora Decreta et praecipue in *Soanen. et Pitilianen.* 19 Iunii 1875, quod ita se habet « Imploranda est dispensatio a S. Sede *toties quoties* occurrat ob defectum tum Presbyterorum tum Ministrorum in casu consecrationis Oleorum Sanctorum ».

Verumtamen haud perturbandus ordo S. Actionis, ut vitetur ad hanc dispensationem recursus. Ad rem facit Epistola a Secretario S. R. C. ad Vicarium Apostolicum Ken-si missa, die 2 Iunii 1853, quam transcribimus: « Quoniam a S. Sede dispensatum fuit cum Vicario apostolico huius Provinciae, ut Feria V. in Coena Domini peragere possit consecrationem Sacrorum Oleorum cum minori numero Presbyterorum, quam qui requiritur ut in Caeremoniali Episcoporum, ob horum deficientiam, quumque in dispensatione habeantur haec verba: *Adhibeat quo plures habere potest Presbyteros*: Quaeritur utrum illa clausula sic intelligi debeat, ut duo Presbyteri, quorum eo die unus agit Diaconum Evangelii, alter Subdiaconum Epistolae in Missa Pontificali, debeant quum ventum fuerit ad Sacram Caeremoniam supradictae consecratio-

nis, deponere Dalmaticam et Tunicellam et Casulam assumere, ut maior appareat Presbyterorum numerus eiusmodi consecrationi assistentium, dictaque S. Olea salutantium, peractaque caeremonia, Dalmaticam et Tunicellam reassumere ad Missam perficiendam? Notandum aliunde quod fere nunquam habeatur aliquis ex ordine diaconali vel subdiaconali, qui e secretario afferat illucque referat Sacra Olea, unde si non sit necesse supradictos deponere et reassumere dicta paramenta, tunc ipsi afferunt et referunt Olea, totaque caeremonia convenientius peragitur. Quoad cetera nil deest ad Pontificalem Missam, ceteraque illa die peragi solita, solemniter perficienda.

Super quibus omnibus et singulis facta per me subscriptum Sacrorum Rituum Congregationis Pro-secretarium fideli relatione, prudenti sane consilio constituit nil directe memorato Patri respondendum, et satius esse Amplitudini Tuae communicare propositam ab eodem praxim nullo modo adoptandam, ac proinde omnino convenientius, ut Diaconus et Subdiaconus, qui Pontificali Missae assistunt, quique in casu sunt Presbyteri, postquam ad suam sedem Episcopum comitati sunt, retentis sacris vestibus, quibus induti sunt, processionaliter ad Sacrarium accedant ex eoque deferant Olea: inde, quoad fieri potest, Episcopo praestent singula officia, quae a Pontificali requiruntur, et praestanda essent ab Archidiacono et Presbytero assistente, expletaque sacra caeremonia, ad sacristiam S. Olea reducant, processionaliter ad latera Episcopi revertantur, ut ei in suo quisque officio deserviat. Posita enim apostolica dispensatione quoad numerum Presbyterorum assistentium, nulla prorsus apparet causa ad propositam praxim adoptandam ».

Ex his concludimus ministros Pontificis non debere, etiam si sint ordine Presbyteri, ministerium suum relinquere, ut Presbyterorum munere fungantur. Attamen nonnihil nos movet quod de Diacono et Subdiacono dicitur, quod nempe, quoad fieri potest, Episcopo praestent, quae praestanda essent ab Archidiacono et Presbytero assistente. Supponitne Archidiaconum, si sit Sacerdos, et Assistentem in numero duodecim Presbyterorum debere admitti, deficientibus aliis ? In casus expositione non supponitur, nec in instructione declaratur : quid ergo ? Quod dicitur de Diacono et Subdiacono, item dicendum de aliis ministris, etiam Diaconis assistentibus, si Episcopus sit in sua Ecclesia. Ita credimus ratione praecipue innixi, quae in memoratis litteris habetur, quod nempe, *posita apostolica dispensatione, nulla prorsus appareat causa* ad perturbandos Altaris et Pontificis ministros. Nec dici posset non oportere requirere dispensationem, si quinque tantum Presbyteri deficerent eo modo supplendi, quia nemini hoc ius competit, ut sacra ministeria ad commoditatem reformentur; ergo si numerus non sufficiat Sacerdotum requisitus, de cetero ritibus servatis, omnino dispensatio exquiratur.

BREVIORA RESPONSA

1. *Pro Legione in Hispania*. 1. Iuxta Decretum S. R. C. in Placentina, 19 Maii 1607, ad 10, Missa solemnis pro re gravi dici potest *ad petendam pluviam* ; sed quia causa, uti bene notat Scavini (*Parte III, n. 189*), « eventualis et solemnis esse debet... tum ut

admiratio tollatur, tum ne rituum immutatio ex facili contingat », non censemus expedire ut per novendium id fiat. Episcopus pro sua prudentia assensum praestare poterit, qui necessario requiritur, ut tantum semel aut bis, v. g. primo et ultimo die precum, id fiat.

2. Consuetudini, qua per impluvium diebus Dominicis ante Missam fit processio cum paramentis coloris officii, et cantatur antiphona Sancti, de quo postea Missa celebratur, atque alia pro commemoratione SS. Fabiani et Sebastiani, nihil obstat. At eliminandae, uti corruptela, aliae, quae sunt: *a)* absolutio pro Defunctis in medio cursu processionis, quae fit a Celebrante cum paramentis ut supra; *b)* cantus Orationis pro SS. Martyribus cum ad ianuam Ecclesiae pervenerit processio, per Sacerdotem, alium a celebrante; *c)* nova absolutio pro Defunctis ibidem a Celebrante peragenda.

II. *Pro oppido Vivario.* Si Dominica infra octavam Nativitatis occurrat diebus 26, 27, aut 28 Decembris, illius officium semper transfertur in diem 30, quamvis in aliquo particulari Calendario hac die fieri debeat de dup. I. classis; in eaque fit de festo cum com. Dominicae tam in primis, quam in secundis Vesperis et Laudibus, nec non cum Homilia, et Evangelio in fine Missae (*S. R. C. 28 Martii 1654 in Tranen.*). Si vero occurrat diebus 29 vel 31, fit de festo occurrente (S. Thomae E. et M. vel S. Silvestri P. C.) cum commemoratione et Homilia de Dominica, ut supra.

III. *Pro eod. loco.* De Vigiliis in Quadragesima occurrentibus vel in quatuor temporibus Adventus, non cantatur Missa, etiamsi festum novem lectionum

occurrat; sed de iis commemoratio agenda est in Missa de Feria (*Rubr. gen. Missal. Tit. 3, n. 5)*, et in fine dicitur Evangelium consuetum S. Ioannis. Non dicitur Evangelium Vigiliae in fine, eo quod eius Homilia in casu omittitur *per se* (Cavaler. T. II, Cap. 15, Dec. 4).

IV. *Pro Valentia in Hispania.* Scrupulis ne angatur Rev. inquirens anni elapsi, cui responsum dedimus in num. 10 pag. 635, dicentes recitari posse Officium votivum SS. Euch. Sacramenti, etiam occurrente festo Domini inferiori duplici 2. classis, quia Indultum haec festa non excipiebat, *prout alias communiter fieri solet*, eum certiorem facimus, solutionem non tantum innotuisse Rmo Directori, sed et subiacuisse consultui viri in S. R. C. satis valentis, qui respondit: utantur Indulto prouti *in casu* concessum est, et non prouti in ceteris similibus casibus concedi solet. Nil autem inferri potest ex eo, quod officium votivum censeri debeat minus dignum festivo, quia hoc valeret, etiam pro ceteris festis, quae non sunt Salvatoris. Quid vero, si Missa votiva de S. Corde Iesu concessa etiam in dupl. 2. classis, vetita est in festis Domini etiam ritus inferioris? Non potest paritas institui, ibi enim agitur de Missa simpliciter votiva, in peculiaribus rerum adiunctis, dum in casu nostro agitur de Missa cum respondente Officio. Ceterum quomodocumque se res habeat, agitur de Indultis; nemini est potestas auferendi, quod suprema auctoritas dedit; latius dedit Indultum? Hoc utamur. Est ne adhuc qui nos arguat de levitate?....

Pro Brixia. Qui mortem in statu dementiae, insaniae, aut furoris ex morbo provenientis, sibi inferunt,

considerandi sunt, quod sepulturam attinet et funera, uti erant ante quam morbo corriperentur. Satis enim est notum, dementes culpae haud esse capaces: consequenter ius ad sepulturam et reliqua circa ecclesiastica officia, habent vel non, secundum quod ante amentiae statum habebant vel non, ut circa eorum cadavera parochus se gerere debeat, nec plus nec minus, uti cum aliis.

CAEREMONIALE

PRO MISSA ET VESPERIS PONTIFICALIBUS AD FALDISTORIUM.

(*Cont. V. n. 5, pag. 298*).

CAPUT II.

De Diacono in Missa Pontificali ad Faldistorium.

Diaconus, qui Episcopo solemniter Missam celebranti inservire debet, una cum Subdiacono, dum Episcopus in sacristia praeparationem Missae persolvit, lotis manibus, paramenta capit, excepto manipulo, « aliquo ex clericis Ecclesiae adiuvante ». Ad nutum Caeremoniarii, scilicet postquam Episcopus praeparationem peregerit, in manibus gestans biretum, facta Cruci et Episcopo inclinatione, ad dexteram Subdiaconi, cooperto capite, ad Altare pergit, in ingressu Ecclesiae nudato capite se signans aqua benedicta. Cum presbyterium ingreditur caput detegit et ante Altare facta *in plano* genuflexione, expectat ad dexteram faldistorii, facie versa ad populum, Episcopum, quem nutu capitis salutat. Ab eo

cum sederit, biretum cum osculis recipit et Caeremoniario tradit (1). Deinde crucem Episcopo aufert, eamque in medio ab eo et a se in parte osculatam, eidem Caeremoniario consignat. Postquam autem Episcopus exuerit, adiuvantibus Diacono et Subdiacono, mantellettum, Diaconus extrahit ei annulum cum osculis eique reddit biretum, quod denuo accipit quando Episcopus, lotis manibus, paramenta accepturus est.

Diaconus igitur simul cum Subdiacono « capientes singula.... paramenta de manibus acolythorum, quisque eorum a latere suo adiuvat vestiendo Episcopum: sed principaliter Diaconus omnia operatur, Subdiaconus vero solummodo coadiuvat, ubi opus est. Et primo offerunt Episcopo amictum osculandum in medio, ubi est designata parva crux, quam in parte prius osculatur

(1) Circa oscula manus et rerum hoc notandum est, scilicet; quando aliquid Episcopo traditur, hoc prius et postea manus Episcopi osculatur, quando vero recipitur, prius manus et postea obiectum.

Si in Ecclesia vigeat, ut diximus in capite superiori, consuetudo, ut Episcopus praeparationem et gratiarum actionem ad Altare peragat, Diaconus hoc modo se geret: cum Episcopus in faldistorio sederit, quin ab eo biretum accipiat, stans ad illius dexteram, assistit legenti Psalmos *Quam dilecta* cum aliis sequentibus, eique alternatim respondet simul cum Assistente et Subdiacono, cum ad *Kyrie* Episcopus se vertit ad Altare, ipse Diaconus locum permutat cum Subdiacono, et, Episcopo denuo sedente, Diaconus in pristinum locum redit, et, absoluta ab Episcopo praeparatione, biretum accipit et reliqua peragit, ut supra. Idem servetur in gratiarum actione.

Si Episcopus autem, in casu de quo supra, Cap. I, paramenta capiat in Sacristia, Diaconus, paratus absque manipulo, postquam Episcopus praeparationem Missae persolverit, eum adiuvat ad sacra paramenta capienda et postea accipit manipulum. Accedit ad Altare ad sinistram Episcopi et, salutato choro, ante illius gradus aufert Episcopo mitram et genuflectit cruci. Eundem ordinem servabit in reditu.

etiam Diaconus: mox illum diligenter aptant circa collum Episcopi, ita ut vestium summitates, quae vulgo collaria vocantur, omnino tegat, deinde chordulas ex eo pendentes post tergum ductas, ante pectus reductas, stricte colligant. Accipiunt deinde albam, eamque circa collum, humeros et brachia distendunt et aptant. Tertio loco cingulum, quo albam constringunt incipientes a tergo, et ante corpus illam religantes.. Diaconus postea, sumpta cruce pectorali, eamque etiam in parte prius osculatam, ipsi Episcopo osculandam praebet, et eius collo imponit, ita ut ante pectus pendeat; stolam deinde etiam in parte deosculatam, Episcopo deosculandam offert, eamque super eius humeros applicat, ita ut nec eius collum tegat, nec transversa sit in modum crucis, sed aequaliter ante pectus pendeat. » Deinde Episcopum induit tunicella, « constringunt chordulas hinc inde super humeros positas, et deinde eodem modo dalmaticam Tunc Episcopus sedet, et imponuntur ei chirothecae per Diaconum in dextera, et per Subdiaconum in sinistra, manibus illi prius et mox chirothecis per eosdem deosculatis. Mox surgit Episcopus et induitur ab eisdem planeta Tum sedenti Episcopo imponitur per Diaconum » stantem ante illum ad dexteram Subdiaconi, debitis reverentiis « mitra pretiosa ».

Diaconus, hoc facto, salutato iterum Episcopo, in partem se retrahens, accipit de manu acolythi manipulum, cruce in medio prius deosculata. Postea ad sinistram Episcopi in faldistorio sedentis accedit, et ad nutum Caeremoniarii cum Episcopo et aliis ministris ad Altare pergit, salutato choro (si adsit) prius in parte Epistolae et postea Evangelii. Ante infimum Altaris gradum postquam Episcopo mitram abstulerit, genuflectit Cruci, cum Episcopo facit Confessionem « et cum dicit *Tibi, Pater*, et *Te, Pater*, conversus ad Episcopum profunde se inclinat. » Episcopo gradus Altaris adscendente, locum permutat cum Presbytero assistente, et « postquam Episcopus osculatus fuerit librum Evangeliorum super Altare, porrigit illi na-

viculam incensi, cochleari prius et manu Episcopi osculatis » dicens: *Benedicite Pater Reverendissime;* « et imposito thure in thuribulum, reddit naviculam acolytho, a quo accipit thuribulum, quod Episcopo porrigit, summitatem catenularum ponens in manu sinistra ipsius Episcopi, thuribulum vero in dextera, cum debitis osculationibus, et dum Episcopus thurificat Altare, ipse » planetam sustentat, genuflectens Cruci, quando Episcopus eidem profunde se inclinat. Thurificato Altari « recipit thuribulum de manu Episcopi, cum osculo manus et catenularum, et thurificat Episcopum in cornu Epistolae cum mitra stantem, triplici ductu, ante et post thurificationem » mediocriter « se inclinans, ac reddit thuribulum acolytho ». Ante faldistorium accedit medius inter Subdiaconum et Presbyterum assistentem, et facta cum eis reverentia Episcopo, iam in faldistorio sedente, ei mitram aufert et, repetita cum aliis inclinatione, ad dexteram Episcopi legentis Introitum accedit et respondet ad *Kyrie eleison.* Episcopo sedente (si prolixitas cantus, ut iam in capite de Presbytero assistente diximus, id postulet) ut prius ante eum accedit eique imponit mitram auriphrygiatam et, a Subdiacono gremiali Episcopo oblato, eum cum aliis ministris salutat, ad scamnum pergit (de quo in capite I loquuti sumus) et sedet cooperto capite habens ad dexteram Presbyterum assistentem et ad sinistram Subdiaconum. Circa finem *Kyrie eleison* surgit et incedens post Subdiaconum, medius inter eum et Presbyterum assistentem ante Episcopum accedit, cui facta reverentia, sublato a Subdiacono gremiali, aufert mitram, ibique retro Episcopum expectat donec absolverit intonationem hymni Angelici. Si autem ad *Kyrie* non sederit tunc ad dexteram Episcopi remanet usque ad ultimum *Kyrie*, et postea retro Episcopum accedit et omnia peragit ut supra. Ad *Deo* caput inclinat Cruci et ad dexteram Episcopi, hymnum cum eo submissa voce prosequitur. Quo absoluto et sedente Episcopo, imponet ei mitram auriphrygiatam, et pergit ad sedendum, ut ante diximus. Adver-

tat autem ut caput discooperiat ad illa verba, quae iam in superiori capite adnotavimus. Circa finem hymni ante Episcopum accedit una cum aliis ministris et, absoluto hymno, sublato a Subdiacono gremiali, aufert Episcopo mitram et post eum expectat dum cantat Orationes. Quibus absolutis, imponet Episcopo mitram auriphygiatam et gremiale et cum Assistente pergit ad sedendum. Quando Episcopus inchoat Evangelium, ipse quoque se signat: tunc « portabit ante pectus ad Altare, debitas faciendo reverentias, librum Evangeliorum clausum, collocans illum in medio Altaris », ibique genuflectet et *per breviorem* accedit ad dexteram Episcopi ut illi ministret naviculam. Item *per breviorem* redit ad Altare et, genuflexus in medio super oram suppedanei, dicit secreto *Munda cor meum etc.* Tum surgens resumit librum de Altari, genuflectit et redit *per breviorem* ante Episcopum et genuflexus, vel, si in ecclesiastica dignitate constitutus, stans inclinatus, petit ab eo benedictionem dicens *Iube, Domne benedicere*, et benedictione accepta illius manum osculatur. Habita benedictione ad dexteram Subdiaconi ante Episcopum expectat donec cantetur « ultimus versus Gradualis, sive Tractus, aut Sequentiae, seu ante *Alleluia*. Tunc, aut citius, prout distantia Altaris exquiret, facta cum Subdiacono Episcopo reverentia, ante pectus gestans librum, ut diximus, accedit ante Altare, ubi Crucem et chorum salutat et vadit in locum « ubi solet Evengelium cantari, ponit librum apertum in manibus Subdiaconi, vel in legili, aut alias iuxta consuetudinem Ecclesiae, ... et iunctis manibus ante pectus dicit cantando *Dominus vobiscum.* Et cum dicit *Initium,* vel *Sequentia* (*Sancti Evangelii etc*) signat pollice dexterae manus initium Evangelii, ac seipsum in fronte, ore et pectore; et dum respondetur a choro *Gloria tibi Domine*, accipit thuribulum de manu acolythi, sive Caeremoniarii, et librum triplici ductu thurificat, primo in medio tum a parte dextera libri, mox a sinistra; et reddit thuribulum Caeremoniario, ac ma-

nibus iunctis incipit Evangelium... Et cum profert nomen *Iesu* vel *Mariae* » vel Sancti cuius festum agitur « inclinat se, sed profundius cum dicit *Iesus*. » Finito Evangelio, postquam librum Episcopus osculatus fuerit, triplici ductu eum thurificat, et, facta dum transit ante Altare genuflexione, retro Episcopum venit, et, cum hic dicit *Deum* ad intonationem Symboli, ipse caput cruci inclinat et ad dexteram Episcopi accedit ut ad *Gloria*. Recitat cum Episcopo Symbolum, simul cum eo caput inclinans, quando opus est, et genuflectens ad versiculum *Et incarnatus est etc.* Iterum sedenti Episcopo imponit mitram et pergit ad scamnum ut ad *Gloria*; caput tamen discooperiens ad verba, quae supra in capite de Presbytero assistente notata sunt. « Finito versiculo » *Et incarnatus est etc.* « surgit..... et accedens ad abacum, capit bursam cum Corporali, quam ambabus manibus elevatis usque ad oculos, cum decenti mora et gressu ac cum debitis reverentiis » (scilicet ministris, postea choro in parte Epistolae, deinde Episcopo, demum choro in parte Evangelii et Cruci) « portat ad Altare, ubi extrahit corporale, quod explicatum ponit super Altari in medio, bursam vero seorsim in eodem Altari collocat ita ut non praebeat impedimentum. » Statim, facta genuflexione, redit *per breviorem* ad locum suum, salutat comministros et sedet. Finito Symbolo, redit ante Episcopum, ut ad *Gloria*, eique mitram aufert. Post eum manet usque dum hic dixerit *Oremus*, ad quod verbum caput cruci inclinat, et ad dexteram Episcopi accedit donec lectionem Offertorii persolverit. Tunc ei sedenti imponit mitram pretiosam et accedens ad eius dexteram « simul cum Subdiacono aufert annulum et chirothecas ». Quando Episcopus surgit, ipse semper ad eius dexteram, accedit ad Altare, chorum salutans, et cum fuerit ante infimum gradum, aufert Episcopo mitram, genuflectit Cruci, et, adiuvans Episcopum, Altare conscendit. Porrigit Episcopo patenam cum... Hostia pro sacrificio Missae offerendo, cum osculo patenae et manus. Dum Episcopus dicit *Suscipe*,

Sancte Pater, etc... ex ampullis mittit in Calicem, quem prius purificatorio extersit, vinum pro consecratione et post admixtas illi per Subdiaconum paucas aquae, tum per Episcopum benedictae, guttas, offert Calicem Episcopo, cum osculis etiam Calicis et manus, cum quo, tangens et ipse Calicem dicit *Offerimus tibi Domine, etc.* et posito per Episcopum Calice super Corporali, ipse illum palla cooperit.... Tum... capiens patenam, ponit illam in manu dextera Subdiaconi, ac extremitate veli ab ea parte pendentis contegit .. Et accedente thuriferario, ministrat Episcopo naviculam, et mox ponit in eius manibus, ut supra dictum est, thuribulum ut thurificet Oblata et Altare », manu sinistra planetam sustentat, « dexteram vero ad pedem Calicis ponendo, ne, dum Episcopus oblata thurificat, thuribulo tactus, e loco removeatur vel aliquid ex illo effluat: et cum thurificanda erit Crux Altaris, ipse opportune Calicem e medio removebit, et Cruce thurificata, in eodem loco illum reponet. Finita thurificatione Altaris, accipiet thuribulum de manu Episcopi cum deosculationibus, et eum stantem cum mitra in cornu Epistolae triplici ductu thurificat: mox accedit ad thurificandum Dignitates et Canonicos et alios de choro, ordine in cap. XXIII lib. I. » Caerem. Episcop. « descripto. » Thurificato choro, thurificat Presbyterum assistentem et Subdiaconum, « quo facto, dat thuribulum acolytho vel Caeremoniario, a quo et ipse, stans post Celebrantem in gradu Altaris infra suppedaneum » in quo cum pervenit genuflectit « thurificatur (1) ».

Post verba *Orate fratres* (nisi Episcopus ea iam dixerit dum ipse Thurificationem peragebat) inclinatus respondet *Suscipiat etc.*

« Finita Praefatione, praemissa Cruci inclinatione, ac-

---

(1) Si chorus non adesset, thurificato Episcopo, Diaconus in plano in cornu Epistolae thurificat Assistentem et Subdiaconum, reddit thuribulum acolytho, a quo et ipse thurificabitur, ut supra.

« cedit ad dexteram Episcopi, dicens cum eo *Sanctus, Sanctus etc.*, et statim redit ad locum suum post Celebrantem ». Cum Celebrans profert verba canonis *Quam oblationem etc.* Diaconus, facta Cruci inclinatione, accedit ad eius dexteram et dum profert verba Consecrationis genuflectit, et cum elevat Hostiam, sinistra manu elevat aliquantulum posteriorem partem Planetae. « Reposita Hostia super Corporale » et adorato denuo ab Episcopo Sacramento, « surgit, detegit Calicem et statim genuflectit et iterum sublevat Planetam dum Celebrans Calicem elevat, quem repositum super Altare palla cooperit, genuflectit et redit ad locum suum post Cebrantem. » Ad verba canonis *Per quem haec omnia etc.* genuflectit, accedit ad dexteram Episcopi, detegit Calicem et cum Episcopo iterum genuflectit. Reposita Hostia super Corporale, tegit calicem, genuflectit etiam cum Episcopo. Ad verba *Audemus dicere* ante *Pater noster* genuflectit Sacramento et redit ad locum suum. « Circa finem *Pater noster*, videlicet dum Celebrans dicit *et dimitte nobis etc.* genuflectit cum Subdiacono « ascendit ad cornu Epistolae et accipit patenam de manu Subdiaconi, cum purificatorio detersam, osculatamque ab ipso, videlicet, dum dicit verba canonis *Libera nos etc.* ponit eam in manu dextera ipsius Celebrantis, quam similiter osculatur; et cum Episcopus supponit patenam Hostiae, ipse detegit Calicem, » genuflectit cum Episcopo, « ac posita per Celebrantem particula Hostiae in Calicem, illum tegit, » denuo genuflectit cum ipso Episcopo cum quo dicit *Agnus Dei etc.* percutiens pectus. Quo dicto, facta genuflexione cum Presbytero assistente, locum permutat cum eo accedens ad sinistrum latus Celebrantis, ubi iterum genuflectit, accedit et supplet ad librum loco Assistentis. Dum iste, recepta pace, genuflectit et ipse Diaconus in loco suo genuflectit, accedit ad dexteram Episcopi, ante Sacramentum iterum genuflectens et, quin Altare osculetur, accipit ab Episcopo pacem. Denuo genuflectit dum idem facit Subdiaconus in infimo gradu Altaris et redit ad librum, genuflectens cum Sub-

diacono, qui mox ad dexteram Episcopi accessit pacem recepturus.

Cum Presbyter assistens e choro reversus, retro Subdiaconum genuflectit, ipse Diaconus in suppedaneo genuflectit, accedit ad dexteram Episcopi et simul cum Assistente, qui tunc ad librum accessit, iterum genuflectit (1). Postquam Episcopus SS.mum Corpus sumpsit, Diaconus discooperit Calicem et cum Episcopo genuflectit, et, ab eodem sumpto Sanguine, « infundit vinum in Calicem pro purificatione Celebrantis », qua sumpta infundit vinum et aquam pro ablutione digitorum. « Postquam Celebrans digitos abluerit, Diaconus.... imponit mitram pretiosam in capite Episcopi, qui abluit manus, mox eidem mitram aufert et vadit post eum et dicto post ultimam orationem *Dominus vobiscum*, ipse stans conversus ad populum, sive ad Altare quemadmodum Episcopus, cantat *Ite Missa est* in tono competenti, vel *Benedicamus Domino*, prout tempus exigit.

Dicta ab Episcopo oratione *Placeat tibi etc.* ei antequam Altare osculetur, ipse Diaconus imponit mitram pretiosam, retrahit se in supremo gradu Altaris, in cornu Epistolae ubi cum Episcopus dicit *Benedicat vos etc.* genuflexus (vel, si in Ecclesiastica dignitate constitutus, stans inclinatus) accipit benedictionem. Deinde surgit, aufert mitram Episcopo, et redit ubi benedictionem accepit. Ad Evangelium, si Episcopus genuflectat, et ipse genuflectit. Lecto Evangelio, mitram pretiosam imponit Episcopo; postea ad eius sinistram accedit, locum permutans cum Presbytero assistente, et facta Cruci inclinatione, descendit in planum adiuvans Episcopum in infimo gradu, genuflectit cum aliis ministris et, salutato choro, Episcopum ad faldistorium comitatur eique

(1) Si autem non adesset chorus, Diaconus, accepta pacet et repetita genuflexione cum Subdiacono, redit retro Celebrantem et, cum Subdiaconus, accepta pace, genuflectit, ipse in loco suo idem facit, et redit ad dexteram Episcopi, ubi iterum genuflectit.

medius intra Assistentem et Subdiaconum caput inclinat et, in partem se retrahens, deponit manipulum. Redit ad dexteram Subdiaconi ante Episcopum, cui facta inclinatione, et postquam Subdiaconus abstulerit manipulum, mitram aufert, mox repetita inclinatione ad dexteram Episcopi accedit et eum, Subdiacono adiuvante, sacris paramentis exuit iisdem caeremoniis, quas servavit in vestitione. Postea Episcopo mantelletto induto, cum osculis Crucem imponit et biretum consignat. Episcopum a faldistorio surgentem salutat, et, eo ab Altari discesso, ad nutum Caeremoniarii ad dexteram Subdiaconi ante Altare venit, Cruci genuflectit in plano et, semper ad dexteram Subdiaconi cooperto capite in sacristiam redit, ubi, discooperto capite salutat Crucem et Episcopum, et sacra paramenta deponit.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro Mense Iulio propositae

Propositio

Quinam sit finis linteoli vel disci metallici, fidelium mento supponendi pro communione? Et quaenam inde consectaria derivanda pro praxi?

SOLUTIO

Ad rectum responsum dandum nobis videtur opportunum ad originem usus fidelibus s. Eucharistiam praebendi conscendere, nimirum aliqua praedictum linteolum, vel discum respicientia, disquirere, et ut claritas non deficiat, sequentia quaesita extruere opportunum credimus.

1. In primaevis saeculis qua ratione fideles Communionem recipiebant?

2. Quo tempore linteoli usus, quod supponitur nunc fidelium mento, inolevit, et qua de causa?

3. De eius forma, de modo quo est utendum, de eius qualitate, quid dicendum?

4. De disco inquirendum an sit tolerandus vel laudandus, quae conditiones ad hoc requirantur?

5. Quaenam inde consectaria derivanda pro praxi?

Ad. 1. In primis tribus saeculis in quibus saevitias adversus fideles Pagani exercebant, regula generalis Eucaristiam dispensandi accipiendique existere nequibat, quare ab ipsis recipiebatur meliori modo possibili, interdum a manibus Sacerdotum in domibus privatis, in catacumbis, aliisque locis, veluti tempus actionis opportunum censebant ubi functio agebatur, eis dispensabatur.

Aliquando Diaconibus hoc assignabatur officium, necessitate urgente: hoc autem clare eruitur e decreto renuntiato in Conc. Cartagin. IV. (*can. 38*), in quo vetatur Diaconus Eucharistiam populo erogandi si praesens adesset presbyter, nisi ab eo iuberetur: *Ut Diaconus, praesente presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget;* ergo antea, clare intuetur, Diaconus libere hocce officium complebat. Aliquoties vero ab adolescentulis adimplebatur. Ita legitur in morte Serapionis, qui S. Eucaristiam accepit a quodam adolescentulo pro impedimento Sacerdotis administrantis, qui vocatus, cum ratione infirmitatis invitationi annuere nequiret, eo usus est (1). Quis est, qui non novit S. iuvenis *Tharsicii* acolythi vitam, a paganis interfecti dum S. Eucharistiam gerebat, prout etiam in Martyrologio sub die 15 Augusti legimus?

Illis infelicibus temporibus persecutionum, inquit Duranti, cum non liceret Christianis libere, et passim ad frangendum et communicandum panem, una convenire, ab Ecclesiarum Praefectis Eucharistiam consecratam in manus ponebant, eamque nitido linteamine involutam domum deportabant et asservabant, eam cum opus esset sumpturi: eoque pertinet quod scripsit Tertulliamus lib. 2. ad uxorem: *Non sciet maritus quid secreto ante cibum gustes,* et lib. de monogamia, ibi:

(1) Fleury. St. Ecc. lib. VII. §. 5, N. IV.

sic dabunt viros et uxores quomodo buccellas. De illis enim buccellis coniicit Pamelius, quas domum ferendas ab Ecclesiae ministris accipiebant. Item lib. de Orat. in fine, ibi: *Accepto corpore Domini, et reservato* (1). Insuper auctoritatem S. Cypriani, S. Basilii, S. Augustini, S. Hieronymi refert, in quo satis perspicuum est primaevos fideles prius causa persecutionum, posteaque pro abusu Eucharistiam domi detinuisse, et propria manu accepisse.

Temporis successu, cum Ecclesia pace functa esset, regulas a fidelibus sequendas in recipienda S. Eucharistia opportune statuit, quae tamen praesentibus minime conformantur, cum non semel varietates aliquas subiissent.

Eucharistiam sumpturis tabellae quaedam spongia perpolitae a ministris apponebantur, veluti mensulae ut ex Chrysostomo et Anastasio observat Baronius *an. 57 N. 146:* quibus hodie linteamina successerunt, ut si quid forte decidat his excipiatur. Ipsa quoque sacra communio a Fidelibus hoc ritu excipiebatur iuxta dicta a Pellicia: « Celebrans accepto pane consecrato, *manibus in altum extensis*, illum ferebat, *cunctis ostendens, et alta voce* aiebat, *Sancta Sanctis:* quibus populus acclamabat dicens, *Unus Sanctus, Unus Dominus Iesus* (Ex vita S. Euty. Ab. Analec. Graecorum lib. I Cons. Ap. lib. 8. c. 13. Cyrilli Hier. Myst. 5). Itaque his dictis, atque clero communicato, ad cancellos accedebat, ad quos laici olim stantes (V. Vales. in Not. ad Euseb. Hyst. Eccll. 7. c. 9) communicaturi accedebant, lotis antea manibus et facie; (*Chrys. Hom 52 in Matth.*) viri manum nudam dexteram quasi concavan extendebant, cui sinistram, supponebant ita ut crucis formam utraque manus praeseferret (*Cyp. 1. de Laps. Cyril. Hierosol Catech. Myst 5. Aug. l. 2. contra litt. Petil. c. 23*): mulieres vero ambas manus super cancellos porrigebant, in quibus linteum habebant, cum illis vetitum foret *nuda manu* Christi corpus recipere (*S. Caesar. serm. 229 in Ap. nov. edit. S. Aug. Con. Antis. a 578 c. 36*). Insuper in

(1) Duranti Stephanus, De ritibus Eccl. Catholicae lib. I. C. XVI. N. 11.

primis saeculis licitum erat fidelibus osculari (*V. Vales. in Not. ad Hist. Ecc. Euseb. l. 6 c. 43*) ac propriis oculis admovere, ut *tam sancti Corporis contactu sanctificarentur* (Cyril. Hieros. C. Mis. 5) ac tandem illo vescebantur (1).

Quod autem fideles accedere debebant adhuc manibus in crucis formam testimonium SS. Patrum habemus: S. Cyrillus Hierosolimitanus apte affatur: *Accedens ad communionem non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistrum veluti sedem quamdam subiiciens dexterae, quae tantum Regem susceptura est et concava manu suscipe corpus Christi dicens: Amen:* Hunc ipsum ritum commendat Damascenus. (*lib. IV ortod. fidei c. 14*): Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam compositis Crucifixi corpus suscipiamus.

Superius vidimus quod homines in nuda manu, mulieres in linteolo s. Eucharistiam recipiebant: modo autem nobis requiretur quonam usque praedictus usus perduravit? Quandonam titeolum sub fidelium mento, sicut hodie agitur, subponere inolevit? In sequenti puncto responsum.

II. Ab expositis plane liquet, quod ad praecavendum quempiam consecrati panis in terram lapsum ac pretiosissimi Sanguinis aliquarum guttarum dispersionem (in primis saeculis, prout ab omnibus scitur, communio sub utraque specie, et sub aliquibus conditionibus etiam laicis dispensabatur) quandam ante communicantem ministros tabellam subposuisse, quae postea cessavit quando in eius loco linteola praesentia suffecta sunt. Ast quandonam haec evenit mutatio? En iterum nobis tenebrae sunt. Arbitramur, id accidisse cum tum Ecclesia S. Eucharistiae administrandae ritum permutavit praebendo eamdem Eucharistiam sub particulae forma, non in manu, sed in ore, quemadmodum impraesenti. Ast etiam hic ritus quando inolevit? Testimonium nullum praebere possumus extra Pellicia, qui ita loquitur...: *Laici itaque Eucharistiam manu receperunt ad IX usque saeculum: in quo illud* vetitum est, ac Sacerdoti praeceptum fuit ut propria

(1) Pellicia (*De Christiana Ecclesiae politia l. 1,o. X.* §. 13.

manu Eucharistiam *in os* laici imponeret (*Conc. Rothomag. saec. IX. c. 2*): quae disciplina VI iam saeculo in Romana vigebat Ecclesia. (*Ex s. Greg. Dialog. l. 3. c. 3*). Hoc unicum monumentum est, in nostris manibus existens, quod tamen nostris in libris reperire potuimus.

Modo autem de novo isto linteolo loquamur, nempe de eius forma, quomodo sit utendum, de eius fine et qualitate.

III. Linteolum, seu Mantile, prout a Caer. Episc. vocatur, quo pro Missa Pontificali utimur, debet esse longum saltem quantum est altare ubi sit dispensanda s. Communio, latum sit palmo, ut si forte sacra particula aliqua e manu celebrantis excidat, in terram non labatur; ad hunc finem illud sub fidelium mento ponitur.

Quod in communionum administratione, quae ab Episcopo fit Clero, praefatum mantile sit adhibendum, eruitur tota perspicuitate a Caer. Episc. in quo ad rem legimus. . . . . . *Eodem tempore accedunt duo Cappellani, seu acolythi cottis induti cum mantili albo, quod genuflexi sustinent ante communicandos, hinc inde ambabus manibus, per quatuor angulos, quousque perfecta fuerit communio* (1).

Cavalieri ad hoc affatus est: . . . . Quoties clerus in Missa solemni communicat ad altare genuflexus, duo acolythi iubentur ante eum extendere tobaleam, sive mappam mundam et eamdem hinc inde a lateribus quasi iacentem sustinere ambabus manibus per quatuor angulos, donec peracta sit communio (2).

Cl. Martinucci subiungit quod Diaconus pyxidem sustineat ante Episcopum dum accipiet sacras Particulas, et reducat ad pectus suum, cum communicati osculabuntur Episcopum in vultu. Subdiaconus vero meminerit patenam supponere mento communicandorum et retrahere illam postquam divinam Eucharistiam acceperint.

Si velit Episcopus populo quoque ministrare sacram Communionem, descendet de Altari et veniet ad cancellos per

---

(1) Carem. Epis. lib. II. c. 29 n. 3.

(2) Cav. lib. IV. Dec. XIV. n. 2.

balaustrium presbyterii super quo si praeparatae erunt tobaleae, qui duo cappellani sustinebunt mappam ante communicandos, recedent aliter simul cum Episcopo et ceteris ministris descendent ad balaustrium: Diaconus continuabit sustinere pyxidem, Subdiaconus patenam: clerici cum intorticiis pergent et ipsi ad balaustrium etc. (1).

Eadem methodus a praefato Auctore proponitur quando fit communio a Sacerdote Missam solemnem celebrante, tam clero quam populo fideli ad balaustrium: scilicet quod duo acolythi extendant et sustineant tobaleam ante communicandos (2), et Diaconus, si mos erit, dextera accipiet patenam, non adhibens purificatorium eamque communionis momento communicandorum mento supponet (3).

A contextu huiusce expositionis facile eruitur quod *per se* in generali communione cleri, aut fiat ab Episcopo, aut a simplici Sacerdote, in Missa solemni adhibendum est mantile album a duobus acolythis sustinendam, dum pro communione solemni populi adhibenda est tobalea linea super balaustrium (quemadmodum nunc explicabimus). extensa: qua deficiente, per accidens mantili praedicto uti possit, patena autem, ubi mos erit, in utroque casu a Diacono in communione peracta a Sacerdote, a Subdiacono ab Episcopo, tam pro clero quam pro populo, communicantis mento supponi debet, Diximus superius quod tobalea seu mappa ante communicandos extendenda debeat esse longa saltem quantum est altare, id autem clare eruitur etiam a dictis allati auctoris, qui inquit: « Ascendant ad latera Altaris, quo cappellani cum mappula, quam explicatam et extensam sustinebunt ante communionem, nixi genibus in extremitatibus lateralibus suppedanei. Eius qualitas et forma ab eodem describitur paucis verbis: Praeparabitur insuper mappa longa linea ante communicandos extendenda, neque decederet si esset acu picta et exornata

(1) Martinucci vol. IV. lib. V. c. XI. n. 26et 88.
(2) Id. lib. II. c. V.
(3) Id. n. 19.

in suis oris. Velo humerali pro mappa linea uti in communione non decet (1) ».

Quando agitur de communione pro laicis Rubrica Miss. Rom. sic instruit: *Minister ante eos* (communicaturos) *extendit linteum seu velum album* (2) et in Rituali pariter . . . : *et ante eos linteo mundo extenso* (3). Cavalieri ad hoc loquitur ita. . . : pro laicis vero, qui non ad altare, sed ad cancellos communicant, super cancellos linteolum extendendum esse monent (auctores), quod quisque respective propriis manibus approximabit mento, dum consecratam particulam a Sacerdote suscipit (4).

Explicationes nonnullas, quas tradit De Herdt cum sint magni momenti praetermittere nolumus.

Mappa communionis extendenda est in mensa communionis, ut supra in rubricis ministro faciendum praescribitur: Haec mappa 1. ex lino esse debet: in Rit. Rom. enim dicitur *linteum*, quod velum ex lino proprie significat, ut supra in rubricis *linteum seu velum album*, quae verba non denotant linteum vel quodcumque aliud velum, modo sit album, seu linteum ad modum veli albi, vel velum album ex lino confectum. 2. Alba et munda. 3. Compacta et sine foraminibus, per quae particulae sacrae decidere possunt, et deperdi et non ad instar retis. 4. Ornata esse potest opere detinculato, vel acu picto, modo sit totaliter linea, et ornatus causa in eo non sint foramina, quibus inepta redderetur ad finem, ad quem ipsa adhibetur.

Fumagalli alias necessarias explicationes adiungit: - Tabellas pro communione, inquit, ministranda Ecclesiae Parochiales omnes quatuor saltem, sed etiam plures, habeant, Tabellas tela linea, subtilioribus contexta filis, coopertas: quae pro s. communione ministranda usui veniant. Simplices existant, quae

---

(1) Martinucci: Liber V. c. XI. n. 25 et 1.
(2) Rit. Miss. cel. tit. X. n. 6.
(3) Rit. Rom. tit. IV. c. 2.
(4) Loc. cit.

scilicet, nullo sint in medio et lateribus operi obductae: in capitibus tamen acu pingi possunt. Eius longitudinis sint ac latitudinis quam postulat usus. Laventur saepe, et mundae semper in sacrario serventur: in profano usu ne adhibeantur (1).

Hic autem observandum est quod in Eucharistiae administratione, exceptis casibus a nobis superius enumeratis, numquam licet patenam adhibere loco mappae: id prohibet S. R. C. dec. 17 Sep. 1753 in Romana n. 885. Pariter eritne dicendum de disco metallico? Ad sequentem numerum responsio.

IV. Secuti nostram praedictam explanationem, cuius formae esse debeat linteolum, quod pro generali cleri communione, et aliquando pro populi, adhibendum est, deque altero, quod in balaustriis est superponendum pro populi communione, et de qualitate eorumdem, et de cura ac diligentia qua sit custodiendum, ut a sordibus remaneat mundum, et prouti unusquisque Ecclesiae Rector officium suum adimplere tenetur, cum illud sordidum inveniat, ut quamprimum scilicet abluatur, satis nos dixisse arbitramur.

De disco antequam loquamur, hic dicendi locus esse nobis videtur, an pro linteolo aut mappa in balaustriis posita, Minister panniculum communicaturis porrigere possit.

Opinio nostra pro certa habenda est, quod in Ecclesiis ubi balaustria desunt, panniculus adhiberi debet: ubi vero adsunt, possit, pro eo supponendo quorumdam communicantium mento, ad evitandum periculum ut sacrae particulae in terram decidant.

Haec nostra declaratio cohaeret decretis emanatis a S. Con. Visitationis Apostolicae sub pontificatu Urbani VIII, de quibus quintum tantum ad rem respondens referimus:

Il pannicello che si dà per la Communione sia destinato a quest' uso: nè mai si dia il velo del Calice, e molto meno il fazzoletto delle ampollette d'asciugare le mani.

Hocce decretum a Merati in p. II. tit. X. n. XXIX re-

---

(1) Prompt. Liturgicum. ad v. Tabella p. 556.

fertur, dicente quod in regestis eiusdem S. Conc. tom. I. fol. 23 Cap. IV. invenitur. Cl. Cavalieri sequentes maturas animadversiones ad rem facit:

Quod si cancelli desint, aut unus, vel alter de clero ad altare communicare debeat, tunc Minister, statim ac generalem peccatorum confessionem fecit, communicandis praebebit linteolum quoddam, quod communicantes sibi invicem mutuare poterunt, et quoties id commode praestare nequeant, illud minister recipiat, et alteri communicaturo porriget.

Lex tamen ista non ita ad linteum restricta est, ut Missale *super velum album* libertatem non faciat, quod tamen esse non potest velum calicis, unde Decretum: *nè mai si dia il velo del calice.* Id volo extendas ad bursam eiusdem calicis, purificatorium, et quaecumque alia, quae servitio Missae sunt destinata: haec enim iuxta alibi dicta ad usum alterum deservire non possunt, quando etiam a decreto in velo calicis implicite non comprehenderentur, et adhuc explicite in iis verbis: *Il pannicello*, ac per consequens, etiam quaecumque res altera, quae eiusdem loco subrogatur, *deve essere destinato a quest'uso*, ad quem destinata non sunt instrumenta Missae, sed ad alium, ad quem, et nimis vilem, cum item deserviat manutergium manuum Sacerdotis, propterea de eodem bene decretum: *e molto meno il fazzoletto delle ampollette d'asciugare le mani al Sacerdote.* Verum cum hoc remote admodum ad Missam deserviat, fortasse etiam ad communionem tolerari valet, aut destinari, dummodo recens ex lixivio exierit, nec postmodum una ne quidem vice deserviat pro lotione manuum.

Ex his omnino eliminandus apparet nonnullorum abusus, qui dum communicant, accipiunt extremitatem superpellicei, casulae, manipuli, aut stolae Sacerdotis administrantis, et suo mento supponunt: praesertim si foeminae communicent, in quibus specialis militat deformitatis ratio. Secus est de tabella lignea, vel papyracea, quae in nonnullis Ecclesiis adhibetur, et quoties linteolo mundo desuper tecta est, nedum non habet, unde carpatur, sed ad rem si non est aptior, certo non est minus accommoda, et praesertim quando unus dumtaxat vel alter

communicat, qui eandem sibi mutuare poterunt, vel cuivis a ministro exhiberi, prout maius feret commodum (1).

Huiusmodi tabellis pleraeque Ecclesiae etiam nunc utuntur, et in hoc cum praefato auctore convenimus, tamen silere non possumus, et haud damnare illos Ecclesiarum Rectores tabellis tam parvis uti permittentes, ut fini non respondeant. Hae sunt absolute reiiciendae, prouti inanes, si saltem in longitudine quartae metri partis mensuram non habeant, et in latitudine septimae fere partis eiusdem.

Caeterum quomodo fieri debent, amicus noster D. Petrus Piacenza claram brevemque descriptionem facit, et nos ad literam nunc reportamus:

Alicubi vero usus invaluit adhibendi mappulam quadratam super tabellam ligneam, vel ex crassiori charta, extensam, quam de manibus sibi ad invicem tradunt communicantes. Haec mappula non reprobatur, dummodo tamen linea sit, et bene levigata ad instar corporalis, ita ut Sacerdos facile cum patena fragmenta in casu colligere possit. Visitator ita videat, an mappula huiusmodi sit; si vero acu pictam, vel more reticulato confectam, omnino suspendat, non enim ad rem facit, imo si Sacramentum decidat super eam, impossibile foret particulas colligere (2).

Novissimis nostris temporibus usus invaluit discum metallicum adhibendi: quid de isto est arbitrandum?

Quoties omnes conditiones a rubricis et decretis S. R. C. desideratas habeat, nil obstat quominus adhiberi possit.

Quid ad rem praefatus amicus noster dicat exponamus:

Quod si loco illius tabellae, usus disci metallici invaluisse viderit, non interloquatur Visitator, cum S. R. C. (*16 Martii 1876, n. 5658 ad 4*) huiusmodi discos non reprobarit, observet vero an mundus, detersus, bene deauratus sit discus; atque sciat quomodo custodiatur, et utrum Sacerdos ipse, non

---

(1) Loc. cit.

(2) Manuale Noviss. pro visitandis Ecc. etc. *Ephem. Liturgicae* an. IV. fol. 110.

minister immediate post communionem ad altare referat detergendum.

Qui discus, non in propatulo, cuique tangendus, sed in sua bursa custodiatur apud tabernaculum, nunquam autem in eo.

Zualdi ad rem inquiebat: - Linteolo vel metallico disco utuntur fideles, ut mento illud supponentes, particulae fragmenta non pereant. Inferes. Ex fine seu linteoli, seu disci evidenter patet, illud esset debere ad instar corporalis, extensum, neque acu pictum esse posse aut reticulatum. Item si pro linteolo utantur Ecclesiae disco, manifestum quoque fit, hunc esse debere ad instar patenae latioris, et in almi Sacramenti reverentiam inauratum (1).

E dictis manifesto coniicitur quod eius usus non esset improbandus in illis locis, quibus fuit introductus: a sequenti quaesito et respectivo responso pariter eruitur: An in ministranda fidelibus sacra communione liceat loco tobalearum uti tabellis ex metallo, vel huiusmodi usus tolerari possit in his Dioecesibus in quibus fuit introductus, S. R. C respondit. - *Non esse interloquendum*. Nihilominus non esse improbandum usum tobalearum linearum *(16 Mart. 1875)*.

Ex isto responso omnibus liquet, usum disci si non est commendatum, tamen non esse reprobatum; sed S. R. C. permittendo eum, non defuit commendare tobalearum usum.

Ut usus disci nil optandum relinquat, sequentes conditiones requiruntur: 1. Bene inaurandus est ob reverentiam tanto Sacramento debitam. 2. Non debet esse caelaturis circumornatus, ut facilius abstergi valeat. 3. Ut dimensiones habeat, quas de tabellis superius notavimus. 4. Bonum esset, si Sacerdos ipse suis manibus discum ad altare deferret ad eum abstergendum, sed nec reprehendendus Sacerdos si id agere renuat; quia nullo decreto id facere praecipitur. 5. Ut discus in Tabernaculo non abscondatur, hoc enim vetatur a decreto quodam S. C. Episc. et Regularium 3. Maii 1693 allato a - *Monitore*

---

(1) loco cit. (2). Apud Ephem. Litur. c. XI. §. 3. an. 2. pag. 564 et seq.

Ecclesiastico - anno I. vol. I. pag. 384, qui dicit abstulisse a Crispino (*Della Visita Pastorale p. II. §. II. n. 9*). En quod continet: *Dal Tabernacolo del SS. Sacramento si devono levare i vasi degli olii santi, le Reliquie e qualunque altra cosa, dovendovi restare solo esso SS. Sacramento dentro la sua Pisside, collocando detti vasi e Reliquie in altro luogo decente; e neppure vi devono essere in custodia i sacri calici destinati per il Santo Sacrificio della Messa.* - Eadem Ephemeris praedicto decreto innixa in vol. VII. p. II, pag. 21 concludit, quod in tabernaculo nec discus, nec corporale retineri possint, istud enim veluti repositorium minime est retinendum. 6. Ut ab omni sorde et macula semper sit mundus; et ad hoc obtinendum vel in aliqua bursa continua retineatur, vel in sacrario in quopiam repositorio collocetur: per intervalla levigetur: assidue enim adhibendo eum, certum est quod claritatem amittat.

Si praedictae conditiones verificentur, disci usus iuxta nostram opinionem est laudabilis, quia maiori facilitate fragmenta inveniuntur et in calicem aut pyxidem mittuntur.

Insuper illis in locis ubi linteola in balaustriis adhibentur, nobis videtur esse adhuc bonum simul discum adhibere, quia in disco, maiori claritate a Sacerdote perspiciuntur, ideoque maiori facilitate fragmenta colliguntur, et finis a rubrica optatus facilius obtinetur, nempe ut non dependantur fragmenta (1).

V. Modo autem respondemus *Ephem. Liturg.* *quaesito quaenam consectaria derivanda pro praxi?*

Nullum substantiale consectarium in praxi utendo linteolo vel disco, adest, quam quod finis utriusque est, ut particulae si e manu Sacerdotis decidant, usque ad terram non perveniant, sed vel a linteolo, aut a disco retineantur; et fragmenta illarum non deperdantur, sed in utroque deponantur: ut colligi a Sacerdote valeant ad immittenda ut supra in calicem vel in pyxidem, prout haec Sacramenti administratio exigit infra Missam, vel antea aut postea vel extra eandem. Caeterum *per accidens* adhibendo discum vel parvam tobaleam res expedi-

(1) Serio nihilominus consideranda sequens Appendix.

tur, praesertim si Sacerdotis minister sit parvulus, prout saepe saepius in paroeciis ruralibus evenit.

Nos autem hanc longam argumentationem claudentes, reverentia antiquitatis patribus nostris in Christo, ut, ubi sit possibile, usum tobalearum retineant, praesertim in diebus magni concursus: quando autem astringantur seligere aut parvam tobaleam superimponendam tabellae ligneae vel papyraceae, ut discum inauratum seligant, cum sit opportunius, consulimus

NIVARDUS BOSSI,
Parochus S. Septimii.

AD PRAEFATAM SOLUTIONEM
APPENDIX.

Una cum inscripta in hisce paginis solutione, alia ad nos missa fuit, quae ad cl. Academicum alterum, A. Fourneret, pertinet. Utramque censemus laude dignam, atque apprime procul dubio elucubratam, ac simul eruditione praestantem. Primam autem, potiusquam secundam selegimus ut evulgaretur, praemioque donaretur, quod a proposito nostro minus recedit. Ita conceptum nostrum exprimimus, quia aliud fuit propositum nostrum in proponendo quaesito. De quo nihilominus absit a nobis, ut alterutrum ex Academicis censura notemus; quin potius nobis ipsis defectui vertimus, quod intentionem nostram haud satis fortasse perspicue in proposita thesi significavimus. Hinc cogimur sequentem datae solutioni appendicem adiicere, ut mentem nostram penitus significemus.

I. *Finis linteoli.* 1. Satis de antiquitate dictum est. Eucharistia fidelibus primaevo Ecclesiae tempore data fuit sub alia forma, panis videlicet solidi. Panes plures super mensa poni consuetum fuit, consecrari cum pane Celebrantis, comminui postea, et omnibus adstantibus distribui: quod E.mus Bona, et merito, exploratissimum dicit. Panes autem istos rotundae fuisse figurae vix inficiandum, cum panes oblati appellati quoque fuerint coronae, uti tradit antiquitas.

Post plura saecula panis forma pro Eucharistia distribuenda in figuram denarii redacta, paulatim ad praesentem hostiae formam tenuem satis devenit. De linteolo verba facere pro tempore receptionis Eucharistiae in manibus, sive nudis hominum, sive lino coopertis mulierum, vanum credimus. Nisi admittere velis, tabellas lino coopertas adhibitas quoque fuisse antiquitus in loco, ubi Eucharistia erat distribuenda: quod cetera parum ad rem nostram interest. Indubie nihilominus, cum coeptum est hostiam in os immitti, tunc linteoli usum etiam incoepisse tenendum est, qui usque nunc perseverat.

2. Linteoli finis duplex esse posset, aut videlicet pro sacra hostia, quae decidere potest in terram, reparanda: aut pro fragmentis servandis, quae ex ipsamet hostia separari possent, et disperdi: aut etiam pro utroque, seu pro reparandis tam hostia quam fragmentis. Cum fragmenta dicimus, aut notabilem, visibilem saltem oculis, hostiae partem significamus, aut minimas particulas humanis oculis vix visibiles Lintei usum invectum fuisse pro hostiae et fragmentorum primo sensu acceptorum lapsu in terram vitando, ambigit nemo. At voluit ne etiam Ecclesia linteolum ad hunc quoque finem inducere, ut fragmenta secundo sensu accepta non deciderent in terram, sed servarentur et custodirentur? Hoc erat propositum nostrum in proponendo quaesito super linteoli fine. Eapropter hac super re, de qua vix obiter aliquid dictum est, aliquantisper nos immorabimur.

3. Linteoli usus certe viget in universali Ecclesia, viget et adamussim servatur a tempore antiquissimo, ex quo incoepit. De eo loquitur Caeremoniale Episcoporum, quod *mantile album* vocat, de eo loquitur Missale Romanum sub nomine *lintei* seu *vel albi*, de eo loquitur Rituale Romanum, quod *linteum mundum* nominat: de eo auctores omnes sacrae Liturgiae loquuntur omnesque fideles uti consueverunt: ut si aliquando ex incuria desit, implicati quodammodo et conturbati maneant.

Nunc quaerimus; quid de hoc linteolo agendum, ubi reponendum postquam fideles communicaverint? Nihil, prorsus nihil; sed super abaco tantum deponendum; imo, cum

frequentiores sunt communiones, ut diebus dominicis saepius accidit, super loricae septo relinquitur, ad fidelium communicantium commodum. Haec romana, haec universalis praxis. Nulla unquam extitit, nec lex extat, quae vel remote dictum linteolum excutiendum iubeat, ut id genus fragmenta de quibus sermo nobis est, colligantur et non pereant. Haec omnia certa sunt, nec discussioni obnoxia.

4. Porro, si finis linteoli esset, ut haec fragmenta serventur, nec dubitandum foret, quin Ecclesia summo studio curaret, ut vel maxima adhiberetur diligentia, vi cuius ea servata in mundiorem locum, quantum fieri posset, deponerentur: quod tamen non facit Ecclesia. Namque tacet ea de re Caeremoniale Episcoporum, tacet Missale, tacet Rituale Romanum, ipsumque tacet Pontificale, quod agens de Ordinatione unius Presbyteri, de hoc linteolo nihilominus sub *mappulae* nomine verba facit. Eapropter in his servandis, custodiendis, recondendis, a tempore procul dubio vetustissimo, ex quo linteoli consuetudo invecta fuit usque in praesens, nullam umquam Ecclesia operam posuit. Quod apprime perpendendum est; non enim agitur de hac vel illa Ecclesia, quae incuriae fortasse incusari posset ac negligentiae, sed de omnibus et singulis, a romana aliarum omnium magistra, ad ultimam, nulla exceptione facta. Hoc autem abunde constat ex silentio omnium, qui de re liturgica disseruerunt, scriptoribus ab antiquioribus ad recentiores aetatis nostrae, cum nihilominus de ea, quae adhibenda est diligentia, in communione tradenda, ne quid ex sacris speciebus panis in terram decidat, a maximo ad minimum, nullus sileat.

5. Quid ergo sibi volunt, et legis cuiuscumque silentium, et silentium scriptorum omnium, et praxis huiusmodi prorsus universalis? Procul dubio haec significant, finem linteoli non esse ad colligenda fragmenta, de quibus loquimur, sed tantum ad impediendum vel integrae hostiae, vel notabilis illius partis lapsum in terram. Secus, Ecclesia ipsa graviter redarguenda foret, et irreverentiae in almum Sacramentum, et non minoris incohaerentiae. Patet primum, quia silentio suo permitteret ea fragmenta deperdi, in quibus iuxta fidem totus

est Christus. Patet alterum, quia dicta fragmenta vellet antea ut reciperentur in linteolo, dum postea de iis nulla lege nulloque studio curaret, ut serventur. At cuinam audacia tanta, immo ineffabilis insipientia, ut Ecclesiae, quam Spiritus Sanctus regit ac dirigit, quae Christum sponsum suum maxima dilectione prosequitur, praefatam duplicem inurere maculam valeat? Consequens ergo est, ut linteolum nunquam ad hunc finem adhibuerit Ecclesia, nec adhibeat in praesenti, sed tantum ad praecavendum lapsum sacrosanctae hostiae, vel notabilis eius portionis in terram.

6. At obiicere quis posset: Esto quod dicitur, sed si fragmenta etiam minima decidere possunt, imo reapse decidunt super linteolo, quomodo excusari potest Ecclesiae sapientia, ipsiusque amor atque etiam honor in Christum, cum nullam iis servandis impendat operam? Nullius negotii responsio est, argumento etiam a priori praetermisso, quod videlicet in re tanti momenti non potest Ecclesia quin optime se gerat: ut plane stultissimum se demonstret, qui universalem sapientissimamque magistram edocere sibi arroget. Itaque respondemus, posito fragmentorum lapsu super linteolo, Ecclesiam hoc in negotio quod *decet* facere, quod *dedecet* non facere. Diximus, *posito fragmentorum lapsu super linteolo*; quia cum hostiae in pyxidem, quantum fieri potest purificatae immittantur, cum Sacerdos alteram ab altera hostia, ut communionem distribuat, separare necessario debeat, cum denique brevissimum intercedat spatium distantiae, quod percurrit hostia a manu Sacerdotis ad os communicantis: non adeo facilis, imo satis difficilis iudicandus fragmentorum lapsus in linteolum. Quidquid vero sit, ne absolute negare videamur quod evenire quandoque potest, placet magis dictum lapsum fragmentorum supponere. Decet autem omnino, ut lapsus sacrae hostiae, vel notabilis illius partis evitetur, hinc linteolus: omnino vero dedecet, ut invisibilia vel vix visibilia eiusdem hostiae fragmenta conserventur, custodiantur, atque impossibili cautela recondantur. Dedecet, inquimus, non propter ipsa fragmenta in se spectata, sed propter difficultatem ea distinguendi, reperiendi, consequenter et venerandi, seu illis cultum debitum tribuendi. Equi-

dem latet neminem ex fidelibus quod in nota Sequentia Corporis Christi Angelicus confitetur, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Verum quomodo illa distingui ac reperiri humane possunt, proindeque quomodo iisdem cultus praestari posset?

7. Huiusmodi fragmenta decidere super linteolum posse non negamus; sed vero et alterius generis fragmenta super illud decidere facile posse, prudens nemo ambigit. Fragmenta dicimus, seu ex humano corpore, seu ex vestibus communicantium, seu ex aere, seu ex aliis elementis, inter quae versantur ii, qui sacro Christi corpore reficiuntur. Iam nunc ex his omnibus singulisque atomis, humano oculorum captui vix accessibilibus, distingue, si vales, quae ad Eucharistiam omni veneratione et adoratione dignissimam pertinent, ab aliis extraneis, quae aliorum elementorum partes efformant. Quaere, scrutare, aciem oculorum exacue, opportunis optices instrumentis utere, omnique ope contende, ut dicta sacra fragmenta reperire valeas: voti num compos fies? Lectoribus responsio; sed quantum videmus, cum manibus pedibusque obnixe omnia feceris, maius instituisti opus quam effici possit, et haud dubium, quod e pumice postulasti aquam. Hoc posito, ecquis sanae mentis iudicabit, eiusmodi fragmentis tribuendum esse cultum? Mirare ergo sapientiam Ecclesiae, quae impossibilia non iubet, et incertae rei nullum cultum praestat.

8. Perpende Rubricas de fragmentis, quae a Celebrante post communionem suam colligenda sunt: « Accipit patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta, si qua sint in eo: patenam quoque cum pollice et indice dexterae manus super calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat ». Quibus in verbis nota, Corporale inspiciendum esse, quod facile est, non inspicienda fragmenta, utpote moraliter impossibile: quae tamen colligenda sunt, si qua in eo sint, non vero quaerenda, quod et difficillimum foret, et argumentum scrupulis suppeditaret. Item patenam *diligenter* extergendam esse Rubrica exigit, quod facillimum est, statimque extergendam post recollecta, si qua erant, fragmenta: extergendos simul pollicem et indicem lex praecipit, qui a

consecratione ad communionem usque coniuncti fuerant. Fragmenta quoque de hostiis consecratis, in vas ad hoc ordinatum repositis, Rubrica colligenda esse praecipit, et de Celebrante dicit: « Diligenter advertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum remaneat super Corporale; quod si fuerit, accurate reponit in calicem ». Nilque sapientius; quia agitur de fragmentis, quae remanere possent super Corporali, quod ante Celebrantem extat, super quod ipsemet hostias posuit. Multa ergo facilitate advertere diligenter in illa parte Corporalis potest, ut fragmentum nullum, esto minimum, in ea remaneat, sed per patenam acceptum immittat in calicem, et sumat. At quae hic tanta agi cum facilitate possunt, nullique inconvenienti obnoxia sunt, nonnisi summa cum difficultate fieri possent in casu linteoli, uti quisque videt: adeo ut alius non haberetur effectus, nisi confusionem pariendi et incertitudinem, imo, si velis, etiam idololatriae actum. Si ergo in prima hypothesi admiranda Rubricarum sapientia, quae exigunt ut fragmenta colligantur, haud minus Ecclesiae prudentia commendanda in altera, quae nullam fragmentorum colligendorum imponit legem.

9. Aliam fas est Rubricam animadvertere, quae respicit hostiam lapsam in terram: « Si hostia consecrata vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit, mundetur et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio huiusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum huiusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur (*De Defect. 14*) ». Hic autem iterum nota sapientiam Ecclesiae, eiusque in Eucharistiam reverentiam maximam. Interim ad rem observa, hic agi de particula Sacerdotis in terram prolapsa, sed de particula notabili, non de fragmento ex iis, de quibus loquimur, cum reverenter eam accipiendam esse praescribatur, quod de huiusmodi fragmentis comprobari non posset, uti patet. Insuper mappa vel linteum, super quibus pars hostiae prolabitur extra Corporale, vult Rubrica ut laventur, quod de Corporale non praescribitur; quia nec mappa nec linteum in casu ad

Christi Corpus recipiendum sunt destinata et benedicta, sicut Corporalia. Quid autem de linteo pro fidelium communione praescribitur? Nihil. Quidam autem scriptores, ad similitudinem praescripti in praefata Rubrica, consulunt ut, si hostia cadat intra linteolum, aliud illi linteolum superponatur, et postea lavetur; sed hoc ex lege non constat, neque communiter in praxim deducitur quia fortasse linteolum ad id destinatum est. Quidquid sit, de fragmentis, quae super eodem linteolo prolabi possunt aut prolabuntur, lex ne verbum quidem. Sapiens Ecclesia in dicta Rubrica, sapiens et hic nullam de hisce fragmentis legem iubens.

10. Igitur post hucusque exposita quid concludendum? Linteolum ex Missali, ex Rituali, ex Caeremoniali, et si velis, etiam ex Pontificali, mento communicantium supponendum, habet ne pro fine unico lapsum sacrae hostiae, vel notabilis illius partis in terram, an etiam fragmentorum vix visibilium collectionem? Universalis Ecclesiarum praxis, paucissimis exceptis, de quibus mox dicemus, in eo consistens ut linteola nequaquam extergantur: silentium Ecclesiae, scriptorumque super hoc liturgicorum omnium: impossibilitas sic agendi, et inconvenientia satis gravia quibus eiusmodi abstersio esset obnoxia: haec omnia quid probant? Securitate ac libertate pari non gravamur affirmare quod iam demonstratum iudicamus: Finis unicus linteoli huiusmodi non est fragmenta, de quibus egimus, colligere, sed tantum impedire quominus hostia vel pars eius notabilis dilabatur in terram.

11. Quod si dicas, fragmenta huiusmodi ergo profanationi exponi, reponimus cum Ambrosio, Chrysostomo, Gregorio, Thoma et aliis, angelos sacrificio assistere, ad eosque pertinere ea fragmenta colligere, quae colligere Sacerdotes moraliter nequeunt. Neque ideo negamus cum Quarti, « saepius a Deo permitti ex malitia vel negligentia humana, irreverenter tractari Eucharistiae Sacramentum: quae tamen iniuriae in diem ultionis a Deo reservantur puniendae, et in maiorem Christi gloriam convertendae; sed dicimus, ubi non se immiscet malitia hominum, eas praecaveri ab angelis (*Pars. II Tit. X, Sect. II, Dub. VII, sub fin.*) ».

II. *Discus metallicus* 1. Sed ex dictis sequens oritur difficultas: Quod moraliter Ecclesia potest facere pro conservandis fragmentis, id illi faciendum videtur; atqui optime id obtinetur, si linteolo sufficiatur discus metallicus, ergo hic videtur esse adhibendus ab Ecclesia. In hoc enim disco fragmenta vel minima facile conspiciuntur, custodiuntur, ac demum maxima cum facilitate a Sacerdote colliguntur. Praeterea discus metallicus pretioso Christi corpori recipiendo, licet sub fragmentis, multo magis congruit. cum inauratus esse debeat. - En discus metallicus, de quo in quaesito a nobis proposito. Operae itaque pretium est, ut aliquid de eo, quod quaestionem attinet nostram, dicamus. Perpendamus nempe huiusmodi discos, et videamus utrum, re penitius considerata, expediat nec ne, ut, linteolis relictis, discis uti possit, imo debeat Ecclesia

2. Discus metallicus antiquissimus dicitur ex Tertulliano, a quo *scutella* nuncupatur. Alii quoque, uti in Emo Bona videre est, et in Martene, scriptores antiqui, de *tabellis* loquuntur ad Corpus Christi sub speciebus panis recipiendum. Quod quidem non negatur; sed finis eiusmodi subsidiorum primo statuendus esset, quae primis certe saeculis pro Eucharistia recipienda inserviebant, pro eaque in domus transferenda. Insuper probandum esset, dicta instrumenta non fuisse lino, mantili, linteolo etc., de quibus passim auctores, cooperta: quod fortasse difficile, nisi impossibile videtur. Quidquid sit, quaestio versatur circa hostiam in ore recipiendam; et traditio romanae Ecclesiae non fert scutellas, tabellas, aut discos, sed unice linteolum ad lapsum Eucharistiae in terram praecavendum, haud vero, uti expositum est, ad fragmentorum propemodum invisibilium evitandum lapsum, cum finis eiusmodi possibilitate careat. Hinc ante omnia concludendum, discum metallicum antiquitati Ecclesiae, prouti nunc habetur in quibusdam Ecclesiis, eiusque traditioni, haud esse conformem, ut novitatis vitio laboret, a quo cavet Ecclesia.

3. Congruit pretioso Christi Corpori, cum inauratus esse debeat. - Convenimus; et ipsamet Ecclesia inauratam exigit patenam pro Celebrante. Sed lini substantia magis placet Ecclesiae pro communione fidelium, uti etiam pro Celebrante,

qui Corporali lineo utitur, et super eo consecrat, non super patena. Qua tamen, ratione ritus, necessario quoque Celebrans uti debet, super ea communicat, eamque saepe adhibet pro Eucharistia administranda, uti et pyxidem. Profecto linea materia est, non metallica, in qua Christi Corpus depositum fuit: ut hostiae, si labatur, recipiendae melius illa respondeat, quam ista. Praeterea disci inauratio, maxime in casu nostro, quam facile, paulatim et brevi consumitur, et quadam difficultate, ob expensas, iterum inauratur, dum interim satis esset indecens metallum sine auro ad recipiendum Christi Corpus. E contra linteolum album, quando opus sit, nullo negotio expensisque lavatur. Cetero linteolum id praestat officii in communione fidelium pro hostiae lapsu, quod Corporale in sacrificio Missae pro eodem casu; atqui illud est ex linea substantia, ergo et hoc ex eadem materia esse omnino convenit.

4. Sed inspiciamus finem in disco, quatenus fragmenta, quae decidunt, facile conspiciuntur, et conservantur. Iterum imprimis notandum, hunc nec linteoli esse finem, nec disci ipsius esse posse. Ratio patet ex superius dictis, quam aliquantulum libet evolvere. Fideles plures, uti notum est, saepe communicant: discus ex unius in alterius ex fidelibus manus, et sic successive, transire necessario debet: non desunt qui prae devotione illud osculantur. Nunc autem petimus: fragmenta, quae post absolutam, plus minusve prolixam, communionem, remanere possunt super disco, sunt ne vere omnia et solum, vel aliqua saltem, ex sacris hostiis? Oramus ut disci metallici fautores dent responsum, quantum fas sit, pro veritate. Quantum autem ex nobis est reponimus, iudicium certum ferri de eo absolute non posse; e capite enim, e vestibus communicantium, ex aeris pulvere, ex ipsis halitibus et efflatibus, atomi sine fine decidunt, evolant, consistunt super disco: unde fit ut nihil omnino certi super his fragmentis determinari possit. Quo modo igitur, et quo iure asseri poterit, per discum sacra fragmenta facile conspici, et conservari posse? Quam facile apparentia rei veritati se sufficit!

5. Quid proinde iudicandum de asserto super facilitate

illa consumendi a Sacerdote? Sed imprimis animadvertimus non omnes communiones infra Missam fieri. Si autem ante Missam, expectabit Celebrans? si postea, in alia Missa discus abstergetur? Interim quid erit de collectis fragmentis quae supponuntur? Si communio habebitur omnino extra omnem Missam, quomodo supposita fragmenta Sacerdos colliget? At repones, tunc discum in bursa una cum Corporali reponi. Quis huiusmodi legem iubet? Cuinam Episcoporum id facultatis erit? Ceterum quid erit de dictis fragmentis, posito intra bursam disco? Postea ne excutienda bursa, vel Corporale, ut illa decidant et colligantur? Quot novae leges, quarum condendarum, cum de re liturgica agatur, ius non habent Episcopi! Sed iam ponamus, hunc discum ad altare deferri, ut abstergatur. Tenetur ne Celebrans talia fragmenta colligere? Negativa responsio certa est, vere enim de hoc lex non datur. Liberum ergo erit; at si agitur de reverentia in almum Sacramentum, quomodo eiusmodi libertas explicanda? Denique Celebrans discum abstergere concedamus: quid colliget? Fragmenta specierum? Qui potest capere, capiat. Nos vero toto iure repetimus, et post dicta vix dubitari de hoc potest, Celebrantem in his colligendis fragmentis, nonnisi potius colligere atomos, quae proveniunt de vestibus, de capite, de ore communicantium, de pavimento, de parietibus, de mappis, ac de omnibus aliis elementis, quae sunt in templo, et vix aliquod, nisi nullum, de speciebus: neget qui potest. Porro eiusmodi fragmenta in calicem deponere aut sumere, satis est indecorum, nauseosum, nisi et indignum Nonne quorundam supposita sapientia privatorum, contra veram Ecclesiae sapientiam, in stultitiam conversa esse videtur?

17. Equidem dices, idem praedicari posse de fragmentis, quae in Missis solemnioribus esse possunt super ipsa patena Celebrantis, quae mento communicantium supponitur, et postea ab ipsomet Celebrante abstergitur. Respondemus, casum huiusmodi satis esse alium ab illo; quia sacer minister eam semper tenere debet et nulli praebere, neque ad osculandam; quinimo neque eam tenetur communicantium mento supponere. Nusquam enim eiusmodi lex habetur. Caeremoniale Episcoporum

patenam quidem nominat a Subdiacono tenendam, sed nec remote innuit, eam supponendam mento communicantium. Iuxta Crassum, et Catalanum, uti et De Herdt, patena supponenda tantum est dexterae Episcopi communicantis, ad sacrae hostiae vitandum lapsum. Id autem fit ratione solemnitatis, non vero necessitatis: ut in communione, quam in solemni Missa administrat Episcopus, admittatur, in ea quam digniores Sacerdotes distribuunt, permittatur, si tamen id ferat consuetudo, in illa vero quam dant simplices Sacerdotes, interdicatur. Hinc de ea patena iterum purificanda lex omnino tacet, quamvis de purificatione pyxidis explicite loquatur. Quod si usus alicubi invaluit et de patena supponenda mento communicantium, et de ea purificanda, quid ad nos? In lege sistimus, quae nulla prorsus est, adeo ut afferri ad exemplum in casu nostro nequeat, licet ille casus a nostro plane differat.

II. *Consectaria.* Breviori nunc calamo de consectariis, quae inde pro praxi deducenda sunt. 1. Sapiens mater Ecclesia omnia quae agit statuitque, non potest quin sapienter agat et statuat. In communione fidelium linteolum praescribit; ergo linteolum adhibendum est. 2. Momenta quae allegantur contra linteolum, quod iuxta legem est et communem Ecclesiarum consuetudinem, ac pro disco metallico, speciosa quidem sunt, nihil tamen soliditatis habent. Quod autem de linteolo dicitur, idem de mappis lineis toto iure dicendum. 3. Discum metallicum fragmenta servare, linteolum disperdere, nil propemodum veritatis habet in re, quidquid prima fronte videri possit. 4. Si quod asseritur veritati conforme esset, obligatio procul dubio inhaereret unicuique Sacerdotum discum extergendi et fragmenta sumendi aut saltem custodiendi: quod nec iubet Ecclesia, nec disci fautores imponant, sed liberum relinquunt. 5. Maiorem disci convenientiam sustinere prae linteolo iniuriosum est Ecclesiae, quae repetita in pluribus codicibus liturgicis eiusdem linteoli lege, illiusque universali approbata praxi, satis superque demonstrat, eam esse sapientia plenam et servandam. 6. Episcopi, qui dignitatem excellentiamque almi Eucharistiae Sacramenti ad sidera extollunt, rem optimam faciunt, Deo indubie acceptissimam, hominibus maximopere salutarem. Sed exinde in-

ferre, linteolis aut tabellis candido lino coopertis vel mappis mundis ac nitidis, quae communicantium ori supponi solent, substituendos esse discos vel tabellas metallicas, lucidas etsi et perpolitas, sive quadrangularis sive ovalis formae, atque etiam inauratas, in quibus facile conspici possint fragmenta et detergi, si quae in ministranda fidelibus Eucharistia ex sacris Particulis decidant, ne pereant et profanationi exponantur, rem faciunt inutilem, arbitrariam legem effingunt, impossibile excogitant, dum bona licet fide laqueum, ob scrupulos, conscientiis iniiciunt, quod experientia comprobat.

7. Cavendum profecto, ne inani melioris boni desiderio, quod obtineri nequit, simplices decipiantur: quod vix concipi potest in casu nostro non evenire. Pone enim, melius esse uti disco metallico, quam linteolo, quod nihilominus a priori et a posteriori falsum est, quid facilius inferre, minus sapienter hoc in negotio se gessisse Ecclesiam? Hoc autem, ad rem nostram maxime quod attinet, idem fere esset ac blasphemare. Eoque magis, quia ab usu linteoli Ecclesia non vult recedere. Quin imo, si circa discum rogata respondere tantum censuit: *Non esse interloquendum; nihilominus significetur*, addidit, *per Epistolam Re.mo D. Episcopo Alexandriae, non esse improbandum usum tobalearum linearum*. (16 Mart. 1876).

8. Animadvertas interim velim, de disco purificando a Celebrante post communionem saltem infra Missam, nihil esse petitum, nec proinde ullum de hoc responsum datum. Scimus quidem alicubi esse praescriptum a locali auctoritate: « Finita communione, Sacerdos ipse illum (*discum*) deferat ad altare, et digito colligat fragmenta super calicem, vel pyxidem ». Verum, cum de re agatur liturgica, quam poterant quidem praescribere vel saltem commendare Rubricae, et nihilominus plane tacuerint, cumque eiusmodi consuetudo, sapientissimis de causis, nunquam in Ecclesia viguerit, imo opposita prorsus invaluerit, putasne praefatam praescriptionem merito posse dici ac de facto esse ordinationem rationis? Lectores iudicent; quod si illi iudicium faveat, ad minus optandum foret ut omnes Sacerdotes eiusmodi vi stomachi ex firmitate se muniant, quod praescriptum adimplere valeant.

9. Neque incommoda vitantur, si dicta fragmenta immittantur in pyxidem, sed potius augentur. Elementa namque omnino extranea necessario una simul cum sacris speciebus se immiscebunt, adhaerebunt hostiis, quae fidelium communioni inserviunt, illorum quoque participes Celebrantes fient, dum pyxidem purificant. Quid ni et ipsae sacrae species viam corruptionis facilius ingredientur?

10. Ultimum, quod inferendum consectarium credimus, sequens duplex est. Ecclesiae quae liturgicae adhaerentes legi, linteolum servant, fideliter retineant, et novitatem disci metallici a longe et infestis oculis aspiciant. Quae vero Ecclesiae in errorem, innocenter quidem, inductae novitatem amplexatae fuerunt, rem optimam facerent, almo Eucaristiae Sacramento honorabilem, Ecclesiae gratissimam, Presbyteris et fidelibus utilissimam si, novitate disci metallici reiecta, ad linteoli legem usumque redirent. Haec nostra sentiendi ratio, quam competenti Auctoritati subiicimus.

QUAESTIO SOLVENDA

pro mense Septembri

In expositione et repositione SSmi, extra omnem processionem, licet ne ut Diaconus Sacerdoti *stanti* Ostensorium praebeat pro benedictione, ab eoque *stans* post illam recipiat? Item licet ne eodem in casu, ut Diaconus Ostensorium praebeat Sacerdoti *genuflexo*, a quo etiam *genuflexus* recipiat? Denique qui exponit et deponit SSmum potest ne Ostensorium praebere Sacerdoti, ut supra, ab eoque recipere?

APPENDIX.

DE PAROCHORUM IURIBUS IN SEPULTURA CADAVERUM

QUAESTIUNCULA

In quadam civitate plures sunt paroeciae, ex quibus unaquaeque proprium coemeterium possidet. Caius unius paroeciae moritur in dicta civitate; et, vel ex sua vel ex suorum voluntate, sepeliendus est in Coemeterio alterius paroeciae, licet funus in sua paroecia de more agatur. Quaeritur:

I. Parochus defuncti gaudet ne iure deferendi ad coemeterium alterius paroeciae defunctum suum, eumque ibidem sepeliendi, ne parocho quidem monito, ad quem pertinet coemeterium? An potius parochus coemeterii, ius habet excipiendi cadaver ad ianuam coemeterii, cotta et stola indutus, quin defuncti parochus coemeterium ingrediatur?

II. Competit ne parocho coemeterii quarta funeraria?

III. Quid, si defunctus iure tumulationis in dicto coemeterio gaudeat?

SOLUTIO.

Ad I. Solutioni exhibendae aliqua ex certo iure praemittere necesarium iudicamus.

1. Sepultura, prouti locus depositionis cadaverum, est locus benedictus, in quo fidelium pie decedentium corpora sepeliuntur; et coemeterium dicitur, seu sacer dormitionis locus. Hic locus erat antiquitus, vel atrium vel porticus vel exedra Ecclesiae, si ab Episcopis abstrahas aliisque dignioribus presbyteris, uti etiam a laicis virtute praestantibus, qui sepeliebantur in ipsis Ecclesiis. Successu temporis mos invaluit fideles sepeliendi in Ecclesiis. Impraesenti vero contraria inducta iam est consuetudo: ut fideles omnes, ne presbyteris ipsis, dignioribus licet, exceptis, in coemeteriis humentur.

2. Res est indubia, ius inesse parochis faciendi exequias suorum decedentium parochianorum, modo sine electione sepulturae obierint, vel sepulchrum maiorum non possideant. Hinc funus deducere, officium defunctorum canere, Missas, absolutionem ac sepulturae officium agere; ad ipsumque coemeterium cadaver deferre, nisi aliud ex consuetudine praescribatur, ad parochum relativum pertinet.

3. Cadaveris asssociatio ad parochum spectat, quamvis ad alienam Ecclesiam pro funere illud deferendum, atque ibidem sepeliendum esset. Quod nihilominus ita debet intelligi, ut e loco obitus ad usque Ecclesiae tumulantis ianuam officia omnia spectent ad parochum defuncti, qui, cadavere veluti tradito alterius Ecclesiae rectori, iura omnia amittit, et reliquia officia alteri parocho cedere, ipse vero recedere debet. Haec omnia sive ex antiquo sive ex praesenti confirmato iure certo constant, peculiariter ex Decr. Gen. S. R. Congñis 13 Apr. 1895 adhuc inedito.

4. His praemissis, haud difficilis videtur ad primam petitionem responsio. Equidem quaestiuncula nostra aliquid specialis praeserfet; quia non agitur de duabus Ecclesiis, sed de una Ecclesia, in qua exequiae de more peraguntur a parocho defuncti, et de coemeterio, quod cum sit alterius paroeciae, neque ad parochum pertinet, neque ad defunctum, qui nihilominus illud elegit, seu in illo suam elegit sepulturam. (1) At animadvertas velim primo, ex pluribus S. Congñis Concilii Decretis constat (*Aesinat. Iur. funer. 26 Ian. 1864: Tipheren. 16 Febr. 1867*) per publica coemeteria non auferri iura Ecclesiarum, sed tantum mutatum esse locum, in quo Ecclesiae iure suo utuntur: ita ut, quo iure antea fruebantur, in propriis sepulcris, eodem nunc utantur in coemeteriis publicis. Animadvertas secundo, neminem ex fidelibus, nisi a iure prohibeatur (quod non comprobatur in casu), potestate privari sibi sepulturam eligendi. Hinc evidenter sequitur, parocho ius inesse deferendi cadaver parochiani sui ad coemeterium alterius parociae, sicut ius eidem fuisset illud deferendi ad alienam Ecclesiam, si in ea tumulari voluisset defunctus, uti antiquitus fiebat. Aliunde nemo potest conqueri, in eo defunctum elegisse sibi sepulturam, quippe qui, ut diximus, id iuris habebat

Verum petitio ulterius quaerit, num iure gaudeat parochus defuncti, non solum deferendi cadaver ad coemeterium, sed et illud in eo sepeliendi, ne parocho quidem coemeterii monito: quid ad haec? Reponimus, nos dixisse, ius inesse parocho defuncti deferendi cadaver ad coemeterium alterius paroeciae, sicuti ius ei fuisset illud ad alienam Ecclesiam de-

(1) Quilibet a iure non impeditus potest sibi eligere sepulturam in qualibet Ecclesia ad id ius habente, et a fortiori in coemeterio. Defunctus vero non potest sepeliri in sepultura, quam non ipsemet vivens, sed eius consanguinei vel haeredes pro eo defuncto elegerunt. Constat ex pluribus resolutionibus S. C. Concilii: quod generice loquendo omnino certum est.

ferendi. Sed ex antea praemissis ita intelligendum certo est, ut quando defunctus in Ecclesia non sua tumulandus est, possit quidem defuncti parochus illius cadaver ad illam deducere, sed eam ingredi nequeat, debeatque proinde ad ianuam consistere, ibique cadavere quasi alteri parocho tradito, seu cadaveri vale dicto, hoc est illo asperso, omnia iura amittere, quae transeunt in tumulantis Ecclesiae rectorem. Atqui, quod de Ecclesia dicitur, uti iam notavimus, et de coemeterio dicendum est; ergo cum parochus defuncti coemeterium alterius paroeciae ingredi nequeat, multo minus poterit defunctum suum in eo tumulare, sive parocho, ad quem coemeterium pertinet, monito, sive non.

Et sane, si coemeterium illud ad parochum defuncti non pertinet, manifesta est laesio iuris in alio, ad quem pertinet parocho. Coemeterium namque uti territorium proprium considerandum est, in quo ius nullum possidet parochus alterius Ecclesiae, qui ius suum sicut exercere potest in coemeterio paroeciae suae, ita ius, quo caret, exercere nequit in coemeterio paroeciae alterius. Neque obiicias, coemeterium illud pertinere ad defunctum parochi, eo quod in illo sepulturam sibi elegit; ergo et ad parochum pertinet, cuius est defunctus. Quia ius concedit, ut quis in aliena paroecia, consequenter et in alieno coemeterio, eligat sibi sepulcrum; sed prohibet parocho, uti tali, alienam Ecclesiam, proindeque et alienum coemeterium ingredi, licet in illo defunctus eius sit tumulandus. Eapropter ius defuncti servandum est, sed pietatis officia per parochum coemeterii adimpleri possunt et debent, non per alterius coemeterii parochum contra ius. Itaque concludimus: Parochus defuncti iure gaudet deferendi defunctum suum usque ad ianuam coemeterii, ad quam vale dicto cadaveri, omnia iura amittit, adeo ut cadaver ab alio, hoc est a parocho coemeterii excipiendum sit, qui consuetis adhibitis pietatis officiis, illud sepelire debet.

De cotta et stola qua indutus esse debet parochus cadaver excipiens, tacuimus; sed nullum dubium, quin deferri ea possit et debeat a dicto parocho. Namque est insigne officii sui, quod sicut exerceret in Ecclesia sua, ita exercet in suo coemeterio. Quod si stolam considerare velis, uti signum iurisdictionis, sicut nonnulli volunt, iure quoque induitur, cum parochus coemeterii in loco sit iurisdictionis suae. Sed, quod magis praestat, parochus in casu, licet benedicere sepulturam non debeat, totus enim locus iure supponitur benedictus; nihilominus antiphonam, cum ad sepulcrum pervenerit, intonare debet « Ego sum », cantare cum aliis canticum

Benedictus, antiphonam incoeptam repetere integram, *Kyrie*, orationem dominicam intonare, et ultima verba concinere, inde corpus, aspergere etc. quae omnia, uti notum est, cottam et stolam exigunt in casu, iuxta Rituale. Brevi, his sacris vestibus parochus indutus esse debet in casu dum cadaver excipit, sicut iisdem foret indutus, si cadaver non suum excipere deberet ad ianuam Ecclesiae suae.

Omnia hucusque dicta confirmantur etiam aliquo exemplo, quod Roma suppetit in coemeterio teutonico, ad quod non raro deferuntur, post exequias in parochiali Ecclesia peractas, cadavera quorumdam fidelium e Austria oriundorum. Tunc enim parochus defuncti deducit cadaver ad praefatum coemeterium, ad cuius ianuam reperitur Cappellanus cotta et stola indutus, qui cadaver excipit a parocho. Hic autem, quin ingrediatur, cadaver aspergit et recedit: vel si ingreditur, uti aliquando accidit, simpliciter assistit, sine tamen stola, utpote in loco alteri, non sibi, subiecto.

Ad II. Aliqua et hic opportune praemittimus. 1. Quarta funeraria est portio canonica eorum omnium, quae occasione funeris lucratur alia Ecclesia, in qua fidelis sepelitur, uti ex iure constat. Ex hoc sequeretur, emolumenta ab heredibus defuncti in casu danda esse parocho coemeterii, et ab eo portionem ex iis canonicam tribuendam esse defuncti parocho. Sed hoc consequens falsum est in casu; quia ius supponit Ecclesiam tumulantem esse illam, in qua exequiae peraguntur, quod in casu non comprobatur; sed de hoc mox dicemus.

2. Communiter quarta funeraria ita appellatur, quia est quarta omnium emolumentorum portio. Sed varietas habetur in sacris canonibus circa dictam portionem, adeo ut aliquando ex iure consuetudinis esse possit tertia pars, atque etiam media (*Cap. Nos instituta. 1*). Cum cetero nihil est statutum, ius commune possidet, vi cuius dicta Quarta semper est quarta emolumentorum pars (*Cap. Cum super. 8, de sepult.*).

3. Ecclesia quae habet ius sepulturae, eo ipso ius habet perficiendi funera, consequenter et emolumenta percipiendi. Sed vero quando testator disponit, ut in altera Ecclesia peragatur funus, in altera sepeliatur, negotium procedit viceversa: videlicet, ius percipiendi emolumenta non pertinet ad Ecclesiam tumulantem, sed ad aliam, quae ius habet funerum perficiendorum (*Moulart, de sepultura cap. 3, art 2, § 1, fol. 240*). Ratio videtur esse, quia magis est funus agere, quam simpliciter tumulare: unde funere et sepultura ex voluntate testatoris divisis, ius praecipuum non in tumulante, sed in Ecclesia quae funus agit, de iure manet.

4. Quibus praemissis, ad propositum alterum quaesitum respondemus affirmative. Primo quidem, quia si in una Ecclesia tumularetur cadaver, dum in alia exequiae fieri deberent, ad illam certe quarta funeris competeret. Atqui, ut superius vidimus, quod de Ecclesia dicitur, pari ratione de coemeterio praedicandum est; ergo sicut parocho tumulantis Ecclesiae competeret quarta funeris, ita in casu eam competere tenendum est parocho coemeterii, io quo cadaver sepelitur. Secundo quia ius inest parocho coemeterii excipiendi cadaver, et plura pietatis officia super eo paragendi, illudque sepeliendi. Atqui ea omnia aliquid exigunt retributionis; ergo ei de iure quarta funeralis competit. Tertio, quia id statutum legimus in casu prorsus simili, ne identicum dicamus, sive a S. Congñe Rituum, sive a S. C. Concilii. Decretum est in una *Sutrina et Nepesina* d. d. 7 Dec. 1844, et agebatur de Anna Graziani Patrizi e Burgo Sancti Sepulchri, pro qua dispositio aderat testamentaria, ut exequiae fierent in Collegiata Ecclesia Roncilionis, tumulatio vero haberetur in Ecclesia Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum eiusdem loci. Capitulum Collegiatae exequias peregit, et postea ad valvas Ecclesiae Capuccinorum deduxit cadaver, qui servatis servandis illud tumularunt. Quartam funeris deinde quaesierunt Patres, quam dare parochus et canonici renuebant. Delato negotio ad S. Gongñem Rituum, haec Episcopo imposuit, ut controversiam componeret, adigeretque *Capitulum ad praestandum Alumnis Capuccinis quod illis deberetur a iure statutum.* At, Capitulo obtemperare renuente voluntati Sacri Tribunalis Rituum, PP. Capuccini recursum habuerunt ad S. Congñem Concilii, quae necessariis acceptis informationibus ad primum Tribunal omnia trasmisit, ut controversiam dirimeret. Hoc autem, omnibus mature perpensis, et peculiariter distinctione reiecta inter sepulchrum stabile seu gentilitium, et ex testamentaria dispositione electum, utpote nullibi in iure reperta, quam tamen Capitulum pro se allegabat, unanimi sensu rescribendum censuit: « Iuxta alias decreta in casu praestandam esse Quartam funerariam Ecclesiae tumulanti (*14 Iun. 1845*). » Iam nunc pone quod ex iure pluries diximus, idem quod de Ecclesia praedicandum de coemeterio, et manifeste non tantum similem, sed identicum casum habebis. Ergo et in casu nostro debetur quarta funeris parocho Ecclesiae, seu coemeterii tumulantis.

Ad III. Nil immutandum credimus de hucusque dictis, etsi defunctus iure tumulationis in dicto coemeterio gaudeat. Sepultura enim esse potest, vel propria, vel communis, vel

electiva. Propria esset in casu, si Titius in praefato coemeterio illam sibi condidisset, vel si ea pertineret ad suos maiores, seu si esset gentilitia. Communis esse non potest in casu, quia coemeterium ad Titium nulla ratione pertinet, quod ipse alterius sit paroeciae, quae proprio coemeterio gaudet, et in quo sepeliri noluit. Electiva est in casu, quippe quae a Titio electa. Tunc autem ius haberet tumulationis Titius in illo coemeterio, si vel sepulturam ibi condidisset pro se, vel iam a suis maioribus fuisset condita. Verum, etsi hoc ultimum admitti velit, haud ob id utriusque parochi iura mutantur. Posita namque sepulturae electione, indubium est, Titium ad tumulationem in eo coemeterio acquisivisse: quod ius vel idem esset vel maius, quam si de sepultura ageretur propria. At hoc ius, undecumque proveniat, nulla vi pollet iura parochorum immutandi. Lex enim parochorum ius respiciens, non spectat naturam aut originem iuris defunctorum in eorum tumulatione: adeo ut, sive tumulatio proveniat ex electione sive ex proprietate sepulturae, eadem illorum iura remaneant. Sed lex praefata, ius sepulturae supponens, intendit tantum decernere quid defuncti parochus, quid parochus Ecclesiae seu coemeterii tumulantis possit, quid non possit. Habeat ergo defunctus ius ad sepulturam in coemeterio tamquam electivam, habeat ius ad illam tamquam propriam, idem semper est; et parochus defuncti ingredi coemeterium uti parochus nequit, et parochus coemeterii ius habet omnia pietatis officia super defuncto peragendi in eodem coemeterio, quod suum est.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.

—

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta *Patriarch. Antioch., Vicesgerens.*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph, in Vico a S. Prisca, 8. (*in Col. Aventin*).

MONITUM.

Necessarium ducimus monere Ven. nostros Consociatos, qui rationibus Administrationis Ephemeridum nondum consuluerunt, ut id quamprimum adimpleant. — Item si quid habent unde conquerantur, omnimoda quam possident libertate id agant apud praefatam Administrationem, quae officii sui ducet, ut omnibus faciat satis.

ADMINISTRATIO.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE
SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI.

VIII.

Benedictus XIV, quo Indulgentiam plenariam in festo S. Aloisii Gonzaga iam a Praedecessoribus suis Benedicto XIII et Clemente XII concessam, facilius et frequentius fideles lucrifacerent, indulsit, ut Ordinarii locorum statuere possent celebrationem festi divi Aloisii, cum officio et Missa, alia die a 21 Iunii, ubicumque festum ipsum cum solemnitate, populi concursu ac Sacramentorum frequentia celebretur, etsi agatur de pluribus Ecclesiis unius et eiusdem non magnae civitatis. Itaque in oppido B. tres sunt Ecclesiae, quae sub ritu dup. 1. classis praefatum festum celebrant. In Ecclesia principali loci et Collegiata recolitur sua die 21 Iunii: in Ecclesia S. Petri apud collegium Societatis Iesu, Dominica 2 Iulii: in Ecclesia autem cuiusdam Confraternitatis, cui clerum proprium non habenti Sacerdos inservit a matrice missus, et

in qua dominicis diebus pueri scholarum loci congregantur, in Dominica celebratur, quae proximius antecedit diem 21 Iunii. Florentius recens dicti oppidi Parochus, has inveniens consuetudines, nec satis probatas iudicans, sequentia dubia Academiae nostrae resolvenda proponit:

1. *Quinam genuinus sit sensus Decreti Benedicti XIV, circa celebrationem festivitatis divi Aloisii, et qua de causa tam singulare concessum fuerit privilegium?*

2. *Utrum in casu Patres Societatis Iesu celebrare valeant festum S. Aloisii cum Officio et Missa ritu dup. 1. cl. cum octava? Et quale tunc recitare debeant Officium die 21 Iunii?*

3. *Quomodo in Ecclesia Confraternitatis, de qua in casu, celebrari debeat dictum festum S. Aloisii? An videlicet etiam cum Officio, an cum sola Missa solemni, an etiam cum omnibus privatis?*

4. *Quid de anticipatione dicti festi in Dominica praecedenti, ut in casu?*

SOLUTIO

Ex dissertatione R. D. Petri Fumasoni-Biondi Pont. Sem. Rom. Alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam die 17 Martii 1897; acta Epitoma per R.mum D. Orestem Can. Borgia.

I. Singulare prorsus privilegium, sicuti ex casus expositione manifestum fit, voluit S. M. Benedictus XIV. solemnitati gloriosissimi S. Aloisii tribuere. Iam

antea F. R. Benedictus XIII, anno 1725, qui eiusdem Canonizationem proxime praecessit, illum caelestem, omnium scholarum, quas Patres Societatis Iesu moderabantur Patronum proclamaverat, quod postea, anno nempe 1729, omnibus Universitatibus, Gymnasiis et Collegiis extendit, adiecta facultate recitandi die 21 Iunii Officium et Missam dicti Sancti sub ritu dupl. min., cum adnexa plenaria Indulgentia, ab iis lucranda, qui praefata die Altare eiusdem Sancti visitaverint, de cetero consuetis conditionibus impletis. Clemens vero fel. mem. XII, non modo quae ab antecessore concessa fuere, confirmitavit, sed anno 1737 divum Aloisium declarans praecipuum Patronum omnium scholarum, in praefatis Universitatibus, Gymnasiis et Collegiis, eiusdem Sancti solemnitatem ad ritum dupl. 1. clas. cum octava elevavit. Tandem magnus Benedictus XIV, cuius pietas in nostrum Sanctum Iuvenem fuit insignis, amplissimo privilegio decoratam voluit ipsius solemnitatem. Die igitur 12 Aprilis anni 1742 Decretum expediri iussit, de cuius intelligentia praesens habetur disquisitio. Non abs re erit integrum illud prae oculis habere ut verborum genuinus sensus arripiatur ac quaestionibus in casu propositis fiat satis. Ita in authentica collectione (Ratisbonae, 1885 p. 100 n. 133) reperitur: «Cum ex Decretis fel mem. Benedicti PP. XIII, 22 Novembris 1729 et Clementis PP. XII, 21 Novembris 1737 concessa et confirmata in perpetuum reperiatur Indulgentia plenaria universis utriusque sexus Christifidelibus rite visitantibus Ecclesiam sive altare ubicumque festum S. Aloisii Gonzaga fieri contigerit; festum autem huiusmodi ob eximiam et universalem erga Sanctum miraculorum fama ubique illustrem populorum

devotione, saepenumero in unius et eiusdem, etiam non magnae Civitatis, quampluribus Ecclesiis et aliis locis Sacris, magna cum solemnitate, ac populi concursu, et Sacramentorum frequentia celebretur. atque adeo commode non possit ubique uno eodemque anniversario eius die 21 Iunii, sed pluribus dumtaxat et quidem successive diebus celebrari; Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV memoratam Indulgentiam benigne ampliandam censuit, ad diem pro dictis festis cum Officio et Missa de Sancto in singulis locis eiusmodi ab Ordinariis eorumdem opportune designandam. Cumque per eadem Decreta eumdem Sanctum Benedictus idem constituerit, idemque Clemens confirmaverit in omnibus et singulis Universitatibus, Gymnasiis, aut Collegiis generalium vel non generalium studiorum Societatis Iesu Patronum Principalem ideoque Officio et Missa, sub ritu duplici primae Classis cum Octava iuxta Brevarii Romani Rubricas honorandum, Sanctitas Sua eumdem ritum in reliquis etiam eiusdem Societatis domibus (quae admodum paucae sunt), uniformitatis gratia servari mandavit. Hac die 12 Aprilis 1742 ».

Uti patet, concessio fuit amplissima, at nunc quaeritur quomodo interpretanda, ad effectum Officii et Missae ordinandi? Summus Pontifex in Decreto de quo fit quaestio, postquam animadverterit valde incommode nisi et impossibiliter S. Aloisii festum eodem die celebrari in duabus aut pluribus Ecclesiis etiam parvae civitatis et maxima populi devotione ac frequentia, apertis verbis, ut videtur, facultatem tribuit Ordinariis in singulis eorumdem Dioecesum locis ubi S. Aloisii festivitas publice diversis in Ecclesiis seu in pri-

vatis scholarum, collegiorum, etc. Oratoriis celebratur, designandi diem ad huiusmodi festivitatem celebrandam. Hac die sic designata facultatem quoque concedit recitandi Missam et Officium dicti Sancti, tamquam si esset dies propria, cum extensione plenariae Indulgentiae iam a Benedicto XIII concessae, et a Clemente XII confirmatae pro die natalitia Angelici iuvenis.

Hanc facultatem reducere profecto nequimus ad simplex translationis privilegium, neque ad proprie dictam assignationem, sed potius ad sui generis diei designationem, ab Ordinariis locorum faciendam pro unaquaque Ecclesia, Collegio, Gymnasio etc. Et sane non agitur de *translatione*, haec enim est accidentalis remotio festi seu potius officii a sua die, ab officio potiori causata, ob quam officium impeditum aliam sedem liberam post diem suam petere debet; in nostro tamen casu ratio impedimenti alia est, nempe quod « festum.... *commode* non possit ubique uno eodemque anniversario eius die 21 Iunii, sed pluribus dumtaxat et quidem successive diebus celebrari » ob populi concursum et Sacramentorum frequentiam, quae ratio liturgice nihil prodesset in casu. Nec praecipitur tantummodo post diem 21 Iunii celebrandum, quia Ordinariorum arbitrio relinquitur diei electio; haec autem non est privata nostra interpretatio sed ipsiusmet S. Congregationis Indulgentiarum, quae sic Decretum interpretatur ut quocumque anni die Ordinario sit potestas solemnitatem permittendi. Ita sane invenitur in authentica « Raccolta di Orazioni e pie opere, per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le Ss. Indulgenze »: *Questa festa può celebrarsi con licenza dell'Ordinario* **in qualunque giorno**

fra l'anno, *in qualunque luogo ed in qualunque altare.* Huius autem declarationis auctoritas apertis verbis Decreto initio libri posito declaratur: « Hinc etiam ad decidenda dubia, quae forte de sensu concessionis aut de conditionibus lucrandarum Indulgentiarum oriantur eamdem hanc Syllogem normae instar esse debere Sanctitas sua mandavit (Die 24 Maii 1886) ». Neque, si Decretum recte interpretetur, illud verbum *successive* ita accipiendum est ut intelligatur translatio sic facienda, ut successive, nempe post diem 21 Iunii celebretur, sed sensus est, ut in unaquaque Ecclesia vel alio loco, non uno die, sed diversis diebus qui sibi invicem succedant celebrari possit.

Insuper non agitur de *assignatione*, quod ideam includit sedis semel pro semper ab Ordinario electae et perpetuo designatae; hoc nobis satis videtur declarari per verba Decreti **opportune** *designandam*, nempe ut libertas detur singulis *Ecclesiis et aliis locis Sacris* dictum festum *successive* celebrandi, prout singulis annis necessitas seu *commoditas* (V. Decretum) postulat. Id ceterum, ut nobis videtur, ex ipsa rei natura consequitur. Certum est unam ex rationibus, ob quas haec fucultas concessa fuit, eam esse, ut provideatur maiori facilitati et commoditati fidelium, et praecipue iuvenum, quorum Patronus est S. Aloisius, illius Altaria visitandi, Sacramentis participandi et plenariae Indulgentiae lucrandi. Nunc dies aliquis, quodam tempore opportunus et sicut talis ab Episcopo assignatus ad bonum alicuius Ecclesiae, Universitatis, Collegii, Congregationis potest facillime, progressu temporis et mutatis circumstantiis inopportunus fieri. Hoc in casu, num Episcopus, cui data est facultas iudicandi de opportu-

nitate diei, ad festum Angelici iuvenis celebrandum in una vel alia Dioecesis Ecclesia, non poterit alium diem alias magis aptum seligere? Utique sane, si discrepantiam quis intueatur vere existentem inter huiusmodi designationem omnino facultativam, et assignationem, quae ex iure liturgico fit obligatoria cum primum facta fuerit. Hinc novimus et aliam differentiam, quae inter nostrum casum et perpetuam assignationem intercedit: in hac festum quoddam perpetuo impeditum, de regula generali affigi debet primae diei non impeditae, nisi quaedam conveniens ratio secus agendum suadeat. At contra, in casu nostro, cum Ordinarii sit diem statuere, secundum quod magis iudicat opportunum pro una vel pluribus Ecclesiis in quibus solemniter festum S. Aloisii celebretur, restat ut in sua sit facultate quam ipse vult determinare.

Verum, cum nostra praecipue aetate plura ortum habuissent dubia circa praecitati Decreti applicationem, eo quod, ut diximus, non agitur de translatione ex impedimento liturgico ortum habente, et consequenter ignoretur quibusnam diebus possit permitti, scilicet an qui impediti sunt ritu aequali, an superiori, maxime vero quia in illo de ritu ampliando non est sermo (de eo enim sub duplici I. classis cum octava celebrando verba fiunt, tantum pro Institutis Societatis Iesu et pro ceteris eiusdem Societatis domibus) ac proinde post Rubricarum reformationem non amplius ius transtationis per se possideat, a S. Rituum Congregatione petita fuit super hac re declaratio. Haec porro S. C. rem iuxta hodiernam praxim composuit nihil detrahens festo, quod cum Officio et Missa cum Ecclesia universa die 21 Iunii celebrari debebit iuxta Ru-

bricas, liberae electioni diei pro exteriori et extraliturgico festo cuiusque loci nihil opponens, de Missis tantum in festivitatibus praefatis celebrandis ex Ordinarii dispositione normas praebet prout infra videbimus.

At semper dubium remanet quoad Officium, quia in Decreto S. Congregationis Indulgentiarum dicitur de festo cum *Officio et Missa* celebrando, in altero autem S. Rituum Congregationis de *Missis* tantum sermo est celebrandis, alio officio occurrente. Quomodo ergo res componitur? Difficilis profecto evadit responsio. Fortasse ante S. R. C. Decretum, Ordinarius poterat considerare festum illud tamquam non habens sedem fixam sed opportune designabilem, ita ut iuxta ritus diversitatem considerari potuisset tamquam occurrens, atque ita si non esset nisi ritus duplicis minoris, non impediretur praefatum *Officium et Missa* nisi ab Officiis superioris ritus; si alicubi potitum fuisset elatiori ritu, pariter non impediretur nisi potiori, aut si 1^{ae} Classis, nisi solemniori universalis Ecclesiae. Sed. quidquid sit de praeterito, in praesens festum liturgicum semper haberi debet sua die nempe 21 Iunii, festum autem exterius seu ex devotione quacumque die, iuxta normas a S. R. Congregatione traditas, quae hoc in Decreto, quod integrum referimus continentur:

« Dubium. — Per decretum S. C. Indulg. die 22 (12) Aprilis 1742 editum et in Actis S. Rituum Congregationis exhibitum die 29 Ianuarii 1746 ubicumque Festum S. Aloisii Gonzagae Conf. cum solemnitate fieri contigerit, dies pro eodem Festo in singulis Ecclesiis et Oratoriis, a Rm̃is locorum Ordinariis opportune designanda permittitur, cum extensione ad praedictam diem

indulgentiae plenariae a Christifidelibus in forma Ecclesiae consueta lucrandae, et Officii et Missae propriae de ipso Angelico Iuvene a clero peragendae. Hinc a nonnullis ecclesiasticis Curiis postulatum fuit: « Utrum, iuxta praxim Sacrae Rituum Congregationis, omnes Missae propriae de Sancto Aloisio celebrari valeant qualibet die a Rmis Ordinariis, ut in casu, designata? » Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, reque mature perpensa, rescribendum censuit: *Affirmative*; dummodo, non occurrant Duplex primae classis et Dominica privilegiata item primae classis quoad Missam solemnem; et etiam Duplex secundae classis, nec non Dominicae, Feriae, Vigiliae, Octavaeque privilegiatae quoad Missas lectas; neque omittatur Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit onus, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 27 Iunii 1896 ».

Concludimus ergo genuinum sensum Decreti S. Congregationis Indulgentiarum, *saltem impraesenti*, esse quod liceat de Ordinariorum placito in quolibet loco, in qualibet Ecclesia, in quolibet Oratorio seu Altari, festivitatem divi Aloisii cum solemnitate celebrari *quocumque anni die*, etiam antecedente festum natale universalis Ecclesiae diei 21 Iunii, hac ratione: diebus non impeditis Officio duplici 1ae classis vel Dominica item, 1ae classis celebrabitur tantummodo Missa de S. Aloisio solemniter, seu cum cantu; diebus vero non impeditis Officio duplici 2. classis nec non Dominica, feria, Vigilia vel octava privilegiata, etiam Missae privatae, salvis iuribus Missae Conventualis et Parochialis. Quoad vero Officium, dicendum illud locum

habere tantummodo iuxta Rubricas, ita ut si translationi vel assignationi liturgicae datur locus, bene fiat, secus nequaquam; nisi pro Officio intelligi velit eius votiva recitatio, absque praeiudicio recitationis praeceptivae currentis Officii.

Quibus vero de causis hoc singulare privilegium concessum fuerit nunc inspiciamus. Satis sit innuere maximam devotionem fidelium ac praecipue iuvenum erga Angelicum Aloisium, iam usque a primis post eius beatam mortem annis, cum, intuiti in illo perfectum exemplar tam in principum aulis, quam in scholis et in claustris, eius potentissimum experti fuerint patrocinium. Longe lateque ergo fama eius sanctitatis diffusa nec non miraculorum quae operabatur, accidit ut ipsius festum praecipue post concessam plenariam Indulgentiam a Benedicto Pp. XIII celebrari incoeperit etiam parvis civitatibus pluribus in Ecclesiis, ac ubique terrarum, frequentia maxima ac mirabili populi concursu ad salutaria Confessionis et Communionis Sacramenta. Unde optime egit Sapientissimus Pontifex Benedictus XIII, qui ad pietatem fidelium fovendam et praecipue adolescentium, opportunum duxit concedere, quod festum S. Aloisii celebrari possit diversis diebus, pluribus in locis etiam parvae civitatis. His diebus sive divinorum Officiorum de Sancto celebratione, sive plenariae Indulgentiae magno quaestu, fideles commodius et ferventius propriae devotioni fecissent satis, ac spiritualibus carismatibus repleti fuissent, quae Pontificis erant in votis, cum amplissimam concessionem largiebatur.

II. Quaeritur secundo loco, an in Ecclesia S. Petri, oppidi B. Patres Societatis Iesu celebrare valeant,

Dominica 2. Iulii, festum S. Aloisii cum Officio et Missa sub ritu duplici 1. classis cum Octava; et quale tunc recitare debeant Officium die 21 Iunii? Respondemus ad primam partem praenotantes, hoc etiam, quod nempe Summus Pontifex Benedictus XIII concesserit, et Clemens XII confirmaverit in omnibus Universitatibus, Gymnasiis aut Collegiis studiorum Societatis Iesu Sanctum Aloisium Patronum principalem cum iuribus, quae Patronis principalibus Regnorum et Civitatum tantummodo ex iure competunt, scilicet gaudendi ritu duplici 1^{ae} classis cum octava, hoc etiam, inquam non evenire nisi ex speciali privilegio, quo praefati Summi Pontifices dictum Patronum ditare voluere, quod item privilegium Benedictus XIV non modo confirmavit, sed ad reliquas etiam eiusdem Societatis Iesu domus uniformitatis gratia extendit. Ex hoc consequitur nullum haberi posse dubium circa celebrationem festi S. Aloisii cum Officio et Missa ritus duplicis 1^{ae} classis cum Octava. Quaestio tamen esse potest circa illius designationem. Et sane ex una parte Decretum S. C. Indulgentiarum quoad Societatem Iesu et eiusdem instituta nil addit, ad ea quae generatim ante sunt dicta pro diei designatione, ex altera vero parte Decretum S. Rituum Congñis non distinguit inter instituta praefata et alias Ecclesias, ex quo consequi autumamus non secus de illis dicendum ac de istis. Unde ad secundam, quaesitus partem respondendum remanet, etiam patres Societatis Iesu celebrare debere officium et Missam de festo S. Aloisii die 21 Iunii, cum hac tantum differentia, quod illud celebrabunt sub ritu duplici 1^{ae} classis cum Octava. Dominica vero secunda Iulii festum

dumtaxat exterius celebrare poterunt iuxta Decretum S. R. Congregationis cum Missa tantum solemni si occurrat duplex 1ae classis, cum Missis etiam privatis si occurrat duplex maius seu inferius.

III. Inquiritur demum qua ratione celebrandum S. Aloisii festum in Ecclesia Confraternitatis, quae clerum proprium non habet et in qua singulis Dominicis congregantur pueri scholarum. Hic quoque Congregatio cum Sacerdote assignato et a Matrice misso, festum S. Aloisii cum pompa et publice celebrare cupit. Cum vero in Ecclesia loci principe die 21 Iunii habeatur, Ordinarius ipsi concedit, ut alia die institui valeat, quae prout dicitur in casu, est Dominica diem 21 Iunii praecedens. Qui de hoc? Iam vidimus, et satis probatum censemus, ex Indulto Benedicti XIV, authentice ab ipsa S. Congregatione Indulgentiarum interpretato, nec non a S. Rituum Congregatione implicite approbato, legitime designari posse ab Ordinario quicumque dies anni, seu praecedens, seu subsequens natalitium festum, ad solemnitatem habendam.

A nonnullis obiicitur, quod habetur in Vita S. Aloisii a cl. P. Nannerini conscripta, Benedictum nempe XIV eundem illum, qui Indultum iam relatum concesserat, precibus obtemperasse nonnullorum, qui festum S. Aloisii celebrare exoptabant feria V. post Sexagesimam, quod profecto non fecisset, si vi praefati generalis Indulti intellixisset iam concessum. Ast huiusmodi obiectionem reiicimus his de rationibus: primo, quia nobis non constat an hoc peculiare Indultum aliud generale praecesserit; secundo, quia optime imo a fortiori Summus Pontifex facere poterat, quod praestandum esset ab Ordinariis; si er-

go Ordinario unius Dioecesis ius factum fuit diem quamcumque designandi, Summus Pontifex iure suo universali usus est, pro pluribus, a quibus requisitus fuerat, locis.

Tandem quaeritur an etiam eum Officio celebranda sit aut saltem possit? an cum sola Missa solemni? an cum omnibus etiam privatis? Sicuti ex casus expositione manifestum fit, cum non habeatur nec clerus nec imo ullus Sacerdos Ecclesiae adscriptus, dicendum nullam extare obligationem Officii recitandi, ac proinde etiam si festum perageretur die 21 Iunii nullatenus Officium obligaret. Quemadmodum autem superius diximus, nihil obstat quominus Officium recitari possit etiam extra diem natalitiam, quia, esset simpliciter ex devotione. De Missa vero dicendum satis provisum per recens Decretum S. R. Congregationis, et cum non fiat alla loci distinctio, etiam in Ecclesia, de qua in casu, tam Missa solemnis, quam privatae locum habebunt prout in eodem Decreto disponitur.

QUAESTIONES ANNI 1895-96

VIII.

1. Quid de Commemorationis pro Omnibus Fidelibus Defunctim antiquitate dicendum veniat, officio potissimum defunctorum inspecto?

2. Quinam sit genuinus Caeremonialis Episcoporum Rubricae sensus, collatae cum S. R. Congñis

Decretis, circa Matutini anticipationem die 2 Novembris?

3. An Episcopus prohibens anticipationem Matutini cum Laudibus Defunctorum se absente in Cathedrali ac semper in Collegiatis rem attigerit, an potius Canonicis ratio faveat, iuxta exposita in casu?

CONCLUSIONES.

Ex dissertatione R. D. B. Mock habita die 15 Aprilis 1896, Epitomatore Rmo D. Calcedonio Mancini Academiae Moderatore.

I. Maioris claritatis gratia primam quaestionem dividemus in partes tres: 1° inquirendum de origine Commemorationis seu Anniversarii fidelium Defunctorum; 2° de origine Officii Defunctorum: 3° de epocha in qua haec Commemoratio diei 2ae Novembris affixa fuit.

Et primo, mos fuit ethnicorum *coenas funebres* agendi in morte alicuius viri, aut ad eius sepulcrum in anniversariis; Christi autem Ecclesia retinuit et sanctificavit hunc ritum in Martyrum honorem. *Agapes natalitias*, sic coenae illae vocabantur, defendit Theodoretus et S. Augustinus. Quae fiebant in Christianorum exequiis *Agapes funerariae* audiebant, de his Origenes, S. Hieronymus, etc. Huiusmodi Convivia cum intemperantiae occasionem non semel dedissent a Praelatis prohibita sunt, et eorum vice dona Sacerdotibus largiebantur, ut Missas et preces funebres persolverent. Frustra laboraret volens perscrutari quonam praecise tempore Anniversaria hoc sensu incoeperint, satis sit novisse ex testimoniis Tertulliani Cassiani, Mabillonii, S. Gregorii Nazianz. et Damasceni

(V. Ephem. Lit. *Vol. IV, p. 237-38*) nec non S. Cypriani (*Ep. 12, 39*) et S. Augustini (*lib. de cura pro mort. ger. C. IV*) tam in Ecclesia Latina quam in Graeca maxima antiquitate gaudere. Non desunt qui Papam Anacletum (*an. 103*) auctorem dicunt. Constitutiones Apostolicae praecipiunt celebrandum diem tertium, nonum, quadragesimum et anniversarium Defunctorum psalmis, lectionibus et Orationibus (V. Thalhofer, *Handbuch der Katholischen Liturgik, Vol. II, p. 502*). Ergo ab ipsa Apostolorum aetate Anniversaria pro Defunctis peragi consueverunt.

Secundo. Variae sunt scriptorum opiniones de Officii Defunctorum auctore. Cl. Armellini profitetur non posse suscribi Arnulpho Wion (*Ligni vitae l. 5*), qui ait auctorem, collectorem et ordinatorem huius officii Card. Amalarium (*Saec. IX*), quia documenta extant hac de re eo antiquiora. Concilium aquisgranense (an. 817) de Officio Defunctorum verba facit. Ven. Beda loquitur de *Vigiliis* in Anglia (anno 748 recitari solitis ; testatur vero Natalis Alexander nomine Vigiliarum tunc temporis designatum *Officium mortuorum*. Pater Isidorus Isolani S. Ambrosio tribuit. Gulielmus Durandus Origeni, auctoritate innixus S. Augustini et S. Isidori. Sarnellius tandem non dubitat asserere originem duxisse ab ipsis Apostolis, ex aliquibus S. Dionysii verbis (*De Eccl. Hierarch. C. 7*), auctum postmodum et ordinatum ab Origene. Formam vero peculiarem non videtur accepisse ante saeculum IX (Armellini).

Tertio. Martinus Polonus aliique censent Benedictum IV (608) diem 2^{am} Novembris elegisse ad commemorationem Defunctorum celebrandam. Pittonius

(Tract. de Comm. fid. Def. 7. 2. § 1.) institutorem facit Odilonem Abbatem Cluniacensem (998-1048), ita pariter Sigibertus, qui affirmat ex tunc auctoritate Apostolica per Orbem eamdem diem praeceptam. S. Petrus Damianus hanc institutionem eidem venerabili Patri Odiloni refert. Urbanus VI (1389) iussit ut dicta Commemoratio incidens in Dominica ad feriam secundam sequentem transferretur.

II. Genuinus Caeremonialis Episcoporum (*l. II, c. X*) et S. R. Congregationis Decretorum sensus est, quod Matutinum Defunctorum pro Commemoratione eorumdem anticipari possit in festo omnium Sanctorum tam praesente, quam absente Episcopo. Caeremoniale (*loc. cit.*) ait: « Et primo de Vesperis, et Matutinis, quae celebrantur quotannis pro commemoratione et suffragiis omnium Fidelium Defunctorum, immediate post secundas Vesperas festivitatis omnium Sanctorum, quae simul et iunctim in multis Ecclesiis recitari solent, hoc est statim post Vesperas omnium Sanctorum, Vesperae, et Matutinae Defunctorum, ad hoc, ut populi commodius et frequentius illis interesse possint. Et tunc, si Episcopus ipsemet erit in crastinum celebraturus Missam solemnem pro Defunctis, debebit etiam et in his Vesperis et Matutinis officium facere; et quidem hoc pacto, etc. » Ex his verbis facile eruitur, tam absente, quam praesente Episcopo, ex consuetudine Ecclesiarum innixa super commoditate populi ad interessendum Officio, posse post Vesperas Defunctorum etiam Matutinum et Laudes pro die sequenti recitari. Quod plane concordat cum Responso a S. R. Congregatione dato ad Dubium: « An Officium Defunctorum pro 2 die Nov.

possit recitari *etiam praesente Episcopo* ante Completorium diei festi omnium Sanctorum? » quod est: « Affirmative » (*5 Iulii 1698*). Ibi, ut patet, iam supponitur absente Episcopo posse anticipari. Semper vero supponi debet ratio, quam affert Caeremoniale quae facile obtinet, eo quod fideles diebus festis de praecepto ad Ecclesiam commodius et frequentius accedunt, secus enim esset contra Rubricas, quae praecipiunt Matutinum Defunctorum dicendum post Laudes illius diei 2ª Novembris; quod sane confirmat Decretum diei 4 Sept. 1745 in *Ratisbonen.* edicens: « In choro autem, *iuxta Rubricas* adimplenda est (Officii Defunctorum recitatio) mane die secunda Novembris, nisi ut populi commodius et frequentius illi interesse possint, contraria iam faceret consuetudo ». Notandum sub nomine Ecclesiarum, ut patet ex obvio sensu Caeremonialis et Decretorum, venire non tantum Cathedrales sed et Collegiales et ceterae omnes. Quae in contrarium sunt Decreta ex novo iure abrogata censentur. Hic ritus pariter servabatur in Cappella Pontificia tam praesente quam absente Summo Pontifice.

III. Ex hucusque dictis consequitur Episcopum rem non attigisse prohibendo Canonicis cantum Matutini Defunctorum post Vesperas Omnium Sanctorum, si legitima aderat consuetudo, tam in Cathedrali, quam in Collegiatis; quia Caeremonialis dispositio, Decretis quoque conformis, non respicit praesentiam vel absentiam Episcopi, sed usum Ecclesiarum in gratiam populorum.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Regione Belgica.* **De anniversariis defunctorum late sumptis.** Nostris in regionibus, quotannis die aliqua fixa infra octavam dedicationis Ecclesiae (quibusdam in locis infra octavam Patroni vel Titularis Ecclesiae, vel alicuius Sancti, cuius festum magno cum concursu populi celebratur), cantatur solemne Anniversarium pro omnibus defunctis fidelibus paroeciae, ab immemorabili tempore tali die statutum, et ex oblationibus fidelium solutum; vel celebratur solemne Anniversarium defunctorum alicuius Confraternitatis, ab hac eadem Confraternitate statutum. Quaeritur: 1. Utrum dicta Anniversaria sint permissa in duplici, seu minori seu maiori? 2. Utrum dici possit Oratio « Deus indulgentiarum Domine » uti in Missa Anniversarii?

Resp. Enuntiantes praefatum Dubium, diximus « De anniversariis late sumptis »: quia anniversaria *stricte* sumpta, illa sunt, quae die vera et certa ab obitu occurrunt, et celebrantur. Reliquae conditiones, quae olim requirebantur, uti dispositio testatorum et celebratio in singulis annis, impraesenti, ex novo iure, amplius non requiruntur. Hanc doctrinam nos alibi, et pluries, ni fallimur, certam et in praxi tenendam, ne defuncti ex dilatione suffragiorum patiantur damnum, omnibus tradidimus, ob Decretum quod vulgatum legimus, licet sub diversa forma, in *Caeremoniale Romano-Seraphico*, sub die 2 Dec. 1891 (*num. 995 et seq.*). Hinc aliquam passi fuimus admirationem

in ultima legenda cl. De Herdt editione posthuma (1894), in qua ius adhuc reperitur antiquum circa definitionem anniversarii, nempe « Missa de *requiem*, cantata, relicta ex dispositione testatoris, quotannis in die ipsius obitus celebranda (*Tom. 1. n. 59*) ». Verum quidem, in dicta Editione, uti fortasse in anterioribus, citari quatuor Decreta, quae habentur in Collectione Gardelliniana, et unum etiam in initio Missalis. At quid haec prosunt? Illa e nova Collectione iam fuere expuncta, et ultimum quoque, quod Missali praeponitur, reformatum est, sic legitima auctoritate iubente. Ut quid ergo ea vulgare in recentioribus libris liturgicis, cum amplius legem non constituant, et damno potius quam utilitati legentibus sint? Itaque anniversarium stricte sumptum apte definitur in praesenti: Missa de requie cum cantu, quae die anniversaria ab obitu vel depositione celebratur. Inferes, inter anniversarium stricte sumptum, fundatum et non fundatum, prorsum inutilem et falsam esse distinctionem; quia utrumque gaudet iisdem omnino privilegiis. Et in hoc quoque supercitata editio emendatione indiget (*loc. cit.*).

Praeter anniversarium stricte sumptum, datur etiam anniversarium late sumptum; estque illud quod celebrare solent piae Communitates, uti Capitula, Congregationes, Confraternitates etc. Dicitur autem late sumptum, quia non requiritur ut celebretur die obitus vel depositionis, sed alia quoque die extra illam fieri potest. Haec autem distinctio et semper extitit, quia anniversarium de quo sermo est, ab immemorabili celebrari consuevit, et ab ipsamet S. R. Congñe adhibetur, uti videri potest in Generali Decreto « Orationum et Sequentiae in Missis defunctorum » d.

d. 30 Iun. 1896 (*V. Ephem. 1896, pag. 522*). Dictum vero anniversarium appellari posse late sumptum non est dubitandum; quia anniversarium communiter appellatur, et nihilominus omnibus privilegiis, quibus gaudet verum anniversarium certe non fruitur. Pro anniversariis autem late sumptis, de quibus in citato Decreto, hanc anniversarii speciem intelligi, certa nobis scientia constat.

Quaeritur itaque, utrum haec anniversaria late sumpta celebrari possint in duplici, sive minori, sive maiori. Respondemus sequentibus animadversionibus. 1. Nullum Decretum eiusmodi anniversaria permittit in duplici, sive minus sit sive maius; quinimo Decreta plura id prohibent, quae adeo perspicua sunt, ut ab iis referendis vel etiam citandis ut a re inutili, abstineamus. 2. Certa doctrina est, quam cum Cavalerio tradunt universi fere auctores, quando agitur de anniversario pro pluribus sufficere ut dies sit vere anniversaria ab obitu saltem unius. Sed agitur in casu de anniversario omnium parochianorum, quod ab immemorabili celebratur: putasne, casum dari posse, nullum ex tot millibus defunctorum die illa obiisse, qua anniversarium celebratur? Confitemur quidem, ex hoc principio laxa nimis in praxi pro hisce anniversariis consectaria derivare in damnum liturgicarum legum: ut eo uti consilio non audeamus iuvare lectores. 3. Interim certum est, Decreta de quibus supra, mitigata fuisse: adeo ut liceat in duplici tantum minori dicta anniversaria late sumpta celebrare, exceptis cetera diebus excipiendis. At ius istud mitius antiquo, et tantopere iuvans animabus in purgatorio detentis, adhuc non est vulgatum, et an prodesse iam

possit nescimus. 4. Cum in casu agatur de anniversario, licet late sumpto, quod ab immemorabili tali die statutum et celebratum est, non audemus illius celebrationem gravi censura notare, sed potius arbitramur opportunum esse, ut S. R. C. consulatur, quae, quantum videmus, difficilius denegatura esset indultum.

2. Cum eiusmodi anniversarium, nonnisi improprie eo nomine appelletur, non est dicenda Oratio pro anniversario proprie dicto determinata; quia ipsamet Missa non est de anniversario dicenda, sed quotidiana. Constat ex decreto in *Cadurcen.* d. d. 9 Maii 1857 ad III, quod agit de anniversariis non proprie dictis, et statuit Missam quotidianam iis in casibus dicendam; ergo neque Orationem de anniversario sumendam, sed aliam magis convenientem, uti *Fidelium Deus*, vel *Deus veniae largitor*.

II. *Ex eod. loco.* **De modo genuflectendi ad** *Incarnatus* **pro Sacerdote sine Ministris canente Missam.** Celebrans in Missa cantata, si ad sedendum non pergat, quomodo se gerere debet dum cantantur verba Symboli *Et incarnatus est*?

Resp. Decreta plura statuere, ipsasque Rubricas, ad verba *Et incarnatus* omnes qui stant ex choralibus debere genua flectere, inficiandum non est. Ergo et ipsi Celebranti in casu genua flectenda esse nec inficiandum est, cum eadem sit ratio. At genua potest flectere super ipso suppedaneo, vel ubi est, vel super primo post suppedaneum gradu descendendo: quomodo ergo se gerere debet? Utrumque genu flectere prope mensam altaris ubi est Celebrans, satis est incommodum, nec unquam in Rubricis praescriptum; quandam enim suo corpori vim deberet facere Celebrans pro genibus fle-

ctendis, et ad surgendum, quod satis est difficile, et pro multis vix possibile. Cum ergo genua flectere debeat, necessario fas est ipse descendat super primo gradu, ex quo super suppedaneo genua flectat: hoc enim nullius est difficultatis sive ut genua flectat, sive ut surgat.

III. *E Verona.* **De Missa unica extra officium die festo in paroecia.** Si in aliqua Ecclesia concessum sit indultum celebrandi Missam solemnem de Sancto in aliqua Dominica (extra diem propriam), prohibetur ne parochus celebrare illam Missam solemnem de Sancto quem populus colit, eo quod debet applicare pro populo? Item si de Titulari ex indulto celebretur in Dominica sequenti Missam solemnem cum externa pompa, prohibetur ne parochus illam decantare, ut celebret de officio occurrente? Denique prohibetur ne parochus in Dominica cantare Missam de festo transferendo, pro Expositione et Repositione Sacramenti, vel pro re gravi.

Resp. Decretum, quod ipsemet adm. rev. consulens probe noscit, satis est perspicuum, ut Missa parochialis, si pro populo applicari debeat, officio respondere fas sit: « Quoad vero Missam parochialem, eam officio diei conformem esse deberè, quando peragenda sit cum applicatione pro populo (*Dubium, 21 Febr. 1896*) ». Iam nunc Missa solemnis de aliquo Sancto, extra diem eius festi aut officii, alicui Ecclesiae ex indulto in Dominica concessa, nec dicti Sancti festo respondet nec officio; ergo, patet consequens, ea nequit applicari pro populo. Atqui Missam tenetur parochus singulis diebus Dominicis applicare pro populo unde et eadem Missa parochialis dicitur; ergo, iure in-

specto, a tali Missa solemni die Dominica celebranda parochus prohibetur. Ratio esse videtur, quia Missa parochialis ex primaeva sua institutione erat conventualis, hoc est officio diei quod sequebatur respondens, quippe quae est ipsiusmet officii pars potior et complementum, unde et in praesenti quasi conventualis dicitur. Dedecet autem, ut cultus alicui Sancto vel mysterio in aliqua Ecclesia, maxime die dominico aut festo, tributus, dimidiatus evadat. Quod si dicas, applicari posse pro populo aliam Missam, quae sit officio respondens, animadvertas velim, licitum id non esse semper, cum S. C. Concilii definierit, parochum teneri per seipsum celebrare pro populo nisi suppetat casus verae necessitatis et causa canonica (*Mechlinien. 25 Sept. 1847 ad 3*).

Quod vero alios duos casus pertinet, sed praecipue tertium circa Missam de festo transferendo quaestio oritur. Etenim supponitur in tertio, Missam solemnem cantari a parocho de festo transferendo, quod diebus dominicis et festis potioribus, exceptis excipiendis, Rubricae Missalis permittunt (*Tit. VI*). Decretum autem super relatum ait, Missam parochialem esse debere officio conformem; sed num per to *officium* intellexit S. R. C. excludere *festum*, adeo ut Missa parochialis nequeat esse conformis festo quod recolitur, licet quoad officium transferendo? Ex. gr. in Dominica tertia Adventus occurrit festum S. Luciae, alicubi dup. maius et transferendum: festum S. Luciae die eadem 13 indubie recolitur, sed eius officium alia die faciendum: poterit ne parochus dicta die applicare pro populo ad Ecclesiam concurrente ob devotionem S. Virginis et Mart. Missam celebrando de festo transferendo?

Eoque magis, quia fideles officiorum translationem vix intelligunt, et festa celebrant diebus, in quos incidunt. Missa autem parochialis est pro populo, seu pro fidelibus; ergo si officio non respondet, respondet tamen festo, quod populus recolit, et proinde iure videtur applicari posse pro populo. Crescit argumentum quando agitur de festo, quod transferri nequit, et commemorationem admittit die aliquo dominico, in quo puta, aliquod recolitur dup. II. classis festum mobile: tunc ne quoque prohibetur parochus a Missa de festo simplificato cantanda, et applicanda pro populo, qui ex devotione frequentius ad Ecclesiam concurrit? Ita profecto, salvo meliori iudicio, credimus: secus Decretum loquutum fuisset de conformitate Missae non cum officio tantum sed etiam cum festo, de quo nihilominus siluit. Quando autem dicitur Missa conformis officio, intelligitur conformis officio integro quod recitatur, non officio quod per solam commemorationem suppletur. Eapropter, sive agatur de Missa ob solemnitatem Titularis in sequentem Dominicam translatam, sive de Missa festi transferendi aut tantum commemorandi, arbitramur servandum esse Decretum superallatum, vi cuius parochus a dictis Missis celebrandis prohibetur, cum eas utpote non conformes officio diei, pro populo applicari non debeant. Hinc passim videmus particulares Ecclesias, petentes apud S. R. Congñem a lata lege dispensationem: ac proinde et ab ipso adm. rev. parocho, qui dubium hoc nobis proposuit, eadem poterit dispensatio haberi, si eam postulet.

Nota 1. Quod de praefatis Missis diximus, a fortiori applicandum ad Missam votivam de SS. Corde Iesu, quae cantari potest prima feria VI Maii, occurrente

in ea festo Ss. Philippi et Iacobi, in quo parochus tenetur applicare pro populo. Dicimus *a fortiori*, quia huiusmodi Missa est sub omni respectu votiva, et nullam cum officio neque imo cum festo, relationem habet.

Nota 2. In hac Missa de SS. Corde omnes collectae imperatae sunt omittendae; imo « celebrari debet... ritu quo celebrantur Missae votivae solemniter cum *Gloria* et *Credo* et unica Oratione (*Montis Politiani ad I. 20 Maii 1890*) ».

IV. *Ex eodem loco.* **Super Missa de festo trasferendo.** Utrum die quo celebrantur Festa S. Ioseph, Annuntiationis B. M. V., S. Ioannis Baptistae, nec non alia Festa solemniora universalis Ecclesiae, cantari possit Missa de Festo quod transferri debet, ubi est Titularis, vel cum populi concursu celebratur. Item utrum eadem Missa celebrari possit in Festo anniversarii Dedicationis propriae Ecclesiae et Patroni praecipui loci, vel Titularis Ecclesiae? Nonnulli enim tenent prohibitam esse ex decr. S. R. C. 12 Mart. 1836 in *Lucana*; 16 April. 1853 *Ord. Min.* Dub. 29; 22 Iulii 1855 in *Suessionen.* ad 1.

Resp. Super Missa quae cantari potest de festo transferendo perspicua est Rubrica Gen. Missalis (*Tit. VI*); quae aperte declarat quinam sint dies excepti, in quibus cantari nequit. Porro festa Annuntiationis, S. Ioseph, S. Ioannis Baptistae, quae universalia sunt, Dedicationis propriae Ecclesiae, eiusdem Titularis, et Patroni praecipui, quae localia sunt, praefata Rubrica ne verbum quidem. Ergo in iis cantari potest. De festo Annuntiationis obiici posset fortasse, nondum esse illud insertum in dicta Rubrica, quod recentius sit, qua solemnius, institutum. Sed iam antiquum, si ita loqui fas sit, est festum S. Ioseph, antiquius certe

S. Ioanne Baptista: idem praedicari potest de festis Dedicationis, Tituli et Patroni: ex quibus nihilominus nullum in praefata Rubrica legitur, uti neque Assumptionis aut Imm. Conceptionis festum: quid ergo concludendum? Certum est, dicta festa non impedire Missam de alio festo quod eadem die potest occurrere et transferri debet, dummodo saltem adsit concursus populi. Animadvertas enim, non omnia solemniora festa Missam de alio occurrente festo Missam impedire, sed tantum aliqua solemniora seu ratione solemnitatis, seu ratione temporis, et praecise quae in dicta Rubrica recensita sunt, non vero reliqua.

Sed aliqua hic oritur difficultas ex nonnullis Decretis S. R. Congñis, nec aliquo recentiori excluso, vi quorum dicta Missa in omnibus festis solemnioribus, seu universalis Ecclesiae, seu Ecclesiarum particularium, videtur prohibita. Sed breviori calamo reponimus, illa non esse attendenda, sed nova Decretorum expectanda Collectio, et interim servetur Rubrica super allata Missalis, quae dictam Missam si in praefatis festis prohibere voluisset, indubie dixisset. Cum ergo omnia tam universalia quam localia festa solemniora adnotare potuerit et non fecerit concludendum credimus illa sola, quae illic festa enumerantur, Missam cantatam de occurrenti festo impedire, et reliqua ibidem non recensita permittere.

V. *Ex oppido Vivario in Hispania.* **De Symbolo S. Athanasii in octava SS. Trinitatis, non omittendo.** Festum SS. Corporis Christi in Hispania celebratur cum octava privilegiata, ita ut ad Nonam praecedentis diei cessent octavae, excepta tantum illa SS. Trinitatis ubi recoli debeat cum octava: quaeritur ita-

que: In Dominica infra octavam Corporis Christi, octava SS. Trinitatis, debet dici « Quicumque » ad Primam (ex Decreto S. R. C. 5 Maii 1736 Einsidlen. ad 13) vel ommitti sicut praecipit Rubrica Breviarii Tit. XXXIII. N. 2? Quae praefatio dicenda in Missa istius Dominicae, Trinitatis, ratione diei octavae simplif.; vel Nativitatis, ratione diei infra octavam Corporis Christi?

Resp. In Hispania festum SS. Corporis Christi singularissimo privilegio gaudet, vi cuius infra illius octavam de duabus tantum festivitatibus fieri potest, nempe S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli (*Breve Pii Papae VI, 5 Mart. 1776*): adeo ut neque de Dedicatione fieri possit, neque de Titulo propriae Ecclesiae, quae proinde festa alio die reponenda sunt (*S. R. 28 Iun. 1890*). Ex quo palam sequitur octavas omnes, infra dictam octavam sic privilegiatam Corporis Christi cessare, unica excepta Octava SS Trinitatis, uti in expositione Dubii dicitur: de qua nihilominus non officium fieri debet, sed sola commemoratio. Hoc autem extendi etiam ad octavam diem, uti in Dubio exponitur, patet ex exclusione omnium festorum, solis duobus taxative exceptis; si enim duplicia ipsa primae classis excluduntur, a fortiori dies octava manebit exclusa, quae proinde et ipsa ad instar simplicis redigenda est. Hinc rationabile Dubium, de quo adm. rev. consulens, cuius solutio ab alterius Dubii solutione dependet, quod sic proponitur: dies octava ad simplicem ritum redacta servari ne debet, an potius iura sua amittere? Si primum, Symbolum *Quicumque* dicendum erit: si vero alterum, tunc omittendum. Certe vi Rubricarum scimus, octavam diem, ex. gr. festi Imm. Conceptionis,

ferre secum, etsi simplificatam, doxologiam in hymnis propriam et proprium Responsorium breve ad Primam, nonne ergo, in casu nostro, dies octava SS. Trinitatis, licet ad simplicem ritum redacta, ius suum servabit, ut Symbolum *Quicumque* ad Primam dicatur? Nihilominus pro negativa sententia standum est, quae omnino indubia facile demonstratur. 1. Quia Symbolum S. Athanasii in festo Trinitatis non tam ratione festi videtur a lege statutum, quam potius ratione Dominicae, cui festum SS. Trinitatis adhaeret. Si enim dicendum esset ratione festi, toties dicendum foret, quoties agendum esset de ipso festo, cum nihilominus ius positivum aliter disponat. Legas Decretum in *Einsidlen.* 23 Iul. 1736 ad 13 (*Alia Dubia*), ibique invenies, dictum Symbolum non esse dicendum infra octavam festi SS. Trinitatis, quamvis de infra octavam, hoc est de festo, recitetur officium. Bene nihilominus recitandum praescribitur die festo, ac die octava, quibus diebus, ex communi et ordinario iure, de festo recitatur officium. Si ergo ponas, ex peculiari privilegio officium de Trinitate in die octava non fieri, a fortiori Symbolum omittendum videtur. Ratio namque Dominicae cessat, quia neque Dominicae neque SS. Trinitatis, quae Dominicae adhaeret, officium recitatur. 2. Quia iure quoque positivo id statutum est; quaesitum namque fuit: « In Dominicam infra octavam Corporis Christi, quae... ex indulto Sa. Mem. Pii Pp. VII, 4. Mart. 1778 in Hispania ut privilegiata habetur, occurrit in aliquibus Conventibus Octava SS. Trinitatis, etiamsi officium fiat de Dominica infra octavam; quaeritur, sit ne addendum in *Prima* Symbolum Quicumque? » Responsio autem fuit « Ne-

gative (*Valentina seu Ord. Eremit. S. August. Prov. Valentiae in Hispania, 27 Mart. 1802, ad 5*). » Inferes 1. Decretum citatum in Dubio, uti superius retulimus, ad rem non facere, supponit enim de die octava fieri officium integrum. Inferes 2. Rubricam pariter citatam ad rem facere, sed tantum per accidens, hoc est ratione privilegii, quo in casu ditatur Octava Corporis Christi; secus de die octava SS. Trinitatis, occurente in Dominica infra Octavam Corporis Christi, officium agendum esset, et dictum Symbolum recitandum.

Quod vero Praefationem attinet, ea de festo Corporis Christi recitanda est. Quia utrumque festum, tam SS. Trinitatis quam SS. Corporis Christi propria Praefatione gaudet; ergo ea praeferenda, quae pertinet ad festum dignius, quod Corporis Christi est. Adde de hoc officium recitari, de illo nonnisi commemorationem fieri.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Arequipa.* Sanctorum imagines aut reliquias non esse sub baldachino deferendas nec proinde exponendas, non est opinio auctorum, sed lex generalis ab omnibus servanda. Satis sit Gen. Decretum innuere iussu Leonis Pontificis XII promulgatum d. 27 Maii 1826, quo edicitur ut « caveatur et per modum regulae ubique servandae praefiniatur, ne in posterum alicubi, per quoscumque, quolibet sub praetextu solemnitatis, devotionis, pietatis, privilegii, indul-

ti, concessionis, tolerantiae, consuetudinis licet immemorabilis, quam abusum non ferendum declararunt (*Emi Patres*), liceat unquam Sanctorum reliquias processionaliter sub baldachino circumferre ». Iure merito autem quod de processione dicitur in Decreto, etiam de expositione ab omnibus intelligitur; quia ideo in processione baldachinum pro Sanctorum reliquiis prohibetur, quod est cultus indebitus, soli Sacramento tributus, et pro Instrumentis dominicae passionis permissus; ergo ipsamet expositio earundem sub baldachino per dictum Decretum interdicta manet.

II. *Pro eodem loco.* Ratio. ob quam indultum benedicendi Scapulare B. V. Mariae de Carmelo, uti alia, limitatur pro iis tantum locis, ubi non sunt Religiosi relativi Ordinis, haec una est, ne eorum iura laedantur, ubi ipsi, ad quos primario talis benedictio pertinet, ordinario morantur. Sed haec ratio prorsus nulla est, si alicubi commorentur Moniales eiusdem Ordinis, vel Confraternitas relativa, quia nec Moniales, nec Confraternitates ius habent, quod proinde non laeditur, eiusmodi Scapulare benedicendi. Ergo.

III. *Pro civitate N. in Pedemontio.* Deiparae festum sub titulo *della Salve*, festum esse patronale, proindeque primarium in civitate Alexandriae dubitandum est. Ergo si vere patronale est, impedit Missam de requie, etiam praesente cadavere. Verum ubi dictum festum agitur, etsi cum feriatione, sed non est patronale, neque dici potest primarium, sed secundarium manet *per se*, sicut *per accidens* primarium est, ubi est patronale. Sequitur ergo, non adesse rationem, vi cuius Missa exquialis, praesente cadavere, impediatur in hac altera hypothesi, quamvis sub eodem ritu

et cum feriatione celebretur. Item sequitur in concursu hoc festum ubi non est patronale, primas cedere alteri festo primario. Quod autem de festo dicitur, pariter de octava tenendum, quae festi naturam sequitur, cuius est perfectio.

IV. *Pro eod. loco.* Quando in aliqua dioecesi concessa est celebratio Dedicationis omnium Ecclesiarum una eademque die, nulli Ecclesiae permittitur in eadem dioecesi celebrare festum suae Dedicationis alia diversa die: adeo ut dictum anniversarium eadem die celebrari debeat, qua celebratur in tota dioecesi. Siquidem unaquaeque Ecclesia dicta die celebrare debeat suum anniversarium si sit consecrata, anniversarium Dedicationis Cathedralis Ecclesiae, si tantum illa sit benedicta, et semper sub eodem ritu. Sicut autem Dedicatio propriae Ecclesiae est primarium, Ecclesiae non propriae secundarium, hinc sequi videtur idem festum esse primarium pro Ecclesiis consecratis, secundarium pro benedictis. Non negamus, hoc esse inconveniens, ut consultius foret idem festum declarare primarium, saltem *per accidens*, etiam pro Ecclesiis benedictis: sed quoadusque super hoc competens auctoritas sileat, nihil nobis licet definire. Posito autem festo secundario, omnia consectaria sunt admittenda, quae ex hoc derivant, sive quoad cessionem dicti festi alteri primario, sive quoad funerum celebrationem praesente corpore.

V. *Pro Ebroicis.* Vox quidem est S. Antonii Zaccaria festum, utpote Fundatoris concessum iri universae Ecclesiae; sed interim nihil adhuc certi statutum est, vel certe Decretum nondum vulgatum est. Quidquid sit, indubium est, S. Antonium habere pro die sua propria diem 5 Iulii, in qua obiit: dum eadem

dies non propria, sed assignata tantum est pro Ss. Cyrillo et Methodio. Atqui dies propria praevalet non propriae; ergo die 5 Iulii celebrandum est, si detur inquam festum S. Antonii Zaccaria, et non amplius festum Ss. Cyrilli et Methodii. Quod festum proinde a die non propria in aliam iterum non propriam perpetuo transferendum est.

VI. *Pro eod. loco.* Ponere in editionibus Missalis Orationis alicuius initium, et post initialia verba addere, vel aliqua puncta, vel *etc. etc.* idem prorsus est, et minus nihilo computandum, etsi typicae editioni non sit conforme.

VII. *Pro Galliis.* Decretum **Aucto** (*8 Iun. 1896*) palam dicit, Missas privatos de requie in sacello sepulcreti esse vetitas in duplicibus I et II cl. et *Dominicis festisque de praecepto.* Ergo cuiuscumque ritus haec festa recolantur, Missas praefatas impediunt. Quod attinet infra octavas, sunt prohibitae, si sint *privilegiatae*, ait praecitatum Decretum; ergo permittuntur, si privilegiatae non sunt.

VIII. *Pro eod. loco.* Si de sacello sepulcreti agitur, nullam Missae privatae de requie relationem habent cum Missa cantata exequiali, quippe quae in Ecclesia est canenda, non in sacello sepulcreti, in qua non permittitur; cum definitum sit a S. C. Concilii, ipsa Oratoria coemeteriorum habenda esse uti privata, in qua Missa cum cantu et multo magis exequialis, est vetita. Si autem agitur de Missis privatis pro defunctis in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis, eae permittuntur quando permissa est Missa exequialis, *exceptis* tamen *duplicibus I classis et festis de praecepto*, in quibus et Dominicae includuntur, uti patet.

IX. *Pro oppido Vivario* Si color paramentorum, in exequendo Mandato, pro Diacono et Subdiacono, qui ministrarunt in Missa, debet esse *albus*, iuxta Caeremonialis Episc. Rubricam, quamvis paramenta Episcopi sint coloris violacei, (*Cap. 24, n. 1*), non est profecto ratio, ob quam violacei coloris esse debeant paramenta assistentium ad honorem, uti sunt Presbyter assistens et Diaconi assistentes. Rectus enim sensus postulat, ut idem sit color assistentium ad honorem, ac Subdiaconi et Diaconi Missae; ex alia namque ratione color facientis officium est violaceus, quae pro ministris sive Missae, sive ad honorem assistentium, uti patet, non comprobatur.

X. *Pro eod. loco.* Quamvis dies octava duplici maiori praeferenda sit vi Rubricarum, sapientissime nihilominus S. R. C. exigit ut, occurrente octava Nativitatis in Dominica, in qua festum recolitur SS. Nominis Mariae, totum et solum officium de hoc fiat. Quia de eodem agitur subiecto; imo, quasi dicam, de eodem festi obiecto. Namque ex hebraeorum more octava die Nativitatis nomen imponebatur infanti, uti ex Evangelio ipso constat (*Luc. 2, 21*).

Nota. Officia Instrumentorum Passionis, quae alicubi, post feriam IV Cinerum usque ad Dominicam in Palmis (exclusive) feriis III aut VI celebrantur, transferri non posse, impedita post, Quadragesimam, constat ex Decreto *Sacrosancta* d. d. 6 Aug. 1831. At eadem esse etiam in semiduplici recitanda, si in propria feria impediantur, id nobis non constat; et huiusmodi privilegium reperire nequivimus. Si cl. consulens eam agnoscat, oramus ut indicet.

XI. *Pro eod. loco.* Academia Liturgica Romana

in conventu diei 24 Maii 1893 sustinuit festa quaecumque, si duplicia minora sint, iure translationis non gaudere; solis Doctorum festis exceptis. Ergo sive de Apostolis agatur, sive etiam de Angelis, eorum festa non trasferuntur, nisi ritu saltem dup. maiori gaudeant.

CAEREMONIALE

PRO MISSA ET VESPERIS PONTIFICALIBUS AD FALDISTORIUM

(*Cont. V. n. 7, pag. 482*).

CAPUT III.

De Subdiacono in Missa Pontificali ad Faldistorium.

« Eodem tempore, eodemque loco et modo, prout de Diacono dictum est, Subdiaconus.... accipiet paramenta sibi convenientia », manipulo excepto.

Simul cum Diacono ad sinistram eiusdem, servatis iisdem caeremoniis pergit ad Altare, et postea, sequens in omnibus Diaconum, ad faldistorium; ubi Episcopum advenientem salutat eumque cum Diacono sacris induit paramentis (1).

Postquam Episcopus indutus fuerit planeta, Subdia-

(1) Si Episcopus praeparationem et gratiarum actionem ad Altare peragat, Subdiaconus haec servabit: assistit Episcopo ad eius sinistram dum legit psalmos *Quam dilecta etc.* eique alternatim respondet cum Assistente et Diacono. Cum ad *Kyrie* Episcopus se vertit ad Altare, ipse locum permutat cum Diacono, et Episcopo denuo sedente, in pristinum locum redit. Absoluta praeparatione, reliqua, ut supra, peragit. Idem in gratiarum actione servetur.
Si Episcopus autem, in casu de quo supra Cap. I, in Sacristia paramenta capiat, Subdiaconus, paratus absque manipulo, praeparatione ab Episcopo absoluta, eum adiuvat ad sacra paramenta capienda: postea accipit manipulum. Accedit ad Altare gradiens solus ante Episcopum medium inter Assistentem et Diaconum,

conus ad sinistram Diaconi ante eum accedit: quem postquam a Diacono mitram acceperit, salutat; et in partem se retrahens accipit de manu acolythi manipulum, Cruce in medio prius deosculata. Accipit « librum Evangeliorum clausum..... in quo inclusus erit manipulus Episcopi » illum ante pectus portans, et cum Diacono accedit ad sinistram Episcopi, cum quo et cum aliis, ad nutum Caeremoniarii, accedit ad Altare, debitis factis choro (si adsit) reverentiis. Ante infimum Altaris gradum, postquam Episcopus mitram deposuerit, genuflectit Cruci, deponit librum in manibus Caeremoniarii, « et facienti Episcopo Confessionem ipse. . . . . stans apud Diaconum respondet simul cum Presbytero assistente et Diacono. . . . Et cum dicit in Confessione *Tibi, Pater* et *Te, Pater,* conversus ad Episcopum profunde se inclinat. Cum Episcopus dicit *Indulgentiam etc.* accipiet ex dicto libro manipulum, illumque a latere osculatur et Episcopo ubi est signum Crucis osculandum porrigit, a sinistris; mox illum imponit sinistro brachio Episcopi, et manum Episcopi osculatur: et eidem, cum supremum Altaris gradum ascenderit, adiuvante Presbytero assistente, porrigit osculandum dictum librum Evangeliorum apertum, ubi est principium Evangelii illius Missae: stans in cornu Evangelii a sinistris Episcopi, ab ea parte adiuvat illum Altare thurificantem, sicut Diaconus a dextris », elevans planetam et genuflectens simul cum Diacono Cruci, quando eidem Episcopus profunde se inclinat. Thurificato Altari, descendit cum Diacono in planum in cornu Epistolae et, a Diacono thurificato Episcopo, eidem se inclinat, et ad sinistram Diaconi ante faldistorium accedit, ubi Episcopum sedentem salutat et ad eius sinistram, postquam ad Altare conversus fuerit, se collocat. Assistit Episcopo legenti Introitum et cum aliis ministris respondet ad *Kyrie eleison.*

« librum Evangeliorum clausum ante pectus portans, in quo inclusus erit manipulus Episcopi ». Eundem ordinem, quin tamen librum deferat, servabit in reditu.

Episcopo sedente (in casu de quo diximus in cap. I.) ad sinistram Diaconi ante eum accedit eique Diaconus mitram et ipse deinde gremiale imponit, cum aliis ministris eum salutans; mox ad scamnum pergit (de quo in Cap. I loquuti sumus) et sedet cooperto capite ad sinistram Diaconi. Circa finem *Kyrie eleison* surgit et omnes praecedens ante Episcopum venit, cui, facta reverentia, gremiale aufert et, mitra a Diacono sublata, retro eumdem Diaconum accedit, ibique expectat donec Episcopus absolverit intonationem hymni Angelici. Si autem ad *Kyrie* non sederit, tunc ad sinistram Episcopi remanet usque ad ultimum *Kyrie* et postea retro Diaconum se sistit et omnia peragit ut supra. Ad *Deo* caput inclinat Cruci et ad sinistram Episcopi hymnum cum eo submissa voce prosequitur. Quo absoluto, sedente Episcopo, imposita prius per Diaconum mitra, gremiale imponit, ut supra, et pergit ad sedendum. Caput discooperit simul cum Diacono et Assistente ad ea verba quae in capite I adnotavimus. Circa finem hymni ante Episcopum, ut supra ad *Kyrie*, accedit, cui, absoluto hymno, aufert gremiale, et post Diaconum expectat dum canuntur Orationes. « In fine Orationis, seu Orationum, cum Episcopus dicit *Per Dominum nostrum Iesum Christum etc.*, accipiens librum Epistolarum » quem tenet supra pectus, in medio Altaris genuflectit Cruci, et reverentia choro prius in cornu Evangelii et postea Epistolae facta, ante Episcopum accedit, convenienti distantia ibique, postquam Diaconus et Assistens recesserint, salutato Episcopo, librum aperit et « incipit alta voce cantare Epistolam » reverentiis servatis versus Altare aut librum, quando opus erit. Finita Epistola, libro clauso, Episcopum salutat et Cruci genuflexione et choro reverentiis factis, redit ad Episcopum, ante quem genuflexus (et, si in ecclesiastica dignitate constitutus, stans inclinatus) « librum supra eius genibus ponit, et osculatur illius manum super libro positam ».

Surgit et, accepto a Caeremoniario libro Missali Epi-

scopi, illum, ante eum stans, apertum sustentat donec ab Episcopo lectum fuerit Evangelium. Quo finito, reddito Caeremoniario libro, paululum se retrahit ut det locum Diacono, ad cuius sinistram, postquam hic benedictionem acceperit, ante Episcopum expectat donec absolvatur ultimus versus Gradualis sive Tractus aut Sequentiae. Tunc cum Diacono et aliis Episcopum salutat, accedit in medium, genuflectit Cruci, et, choro prius in cornu Epistolae et postea Evangelii salutato, ad locum ubi solet cantari Evangelium ante Diaconum accedit, « et illi legenti Evangelium tenet ambabus manibus librum apertum ante pectus, vel legile manibus tenet........ et si forte Diaconus, proferendo aliqua verba Evangelii, inclinaret se, aut genuflecteret....... ipse nullatenus movetur, cum repraesentet legile immobile. »

« Finito Evangelio, tenens adhuc librum apertum, nulla tamen facta reverentia, illum sic apertum offert Episcopo osculandum in loco, ubi est principium Evangelii cantati; quo osculato et clauso libro, facit Episcopo reverentiam. » Deinde ad sinistram Presbyteri assistentis se sistit facie versa, ut Episcopus et Assistens, ad Diaconum, dum iste Episcopum thurificat. Cum Episcopo se vertit ad Altare, et retro Diaconum expectat intonationem Symboli: ad *Deum* caput Cruci inclinat et accedit ad sinistram Episcopi, ut ad *Gloria*, cum quo recitat Symbolum, caput inclinans quando opertet et genuflectens ad versiculum *Et incarnatus est etc.* Iterum sedenti Episcopo imponit gremiale, ut supra ad *Gloria*, et facta ei cum aliis ministris reverentia, ad scamnum pergit. Caput discooperit cum Assistente et Diacono ad ea verba, quae iam in Cap. I notavimus.

Quando Diaconus surgit. bursam corporalium ad Altare delaturus, et ipse. una cum Assistente. detecto capite, surgit, et. resalutato Diacono sedet. iterum surgens cum Diaconus redit. cum quo denuo sedet. Finito Symbolo redit ante Eiscopum eique gremiale aufert. Accedit post Diaconum ibique remanet usque dum Epi-

scopus dixerit *Oremus*, ad quod verbum caput Cruci inclinat et ad sinistram Episcopi accedit, donec lectionem Offertorii persolverit. Ante Episcopum ad sinistram Diaconi denuo redit, et, postquam hic mitram imposuerit, salutato Episcopo, ad eius sinistram se confert eique cum Diacono aufert chirothecas cum debitis osculationibus. Quando Episcopus surgit, ipse semper ad eius sinistram ad Altare accedit, chorum salutans, et, a Diacono mitra Episcopo sublata, genuflectit Cruci. Statim « accedit ad abacum et extenso sibi, adiuvantibus acolythis, circa humeros velo serico, quo Calix, patena et alia super dicta mensa cooperiebantur, ita ut a latere dextero longius pendeat, accipit manu sinistra Calicem cum patena et hostia palla tecta, eaque omnia longiori illa parte veli cooperit, altera manu super ea apposita, caute advertens, ne aliquid forte decidat, et accedit ad cornu Epistolae Altaris......, eaque omnia, remoto velo, dat in manibus Diaconi; mox eidem Diacono tradit ampullam vini ab acolytho receptam, ampullam vero aquae ipse Episcopo ostendit et petit ut benedicat, dicens: *Benedicite, Reverendissime Pater*, eaque benedicta, infundit paululum in Calicem. Post oblationem hostiae et vini factam, accipit de manu Diaconi patenam, quam veli praedicti extremitate, adiuvante Caeremoniario, contegit »; vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et facta genuflexione ibi stat, sustinens eam elevatam (1) usque ad finem Orationis Dominicae, ut dicetur (2). Ad Diaconum se vertit quando iste eum thurificaturus est.

Post verba *Orate, fratres* (si Diaconus adhuc ad Altare non sit reversus post thurificationem) ipse, stans inclinatus, respondet *Suscipiat etc.* « . . . Ad elevationem SS.mi Sacramenti genuflectit; quo elevato statim surgit

(1) Patenam ante oculos elevatam tenet quando stat, supra pectus autem demittit, quando gradus Altaris descendit et ascendit, quando se inclinat, vel genuflectit, quando se vertit ad incensationem etc.

(2) Rubrica Miss. § VII, n. 9.

et cum Celebrans dicit in Oratione Dominica *Et dimitte nobis etc.*, facta debita genuflexione, accedit ad Altare in cornu Epistolae, dictamque patenam Diacono offert, qui eam Caeremoniario vel a seipso velo discoopertam, accipit: tunc ipse Subdiaconus, deposito velo in manibus Caeremoniarii, vel acolythi, » genuflectit Sacramento et « redit ad locum suum ». Ad *Agnus Dei* Altare non conscendit (1), sed aliquantulum se inclinat, nihil dicens.

Quando Diaconus, recepta pace ab Episcopo, genuflectit Sacramento, et ipse Subdiaconus idem facit in infimo Altaris gradu, ascendit ad dexteram Episcopi, denuo genuflectens Sacramento una cum Diacono, qui mox ad sinistram accessit et, quin Altare osculetur, ab Episcopo accipit pacem (2); ibique expectat donec Presbyter assistens e choro redierit, « et supplet a dextera Episcopi pro Diacono ..... discooperiendo Calicem et alia faciendo, quae erunt necessaria et opportuna ». Data pace choro a Presbytero assistente, Subdiaconus, facta genuflexione cum Diacono, redit retro Episcopum ad locum suum, ubi profunde se inclinat ad sumptionem Sacramenti.

Ablutione ab Episcopo sumpta, ascendit in cornu Evangelii, « tergit Calicem, plicat corporalia, illaque simul cum palla, purificatorio et bursa ad abacum reportat », genuflectens dum transit ante Crucem: « mox redit ad locum suum post Episcopum ». —

Cum dixerit Diaconus *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, ascendit in supremo gradu Altaris in cornu Evangelii, ubi cum Episcopus dicit *Benedicat vos etc.*, genuflexus (vel, si in ecclesiastica dignitate constitutus, stans inclinatus) accipit benedictionem. Deinde surgit et ad si-

(1) Dec. S. R. C. 2 Maii 1892.

(2) Si autem non adesset chorus, Subdiaconus, accepta pace et repetita genuflexione una cum Diacono, qui eam facit retro Celebrantem, descendit in plano, ubi dat pacem Caeremoniario; ibique manet usque ad ablutionem (iuxta idem Dec. S. R. C. 2. Maii 1892).

cnistram Presbyteri assistentis extra suppedaneum versu sornu Epistolae, sustinet Episcopo librum ad lectionem Evangelii, quin genuflectat ad verba *Et Verbum caro factum est.*

Lecto Evangelio, claudit librum, et, quando Diaconus locum permutavit cum Presbytero assistente, ipse stans ad sinistram Diaconi facit cum aliis inclinationem Cruci, descendit in planum, in infimo gradu genuflectit cum aliis ministris et, salutato choro, Episcopum ad faldistorium comitatur, eique semper ad sinistram Diaconi caput inclinat et, in partem se retrahens, deponit manipulum. Redit ad sinistram Diaconi ante Episcopum, cui aufert manipulum et, a Diacono mitra sublata, salutato Episcopo, accedit ad eius sinistram et eum adiuvat una cum Diacono ad deponenda sacra paramenta, iisdem caeremoniis, quas servavit in vestitione.

Episcopum a faldistorio surgentem salutat et, eo ab Altari discesso, ad sinistram Diaconi ante Altare venit, Cruci genuflectit in *plano* et salutato choro, semper ad sinistram Diaconi, cooperto capite in Sacristiam redit, ubi nudato capite salutat Crucem et Episcopum, et sacra paramenta deponit.

(Continuabitur.)

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro Mense Augusto propositae,

unica quae opportuno tempore ad nostram Redactionem missa est, cum iudicata fuerit non omnibus numeris absoluta, publici iuris facta non fuit. Nunc vero, typis iam praelo traditis, alia missa fuit solutio, quae digna iudicatur praemio. In fasciculo mensis Septembris publicabitur.

QUAESTIO SOLVENDA

pro mense Octobri.

Symbolum dicendum est in Missa festorum sive primariorum sive secundariorum D. N. J. C. et B. M. et Apostolorum, ut liquet ex Rubrica Missalis. Idem videtur dicendum in festis tum primariis tum secundariis alicuius praecipui Patroni ex ipsis Litteris Apostolicis Pii Papae IX, declarantis tribuere S. Ioseph Patrono Ecclesiae catholicae iuxta generales Breviarii et Missalis Romani Rubricas omnes et singulas honoris praerogativas quae Patronis praecipuis competunt, et mandantis propterea quod tam in festo Natali S. Ioseph quam in alio ipsius Patrocinii, etiam extra dominicam diem, addatur semper in Missa Symbolum. Et tamen Decretum 20 Maii 1892 relatum in nostris Ephem. Liturg. anno 1892 pag. 516 dicit Symbolum permitti pro gratia, facto verbo cum SS̃mo, in festo Inventionis S. Stephani, qui uti Patronus dioecesis die 26 Dec. rite recolitur. Quid iuris?

EXCUSATIO.

Legentes optimam Ephemeridem « Monitore Ecclesiastico » Conversanensem volventis anni, animadvertimus in Dubii 39 (*Mens. Iun. pag. 92*) solutione emendationem nimis necessariam non fuisse consideratam, ut et solutio non evaserit veritati conformis.

In X^{mo} Vol. Ephemeridum, anno 1896, pag. 520, vulgatum fuit Decretum in una *Ord. Min. Capuccinorum*, septem constans Dubiis totidemque, ut par est, relativis responsis. Ex iis Dubium IV, quod iterum velint perpendere lectores benevolos exoramus, aliquo defectu laborat vel typographico, vel amanuensis. Defectus in hoc consistit, quod in ultima li-

nea paginae, post verbum « *gaudeat* » omissum fuit verbum « *relinquere* »: per quod verbum additum totus mutatur sensus Dubii proindeque et responsi, uti perpendenti facile patebit. Nos ipsi calamo in Volumine, quo utimur, dictum verbum additum legimus, nec postea facere publici iuris emendationem omisimus. Quidquid sit, additio verbi « relinquere » necessaria et authentica est; et certa scientia nobis constat, de omissione illius verbi illiusque addendi necessitate monitum fuisse Oratorem, qui dubia volvenda proposuerat. Consequenter Ven. Lectores certiores facimus, dictum Decreti Dubium cum praefato verbo « relinquere » legendum et intelligendum esse.

Hinc sequitur, Sacerdotem, sive saecularem vive regularem, quoad Missae celebrationem alicui Oratorio addictum, prout in praedicto Dubio IV, teneri ad calendarium eiusdem Oratorii, si sit publicum; et regularem proinde debere sui Ordinis calendarium in dicta celebratione negligere, ut dioecesis sequatur. Haec iam antea fuerat sententia Ephemeridum (*V. loc. cit. pag. 346 et seq. Dub. VII*): eamdem et postea tenuit alio loco (*loc. cit.* pag. 696, Dub. VIII): eamdem omnino certam omnes Sacerdotes tenentur sequi, quippe quam lege praefati Decreti firmatam.

Haec scribere prae amore veritatis coacti sumus.

APPENDIX

SS. D. N. LEONIS PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

DE PRIVILEGIIS AMERICAE LATINAE.

LEO PP. XIII

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Trans Oceanum Atlanticum ad alteram orbis partem divinae providentiae benigna dispositione per Christophorum Columbum aperto itenere, Ecclesia Dei multa ibi mortalium millia reperit, quos, ut suum munus atque opus erat, a latebris et fero cultu ad humanitatem et mansuetudinem traduceret, ab errore et superstitione ad communionem bonorum omnium, quae per Iesum Christum parta sunt, ab interitu ad

vitam revocaret. Quod quidem salutare munus, ipso vivente adhuc repertore Columbo, ab Alexandro VI Pontifice Maximo decessore Nostro inchoatum perpetuo caritatis tenore ita Ecclesia insistere perrexit, pergit, ut temporibus Nostris ad extremam usque Patagoniam sacras suas expeditiones auspicato protulerit. Campus enim spatio interminatus, cessatione ipsa atque otio ferax, si diligenter subigatur et colatur, fructus edit laetos atque uberes, cultorumque laboribus atque industriae optime respondet.

Quamobrem Romani Pontifices decessores Nostri nullo non tempore destiterunt ad Americae culturam novos operarios summittere, quos ut acrius elaborarent praestantioreque ab opere suo fructus demeterent, singularibus facultatisbus et privilegiis auxerunt, atque extraordinaria auctoritate et potestate corroborarunt. Quibus freti Missionarii, lumine religionis catholicae per Americae regiones longe lateque diffuso, brevi interiecto annorum spatio, in iis praesertim locis ubi novi incolae ab Europa commigrantes, nominatim Hispani, domicilium sibi sedemque stabilem collocaverant. templa excitarunt, monasteria condiderunt, paroecias, scholas aperuerunt, dioeceses ex potestate Summorum Pontificum constituerunt. Ex quo factum est ut Americae magna pars ab avita religione novorum incolarum et ab origine eorum linguae haberi et dici possit America Latina.

At illud proprium est humanarum institutionum et legum, ut nihil sit in eis tam sanctum et salutare quod vel consuetudo non demutet, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in Ecclesia Dei, in qua cum absoluta immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit, ut quae olim apta erant atque idonea, ea labens aetas faciat vel inepta, vel inutilia, vel etiam contraria.

Quare antiquis privilegiis temporis decursu vel ex parte abrogatis, vel alias ut plurimum insufficientibus, singulari Maximorum Pontificum largitione, aliae adiectae sunt facultates sub determinatis formulis, vel singulis Americae Latinae Episcopis deinceps delegari solitae, vel pro extraordinariis quibusdam casibus et determinatis regionibus concessae, quarum

series si antiqua privilegia numero et extensione superat, difficultates tamen quae sunt circa naturam, vigorem et numerum eorumdem e medio non tollit. Ad haec amovenda incommoda decessor Noster sanctae memoriae Pius IX datis ad id similibus litteris die I octobris anni MDCCCLXVII plura ex antiquis privilegiis pro Republica Aequatoris ad triginta annorum spatium confirmavit, seu quatenus opus fuerat denuo concessit.

Quum vero ex monumentis ecclesiasticis Americam Latinam respicientibus, quae magna peritorum diligentia collecta atque investigata sunt, probe constet multa ex privilegiis Indiae Occidentali concessis partim haud vigere, partim in dubium esse revocanda, Nos qui Americanas gentes egregie de Ecclesia Romana meritas singulari amore prosequimur, ad tollendas in re tanti momenti perplexitates et angustias animi, quae Episcopos illarum dioecesum aliosque, quorum interest, non raro exagitant, totum dictorum privilegiorum negotium deferri iussimus speciali Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium; qui post maturam deliberationem novorum privilegiorum catalogum, exclusis catalogis summariis et recensionibus in conciliis provincialibus vel aliter editis, conficiendum censuerunt, confectumque Apostolica auctoritate probandum.

Nos igitur re mature perpensa, pro ea, quam gerimus, de omnibus Ecclesiis sollicitudine, eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ne Clerus et populus illarum regionum anteactorum privilegiorum memoria et usu penitus privati maneant, sententiam tenuimus et quae infra recensentur privilegia pro omnibus Americae Latinae singulisque dioecesibus et ditionibus de Apostolicae potestatis plenitudine ad proximum triginta annorum spatium hisce ipsis litteris concedimus. Quare, quod bonum, felix, faustumque sit et universae Americae Latinae Ecclesiae benevertat, mandamus, edicimus:

I. Ut electi Episcopi in Americae Latinae ditionibus commorantes postquam promotionis litteras Apostolicas acceperint, nisi aliter in praefatis litteris praescriptum sit, a quocumque

maluerint catholico Antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et assistentibus, si alii Episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Cathedralis Ecclesiae Canonicis, consecrationis munus accipere valeant.

II. Ut Concilii Provincialis celebratio ad duodecim annos differi possit, reservato Metropolitae iure illud frequentius prout necessitas postulaverit, celebrandi nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit.

III. Ut Episcopi Sacrum Chrisma, quod ex indico etiam, vero tamen balsami liquore fieri potest, et Olea Sacra conficere possint iis sacerdotibus adstantibus qui adstare potuerint, et, urgente necessitate, extra diem Coenae Domini.

IV. Ut adhiberi possint Sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint et peracta omni diligentia, nova vel recentiora Sacra Olea haberi nequeant.

V. Ut pro omnibus et solis regionibus seu locis, in quibus magnae distantiae causa vel ob aliud grave impedimentum perdifficile sit Parochis vel Missionariis ad Baptismum conferendum aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum circumferre, Ordinarii, nomine Sanctae huius Sedis, concedere possint Parochis et Missionariis supra dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, qua Missionarios in Peruvia apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit, quaeque in appendice ad rituale Romanum legitur.

VI. Ut si propter defectum temporis, improbamque defatigationem, aliisque gravibus de causis perdifficile sit omnes adhibere caeremonias pro Baptismo adultorum praescriptas, Parochi et Missionarii, de praevio Ordinari consensu, uti possint solis ritibus, qui in Constitutione Pauli III " Altitudo „ diei I Iunii MDXXXVII designantur. Insuper ut in iisdem rerum adiunctis Ordinarii nomine Sanctae Sedis concedere valeant Parochis et Missionariis usum ordinis Bap-

tismi parvulorum, onerata in usu huiusmodi facultatis eorumdem Ordinariorum conscientia super exstentia gravis necessitatis.

VII. Ut in omnibus et singulis ditionibus Americae Latinae, nulla excepta, omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares, quamdiu in praefatis ditionibus moram duxerint, et non alias, singulis annis die secunda Novembris seu die sequenti, iuxta rubricas Missalis Romani, qua nempe commemoratio omnium fidelium defunctorum ab Ecclesia universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint et valeant, ita tamen ut unam tantum eleemosynam accipiant, videlicet pro prima Missa dumtaxat, et in ea quantitate tantum quae a Synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit; fructum autem medium secundae et tertiae Missae non peculiari quidem defuncto, sed in suffragium omnium fidelium defunctorum omnino applicent, ad normam Constitutionis Benedicti XIV Pontificis Maximi " Quod expensis „ diei XXVI Augusti MDCCXLVIII.

VIII. Ut omnes fideles annuae Confessionis et Communionis praecepto satisfacere possint a dominica Septuagesimae usque ad octavam diem solemnitatis Corporis Christi inclusive.

IX. Ut omnes fideles lucrari possint indulgentias et iubilaea, quae requirunt Confessionem, Communionem et ieiunium, dummodo servato ieiunio, in loco inhabitent, ubi impossibile prorsus vel difficile admodum sit Confessarii copiam habere, corde saltem contriti sint cum proposito firmo confitendi admissa quam primum poterunt, vel ad minus intra unum mensem.

X. Ut Indi et Nigritae intra tertium et quartum tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possint.

XI. Ut Indi et Nigritae quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo iis temporibus, quibus ab Ecclesia prohibentur nuptiae, pompae apparatum non adhibeant.

XII. Ne Indi et Nigritae ieiunare teneantur praeterquam in feriis sextis Quadragesimae, in Sabbato Sancto, et in pervigilio Natalis D. N. I. C.

XIII. Ut praeterea Indi et Nigritae absque ullo onere seu solutione eleemosynae uti possint indulto, quod Quadragesimale dicitur, et quo fideles respectivae dioecesis seu regionis ab Apostolica Sede donantur; ideoque carnibus, ovis et lacticiniis vesci possint omnibus diebus ab Ecclesia vetitis exceptis quoad carnes diebus in superiori paragrapho XII notatis.

XIV. Ut quandocumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitanum; si vero prima sententia lata sit ab ipso Metropolitano, ad Ordinarium viciniorem absque alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur: et si secunda sententia primae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat, et executioni per eum, qui eam tulerit, demandetur, quacumque appellatione non obstante; si vero illae quae sive ab Ordinario et Metropolitano, sive a Metropolitano et Ordinario viciniore latae, conformes non fuerint tunc ad alterum Metropolitanum vel Episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia viciniorem eiusdem provinciae appelletur et duas ex ipsis tribus sententias conformes quas vim rei iudicatae habere volumus, is, qui postremo loco iudicaverit, exequatur, quacumque appellatione non obstante. Cum autem recursus ad Apostolicam Sedem etiam omisso medio, sive ante sive post sententias iudicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam iuris, in usu huius privilegii omnino servandae erunt sequentes conditiones: 1. Ut in singulis causis salva maneat cuique litiganti facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi; 2. Ut in singulis actibus expressa fiat Apostolicae delegationis mentio; 3. Ut causae maiores sint eidem Apostolicae Sedi reservatae ad normam Sacri Concilii Tridentini; 4. Et quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quae in Constitutione Benedicti XIV cuius initium « Dei miseratione » praestituta sunt.

Abrogatis deletisque Auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis Indiarum Occidentalim privilegiis quocumque nomine vel forma ab hac Sancta Sede prius concessis.

Contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die solemni Paschae XVIII Aprilis MDCCCLXXXXVII, Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

A. Card. Macchi.

NUNCIUM.

Die 23 Iulii p. p. S. R. Congr. declaravit SS. Cordis Iesu solemnitatem externam posse in aliam diem ab Ordinariis transferri, ita ut Missa solemnis excludatur tantummodo a duplicibus et Dominicis primae classis. Missae lectae a duplicibus secundae classis et feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis.

Item eadem S. C. respondit Confraternitatum sodales, in Processionibus cum SSmo Sacramento, nudo capite procedere debere. In proximo fasciculo Decretorum textus.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.

—

IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta *Patriarch. Antioch., Vicesgerens.*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph, in Vico a S. Prisca, 8. (*in Col. Aventin*).

SACRA RITUUM CONGREGATIO

I.

MEXICANA.

Beatissime Pater,

Rmus Dnus Prosperus Ioseph Maria Alarcon hodiernus Archiep. Mexicanus, S. Rit. Cong. humiliter exposuit ea quae sequuntur.

Antiquissima consuetudo quae Mexici viget penes Tertiarios et Confratres B. M. V. de Monte Carmelo recitandi idiomate hispano officium parvum B. M. V. hodie quamdam patitur contradictionem. Exstat quidem super hac re responsio authentica S. Rit. Cong. in una *SSmae Conceptionis de Chile*, qua exposita consuetudo, toleranda esse declaratur. Tamen dubitatur an memoratum decretum etiam ad Mexicanam Ditionem extendi possit. Sed alii dicunt non posse extendi ad Mexicanam Ditionem, cum non sit decretum generale; alii contendunt evidenter posse, quia adsunt identicae circumstantiae et allegant verba cl. Cavalieri: « habent Sacrae Rituum Congr. decreta, ut licet ad particularium instantias aut quaesita ea sint, ad normam et exemplum pro iisdem et similibus casibus in Ecclesia universali deserviant etc. ».

Ad omnem ambiguitatem tollendam, idem Rmus Archiep. Mexicanus a S. R. Cong. sequentium dubiorum solutionem efflagitavit nimirum:

I. An in casu, responsio edita pro Republica de Chile, rite ad Rempublicam Mexicanam extendi possit ac valeat?

II. Quatenus negative ad 1^um, an possit pro Ditione Mexicana obtineri speciale Indultum?

S. porro Rit. Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, attentisque peculiaribus circumstantiis, respondere censuit:

Ad 1^um, *Affirmative.*

Ad 2^um, *Provisum in* 1.°

Atque ita rescripsit die 15 Ian. 1897.

L. ✠ S.

CAIETANUS CARD. ALOISI-MASELLA, *S.R.C. Praef.*

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secret.*

II.

BAREN.

In oppido *Triggiano* Arch. Barensis, exorta controversia inter Confraternitatem SSmi Sacramenti et Sodalitium Tertii Ordinis S. Francisci circa praecedentiam in Processionibus, eaque delata ad Curiam Archiepiscopalem Barensem, Rmus ille Archiepiscopus die 29 Octobris 1896 sententiam protulit pro Sodalitio Tertii Ordinis. Verum ab hac sententia se gravatam sentiens, praefata Confraternitas, ad Sacrorum Rituum Congregationem rite appellavit. Quae appellationem accipiens ac statutis terminis peremptoriis utrique parti ad suas deducendas rationes, iisque expletis, in Conventu Ordinario Rotali, subsignata die habito coram infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto et Causae Ponente, proposito ac dis-

cusso dubio: *An sententia Archiepiscopi Barensis in casu sit confirmanda.* Quibus omnibus in Causa deductis accurate expensis rescribendum censuit: *Affirmative seu esse confirmandam.* Atque ita rescripsit, et sententiam Archiepiscopi Barensis in casu confirmavit.

Die 27 Martii 1897.

L. ✠ S.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*

D. PANICI, *S. R. C. Secret.*

III.

ROMANA.

Coetus Presbyterorum Saecularium S. Pauli Apostoli in Urbe Summo Pontifici Pio Papae VII humiliter significarunt, in multis templis iustis de causis non eodem, quem Ecclesia constituit, die, festum SS. Cordis Iesu celebrari consuevisse; quapropter ab Eo suppliciter petiverunt, ut veniam daret, qua Missae SS. Cordis Iesu propriae eo die celebrari possent, quo festum ageretur: simulque concederet Indulgentiam Plenariam omnibus Christifidelibus, qui confessi et Sacra Communione refecti, pias precationes in Templo, ubi festum celebratur, ad mentem Summi Pontificis D. O. M. fuderint; quibus postulationibus Sanctitas Sua ita satisfecit: « Ex Audientia SSmi Die 7 Iulii 1815. SSmus benigne annuit pro gratia in omnibus et in perpetuum, de licentia tamen Ordinariorum respective locorum quoad translationem diei festi: contrariis non obstantibus. P. F. Card. Galeffi. » Eiusmodi Rescripto Secretariae supplicum libel-

lorum Sacrae Rituum Congregationi nuper exhibito, Moderator Primariae Congregationis SSm̃i Cordis Iesu penes Ecclesiam de Pace in Urbe ab ipsa S. Congregatione humiliter postulavit: « Utrum iuxta praxim eiusdem Sacrae Congregationis, omnes Missae propriae de SS. Corde Iesu celebrari valeant in solemnitate translata ipsius SS. Cordis et qualibet die a Rm̃is Ordinariis locorum in casu designata? » Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit: « Firmiter manente Festo SS. Cordis Iesu affixo Feriae VI post Octavam Corporis Christi et quotannis recolendo cum Officio et Missa propriis iuxta Rubricas et Decreta, eiusdem festi externam solemnitatem, ad tramites Rescripti suprarelati, in aliam diem a Rm̃is Ordinariis locorum designatam posse transferri etiam cum privilegio celebrationis Missae propriae de ipsomet SS. Corde Iesu: hoc autem privilegium iuxta praxim Sacrorum Rituum Congregationis excludi quoad Missam Solemnem a duplicibus primae classis et a Dominicis privilegiatis item primae classis, et quoad Missas lectas etiam a duplicibus secundae classis, necnon a Dominicis, feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis; atque ea sub lege illud adhiberi posse, ut nunquam omittatur Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit obligatio; et serventur Rubricae. Atque ita rescripsit.

Die 23 Iulii 1897.

L. ✠ S.

C. Card. Mazzella Ep. Praenestin. *S. R. C. Praef.*

D. Panici *S. C. R. Secret.*

IV.

DUBIUM.

Postulato Sacrae Rituum Congregationi exhibito: Utrum in processionibus cum SSm̃o Sacramento confraternitatum sodales semper nudo omnino capite procedere debeant? Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae respondendum censuit: « *Affirmative*, ad tramites Ritualis Romani, Caeremonialis Episcoporum et Decretorum *Aesina* 23 Ianuarii 1700 ad 2.; *Mutinen.* 22 Septembris 1837 ad 2; et *Toletana* 31 Augusti 1872 ad II. Atque ita rescripsit, die 23 Iulii 1897.

L. ✠ S.

C. Card. Mazzella Ep. Praenestin. *S. R. C. Praef.*

D. Panici *S. R. C. Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE
SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI

IX.

Axioma est inter Rubricarum peritos a S. R. Congregatione sancitum, ut officium perpetuo impeditum ac proinde alia die repositum, in diem suam propriam statim redeat, si haec libera quacumque de causa evadat. Hinc duplex exurgit casus.

Primo: die 26 Iulii recolebatur Cordubae dies octava S. Aureae Virginis, translato officio S. Annae

dup. mai. Cum autem ex Decreto 1 Aug. 1879 festum S. Annae, hac eadem die 26 Iulii occurrens, elevatum fuerit ad ritum duplicem II classis, caeremoniarum magister Rubricarum sedulus observator festum S. Annae restituere satagebat in diem suam, cum com. diei octavae S. Aureae: Praepositus vero Capituli consuetudini magis inhaerens, nihil innovandum sustinebat. Secundo: cum ibi in Ecclesia S. Magni Mart., cuius festum agitur die 15 Febr., celebretur octava die 22 eiusdem mensis, translata Cathedra antiochena ad diem 26, accidit anno elapso 1896, ut ob feriam IV Cinerum die 19 occurrentem abrupta octava manserit, et dies 22 libera evaserit. Nunc autem inter praedictos caeremoniarum magistrum et Praepositum, eadem, quae superius, orta est controversia. *Quaeritur*:

1. Quaenam festa ius habeant ad octavam, et quo ritu celebrari debeant, ut privilegio octavae fruantur?

2. An, et qua ratione festum translatum in suam diem restituendum sit, si haec evadit libera?

3. Utrum dies octava revera sit libera retinenda, ut in eam restitui possit festum ad ritum 1. vel 2. classis evectum?

4. Quid agendum de officio translato, quando abrupta aliqua octava ob tempus vetitum, dies octava illius evadit libera, ut in casu?

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Pii Cucchi Pont. Semin. Pii alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam die 28 Aprilis 1897; acta Epitoma per R.mum Dom. Hilarium Passerini ex Praelatis Rom.

I. Quaenam festa ius habeant ad octavam et quo ritu celebrari debeant, ut privilegio octavae fruantur?

Altera festi comes, sunt verba Guyeti (*lib 1, cap. 18*), ac veluti pedissequa est octava, quae ipsum extendit ac prorogat, ut vigilia praevenit. Nam, ut ait Rodulphus Tungrensis (*De Canonum observantia, prop. 19*), « Cum festivitatum termini regulariter ponantur de Vespera in Vesperam, magnitudo festi id exigit, ut prius incipiatur et tardius terminetur; primum praestat Vigilia, secundum octava. Vetustissimus est in Ecclesia usus per octo dierum spatium festa prorogandi, et originem suam duxit a Synagoga Iudaeorum, Gavanto teste (*in Praef. ad otavar. Rom.*). Primus equidem Moyses, quamvis alias festivitates non ultra septimum terminaret diem, festum tamen Tabernaculorum, mense septimo ita instituit, ut per octo continuaretur dies, et *octavus, aeque ac primus, haberetur celeberrimus atque sanctissimus* (Levitici XXIII, 36). Et quamvis non desint qui Gavantum corripiunt, eo quod octavus dies, qui sequebatur festum Tabernaculorum ad aliud pertinebat festum, nempe ad Coetum atque Collectam; tamen animadvertit Sarnellius, bene potuisse Gavantum ab his octo diebus originem nostrarum octavarum

haurire, quia festum octavae diei reipsa connexum erat cum praecedenti. Ceterum praefatus Auctor argumentum trahit etiam ex aliis Iudaeorum solemnitatibus. Salomon enim post delatam arcam Testamenti in Templum a se Summo Deo dicatum, detinuit populos diebus octo in hostiis pacificis et holocaustis, eosque dimisit in die octava (*3 Reg. LXV*). Cum autem illud idem Templum aliquanto post fuisset profanatum, expiavit illud Ezechias Rex diebus itidem octo et sanctificavit (*Paralip. XXIX*). Haud secus praestitere Machabaei, qui diebus octo Altare dedicarunt offerentes holocausta magna cum laetitia, et sacrificium salutaris et laudis, statuto etiam huius dedicationis annuo festo ad dies octo (*1. Machab. IV.*). Huiusmodi laudabiles consuetudines non modo Dei Filius in humanis degens non abolevit, sed exemplo suo confirmavit et probavit, tum ad Encoenia, nempe anniversarium dedicationis Templi (*Ioan. X,*) tum ad Scenopegiam, quod est festum Tabernaculorum (*ib. VII*), ascendens et immorans usque ad octavam diem. His edocti Apostoli et Apostolici viri octavarum Sacramenta ad nos usque transmiserunt, et pro diversorum ratione festorum, minus magisque celebres indixere octavas. Certe ab Apostolorum tempore ex eorumque institutione teste Baronio (*anno Dom. 58 num. 82*) coeptae sunt coli Paschatis octavae, et Pentecostes, ita ut retentis nominibus quae iam erant in usu, augustiora tamen mysteria, quae nova erant in illis celebrarentur, nimirum Crucis et Resurrectionis Dominicae in Paschate, et Adventus Spiritus Sancti Paracliti in Pentecoste. Eadem autem ratione, qua Apostoli praedicta festa servanda decre-

verunt, qui iisdem successerunt, Apostolici viri reliquos dies festos cum octavis invexerunt, ut celebriores solemnitates etiam octavarum additione illustrarent. Eiusmodi fuere festa Nativitatis, Epiphaniae Domini, de quorum octavis meminit Ordo Romanus, editus in lucem Stephano Summo Pontifice, Pipino, seu Carolo Magno procurante. Octavis Ascensionis Domini, quae est festum antiquissimum, meminit Radulphus (*loc. cit.*), qui et dividit alias octavas in maiores, et minores, et maiores vocat Assumptionis et Nativitatis B. Mariae, nec non Apostolorum Petri et Pauli, minores vero Andreae, Laurentii, Martini, et penes Carthusienses. Ioannis Baptistae. Amalarius antiquior Radulpho novit octavas SS. Stephani, Ioannis Evangelistae et Innocentium. Urbanus IV instituit octavam Corporis Christi et Felix IV sancivit (*de consecr. dist. 1. cap. 17*) ut per octo dies Dedicatio colatur Ecclesiarum, et reapse in Dedicationibus Ecclesiarum Tyri et Hierosolymae a Constantino constructarum celebritatem octiduo perdurasse referunt Eusebius et Sozomenus, quorum posterior annotavit, anniversarium quoque Dedicationis Ecclesiae Hierosolymitanae quotannis celebratum fuisse per dies octo.

Refert Guyetus (*lib. 1. c. 18, quaest. 9*) quod ex octavis erant olim aliae solemnes, seu maiores, aliae non solemnes, seu minores, quarum inter se discrimen adducit Radulphus (*loc. cit.*), quod videlicet in maioribus officium diei octavae esset novem lectionum, dierum vero reliquorum trium cum solemnitate, quasi forent temporis Paschalis, et de simplicibus occurrentibus fieret tantum memoria. In minoribus vero, dies octava trium tantum erat lectio-

num et in ceteris fiebat officium de feria, vel de simplici occurrente, adeo ut eiusmodi octavis psalterii ordo non interrumperetur, nec cessarent suffragia communia, preces aliaque huiusmodi, et in officio occurrente nulla de octava fieret commemoratio. Addit Micrologus (*Cap. 10*) Romae octavis omnibus, etiam Domini nostri, excepta Paschatis et Pentecostes, psalmos de feria ad Matutinum nunquam praetermissos fuisse, licet Invitatorium, Antiphona in psalmos et responsoria de festo essent, quia tres tantum lectiones in octavis erant. Ex eodem auctore, qui floruit saeculo XI (*Cap 44*) eruitur, iuxta romanum morem in festis Assumptionis B. M. V. et S. Petri non officium, sed commemorationem tantum diebus infra octavam fieri consuevisse. Octavae minores, seu non solemnes, exclusae fuerunt a novo Breviario S. Pii V, ex Rubrica VII de octavis num. 1. Octavae autem maiores seu solemnes ita sustinentur, ut ad normam praedictae Rubricae regulari debeant, nempe ut die octava officium de ea duplex minus fiat, et infra octavam semiduplex.

Teste iam pluries citato Radulpho (*eod. loco*) octava nota est et index magnae prae aliis solemnitatis, et ideo non frequens adeo' nec trita esse debet, ut inde periculum sit ne vilescat, quae vox est Durandi (*lib. 6, Cap. 1, n. 12*); vilescit autem maxime si quamplures sint particulares et propriae. Ex particularibus et propriis tres a Rubricis approbantur, scilicet Dedicationis, Titularis propriae Ecclesiae et Patroni principalis loci. His addi possunt octavae Dedicationis et Titularis Ecclesiae Cathedralis nec non Patronorum principalium Regni vel Provinciae. Ex

universalibus in Breviario Romano sexdexim sunt constitutae, quinque de Christi Domini Mysteriis, una de Spiritu Sancto, tres de B. Maria Virgine, septem de Sanctis. Ex his aliae sunt privilegiatae, aliae non, et ex privilegiatis aliae magis aliae minus; potiori privilegio gaudent octavae Paschatis et Pentecostes, quae occurrentia quaecumque festa excludunt; octava Epiphaniae privilegio gaudet excludendi festa, quae non sunt primae classis; minori privilegio gaudet octava Corporis Christi, quae pellit festa quaecumque semiduplicia, et duplicia minora ac maiora translata. Animadvertendum aliam privilegii speciem aliquibus inesse octavis, ut nempe de iis fiat commemoratio quocumque festo occurrente; hae sunt octava Nativitatis Domini, Epiphaniae et Corporis Christi, Romae vero etiam octava SS. Ap. Petri et Pauli. Ex octavis privilegiatis aliae habentur in particularibus Ecclesiis.

Quoad ritum vero festorum, quae gaudent octava, dicendum, ex iis quae celebrantur in Ecclesia universali alia esse ritus duplicis primae classis, alia vero secundae classis. Primae classis sunt: festum Nativitatis D., Epiphaniae, Paschae, Corporis Christi, Pentecostes, Assumptionis B. V., Immaculatae Conceptionis, S. Ioannis Baptistae, SS. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum. Secundae classis: Nativitatis B. M. V., S. Laurentii, S. Stephani, S. Ioannis Evangelistae ac SS. Innocentium. Ex his quae coluntur in particularibus Ecclesiis, ex Rubricis habentur primae classis festa Dedicationis et Tituli Ecclesiarum nec non Patronorum principalium. Ex privilegio autem aliae habentur octavae, quae festa sequuntur tam primae, quam secundae classis nec non et inferioris ritus, uti ex.

gr. in festo S. Rochi in Dioecesi Taurinensi, quod celebratur sub ritu duplici maiori cum octava. Festa Patronorum et Fundatorum Ordinum seu Congregationum Regularium, non potiuntur elatiori ritu et octava nisi ex Apostolico privilegio.

II. Secundo loco quaeritur, an et qua ratione festum translatum in suam diem restituendum sit, si haec evadit libera. Ad primam huius quaesitis partem reponimus idem axioma invocantes, quod initio expositionis casus allatum est, ut officium nempe perpetuo impeditum, ac proinde alia die repositum, in diem suam propriam statim redeat si haec libera quacumque de causa evadat. Ceterum animadvertendum ne ex hoc aliquod sequatur alicuius momenti incommodum et inordinatio in Calendarii dispositione. Hoc non ex privato iudicio dicimus, sed ab ipsa S. Rituum Congregatione sancitur; et sane, requisita a Directore Calendarii Neapolitani occasione Brevis Summi Pontificis Pii VII d. d. 10 Aprilis 1818 super reductione festorum pro utriusque Siciliae Regno: « An illa festa, quae ab Ordinariis locorum assignata fuerant (aliis diebus) tamquam propriis, ratione occurrentiae cum festo Patroni principalis, sublato nunc hoc perpetuo impedimento, quia festa Patronorum principalium habent saltem rationem festorum mobilium, possint et debeant illa praedicta festa olim amota a propriis sedibus celebrari, vel retrogradi suis diebus, quibus assignata fuerunt ab initio in Calendario Romano »; respondit: « Affirmative, nisi ex hoc sequatur non levis perturbatio et confusio in ordinando Calendario (*Neapolitana*, 18 Octobris 1818, ad 8) ». Liquet et ex hoc eodem Decreto talem festi restitutionem ad suam

diem fieri nec debere nec posse quando ipsa dies non *in perpetuum*, sed tantum per *accidens* libera evadat, uti ex. gr. cum quaedam cessat octava, impedimento ferente Quadragesima. Id porro confirmatum videmus per plura S. Rituum Congregationis Decreta. Duo quae sequuntur rem plane dilucidant. « Collen. — Quum Reverendissimus Collen. Episcopus Sacrorum Rituum Congregationi exposuerit, quod in sua Cathedrali Officium Sanctorum martyrum Faustini et Iovitae recitetur sub ritu duplicis primae classis cum octava, insimul addidit, quod Officium Cathedrae Sancti Petri Antiochenae incidens ipsa die octava, assignatum fuit tamquam in sedem propriam die 25 Februarii. Interdum vero superveniente Quadragesima ac cessante octava, cum dies 22 Februarii libera remaneat, non una est cleri Collensis opinio circa assignationem huius Officii Cathedrae Antiochensis; siquidem asserentibus aliis, quod de Cathedra Antiochensi fieri debeat cum universali Ecclesia die 22, alii verius et rectius opinentur nec tunc removendum a designata die 25 Februarii. Ad tollendam quocirca quamcumque dubitationem et ambiguitatem, idem Reverendissimus Collen. Antistes ipsius sacrae Congregationis oraculum requisivit. Quae ad Quirinale in hodiernis ordinariis Comitiis adunata, ad relationem Secretarii, post diligens expositae controversiae examen, rescribendum censuit: In casu exposito dies 25 Februarii habenda est tamquam fixa Officio Cathedrae Sancti Petri Antiochenae, non obstante citata occurrentia. Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 22 Iulii 1848 ». Alterum tenoris est huius: « Meneven. et Newporten. — Quum ex Decreto

S. Congr. de Propaganda Fide Sanctus David Episcopus Confessor sit praecipuus apud Deum Patronus Dioecesis Meneven. et Newporten, eiusque festum die 1. Martii occurrens agatur ibidem sub ritu duplici primae classis et extra Quadragesimam cum octava, hinc fit ut quibus annis feria quarta Cinerum incidit post diem octavam Martii sicut contigit superiore anno 1859, eadem die sit recitandum Officium de die octava festi. Quum autem die octava Martii pro universa Anglia occurrat festum Sancti Felicis Episcopi Confessoris sub ritu duplici minori et nonnisi rarissime accidat ut eadem dies praecedat Ieiunium Quadragesimale, Rmus Episcopus Meneven. et Newporten. a S. R. Congregatione declarari petiit: utrum in Kalendario eiusdem Dioecesis praenotata dies vacua relinqui debeat pro octava S. Davidis, quamvis rarissime agi queat, translato inde in perpetuum ad primam diem liberam festo S. Felicis? Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, respondendum censuit: Affirmative. Atque ita servari mandavit. Die 24 Martii 1860 ». Ratio autem huiusmodi dispositionum in eo reponenda est, quod die impedita per accidens tantum, festum quod in illa celebrari debebat, non amittit ex hoc ius ad illam, iuxta tritum effatum, *res clamat ad dominum:* bene vero ius illud ad momentum solummodo suspensum remanet. Igitur, impedimento sublato, quod unica extitit translationis festi ratio, ac rursum libera die illa effecta, festum eiusmodi antiquum denuo ius immediate adipiscitur, seu melius illo statim utitur quod nunquam perdidit, ut illi diei restituatur, quae iam ab initio ei erat propria.

Eiusmodi quoque fuit opinio cl. Guyeti, qui (*lib. II, Cap. 2 quaest. 10*) casum proponit in quo, quia dies mortis cuiusdam Sancti ignoratur aut incertum sit, illius festum assignatum fuerit alii diei; cum autem, temporis progressu, haec dies innotuerit quid agendum quaerit; is vero statuit debere festum illud, prima relicta, suae propriae diei restitui. Ita quidem actum est de festo S. Vincentii Ferrerii, quod ab Ecclesia die 5 Aprilis recolitur, quamvis a Callisto III in Canonizationis Bulla ex incertitudine diei, sextae eiusdem mensis assignatum fuerit.

III. Ad quaestionem, utrum dies octava revera sit libera retinenda ut in ea restitui possit festum ad ritum 1. vel 2. classis evectum? videtur omnimoda veritate respondendum: negative. Dum enim alia festa, quae translationis privilegio gaudent, valent in die translata pariter integro officio celebrari, de octavis aliter se res habet, cum hoc praefato destituantur privilegio translationis, et hoc ex evidente ratione, quod secus non amplius appellari et esse possent octavae, hoc nomine cum veniat spatium nec plus nec minus octo dierum. Qua de re ista in perpetuum, quamvis gaudeant ritu duplici excludente etiam duplicia maiora, reducerentur ad ritum simplicem, nempe ad solam commemorationem, quod, non est qui non videat, quam disconveniens sit ac naturae ipsi octavae contrarium, quae nimirum, ut maius decus et solemnitatem festum ad quod pertinet accipiat, instituta est. Hoc autem non impedit quominus interdum id non eveniat, sed tunc fit tantum *per accidens*, ac proinde nil mirum, quod tamen in perpetuum quae-

dam octava ad ritum simplicem reducatur, non potest omnino admitti.

Quum igitur requiratur, iuxta genericum Rubricae sensum, ad festum diei suae restituendum, quod dies huiusmodi reipsa libera maneat, admitti nequaquam potest, festum aliquod etsi secundae vel etiam primae classis occupare possit diem octavae; haec enim, neque in casu elevationis ritus, vere libera manet, ex ratione, quam superius retulimus. Hinc sequitur, privilegium ritus duplicis secundae classis Decreto d. 1. Augusti 1879 festo S. Annae concessum, prout noster casus edicit, non secum ferre in Dioecesi Cordubensi istius festi restitutionem suae propriae diei 26 Iulii, in qua incidit octava S. Aureae Virginis. Festum igitur S. Annae quamvis duplicis secundae classis effectum, remanere debet affixum diei iam antea adsignatae, quia non verificatur, quod dies 26 Iulii vere evaserit libera.

Posset tamen quis hic obiicere, contra ea quae hucusque diximus, id quod legitur in Rubrica de octavis: « Quod si aliquod festum, quod celebrari solet cum octava, paulo ante Quadragesimam venerit, et iam per aliquot dies factum sit officium de eius octava, adveniente Quadragesima, nihil amplius fit de ea, nec Commemoratio, et idem servatur de octavis nondum absolutis, quando supervenit festum Pentecostes et dies decimaseptima Decembris ». Unde octavarum dispendium ex Rubricis, non videtur deplorandum. Reponimus huiusmodi obiectioni, quod Rubrica loquitur hic generatim, unde necessario debebat omnes possibiles futuros casus contemplari. In specie vero re considerata, primis duobus casibus, nempe

Quadragesimae et Pentecostes omissis, in quibus, cum feria IV Cinerum et festum praefatum sint mobiles, potest persaepe, quantumvis *per accidens*, vacuus manere octavus dies; in alio casu a Rubrica memorato videlicet diei 17 Decembris, in quo octava *in perpetuum* impediretur exceptionem haberemus quae regulam in contrarium firmaret. Et tamen certa scientia nobis constat nonnullas Ecclesias, quae octavam, eo tempore seu totaliter seu in parte impeditam habebant, ne deperiret, a S. Sede facultatem obtinuisse festum in aliam diem immutandi.

Nostra ceterum conclusio luculenter a S. Rituum Congregatione sustinetur in sequentibus Decretis. Primum est in *Seguntina* d. d. 14 Decembris 1883, quod his terminis in authentica Collectione legitur: « Nuper edito Decreto sub die 31 Maii 1883 S. Petrus de Alcantara inter alios ad ritum duplicis secundae classis pro universo Hispaniarum regno elevatus est, ex quo in Kalendariis dioecesanis efformandis haec statim exurgit difficultas: S. Petrus de Alcantara, diem proprium habet in Kalendario universali 19 Octobris, qua quidem ipsamet die toto Hispaniarum regno evenit celebranda octava Beatae Mariae Virginis de Columna. Eritne, gratia ritus duplicis secundae classis, celebrandus S. Petrus de Alcantara suo proprio die, nempe 19 Octobris, reducendo in perpetuum diem octavam B. M. V. de Columna ad ritum simplicem iuxta tabellam occurrentiae vel erit ne celebranda die 19 Octobris Octava B. M. V. de Columna ac S. Petrus de Alcantara cum suo ritu duplicis secundae classis transferendus in primam liberam tamquam in sedem fixam, sicuti usque huc factum fuit, aequali cum gau-

deret ritu ». S. porro Congregatio respondit: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ».

Alterum adhuc recentius datum fuit die 13 Februarii 1892 *n Calagurritana et Calceaten.* ad XIX. En cuius est tenoris: « An Sanctus perpetuo collocatus extra propriam diem in Calendario approbato a S. R. C. ob occurrentem octavam, restitui debeat ad pristinum diem postquam elevatus fuerit ad ritum 2. classis, faciendo in perpetuum de die octava sicut de simplici? Et quatenus negative, an idem dicendum ob occurrentiam alterius Sancti. sola hac differentia signanda, hoc in casu nempe, ut Sanctus non simplificetur, sed perpetuo transferatur ad primam diem liberam? Et quatenus Sanctus neutro in casu restitui valeat ad propriam diem, an saltem praeminentiam habeat super Sanctos ante ipsum, et post propriam diem perpetuo collocatos stricto ordine translationis?

Et S. Congregatio declaravit: « Negative in omnibus ».

Respondendum igitur: dies octava libera censenda non est, ut in eam restitui possit festum ad ritum 1^{ae} vel 2^{ae} classis evectum.

IV. Perscrutemur tandem quid agendum de officio translato, quando abrupta aliqua octava ob tempus vetitum, dies illius octava evadit libera, ut in casu. Hic adnotasse iuvabit octavas, quae in universali Calendario non sunt descriptae, uti supra iam innuimus, interdici a feria IV Cinerum, usque ad Dominicam *in Albis*, a Vigilia Pentecostes, usque ad festum SS. Trinitatis et a die 17 Decembris, usque ad Epiphaniam, inclusive; ita ut, quamvis aliqua octava iam incoeperit, et infra illam occurrat initium praefatorum die-

rum, ipsa maneat necessario abrupta, et consequenter dies octava vere libera evadat. Cordubae, ut dicitur in casu, in Ecclesia S. Magni M. cuius festum agitur die 15 Februarii, celebratur eius octava die 22 eiusdem mensis, unde statutum est festum Cathedrae S. Petri Antiochenae, eodem die 22 impeditum, ad diem 26 assignari. Anno proxime elapso, cum die 19 Februarii occurrisset feria IV Cinerum, octava S. Magni abrupta fuit, et libera dies 22 evasit. Num hoc in casu festum Cathedrae Antiochenae ius habebat diem propriam recuperandi? Ut adamussim respondeatur, considerandum est, an, iuxta superius dicta, haec dies 22 *in perpetuum*, an *per acciden* libera facta sit. Ast cum pateat illam *per accidens* tantum liberam evasisse, eo quod Quadragesimale tempus supervenerit, quod impedimentum quotannis non fert, sequitur, iuxta iam exposita, festum Cathedrae S. Petri non debere ex hoc ad suam pristinam diem restitui, bene vero manere diei 26 Februarii iampridem ei assignatae affixum.

Haec, praeter probatissimorum auctorum sententiam, habent tutricem ipsam S. Rituum Congregationem. Ab Ecclesia Cathedrali Collensi ob festum cum octava Ss. Mm. Faustini et Iovitae, quod incidit die 15 Februarii, idem casus ac noster praefatae S. Congregationi propositus fuit; quae die 22 Iulii 1848 respondit: « In casu exposito dies vigesimaquinta Februarii (ad quam assignatum fuit Officium Cathedrae Antiochenae) habenda est tamquam fixa Officio Cathedrae S. Petri Antiochenae, non obstante citata occurrentia (Quadragesimae expellentis octavam Ss. Mm.) ».

Concludimus ergo, ex rationibus allatis, ex vera

et legitima Rubricarum interpretatione, nec non ex S. Rituum Congregationis responsis, nihil debere in duobus propositis casibus immutari, sed officium S. Annae et aliud Cathedrae S. Petri retineri diebus olim assignatis, prout contra magistri caeremoniarum assertum Praepositus sustinebat. Et sane in primo casu non verificatur conditio requisita, quod nempe dies 26 Iulii vere libera evadat, nullimode obstante elevatione festi S. Annae ad ritum dupl. 2-e classis, et in altero casu, quamvis dies 22 Februarii vere libera manserit, ob supervenientem Quadragesimam, tamen cum id factum sit tantum per *accidens* et non in perpetuum, officium Cathedrae Antiochenae non est amovendum ab adepta die 26 Februarii.

QUAESTIONES ANNI 1895-96

IX.

1. *Quaenam Mitrae antiquitas, eiusque usus in Abbatibus?*

2. *Quotuplex, iuxta Caeremoniale Episcoporum, Mitrae distinctio, et quaenam Abbatibus, illius privilegio fruentibus, competat?*

3. *Quid iudicandum de functionibus quas pontificali more in pluribus Ecclesiis Abbas exercuit, et praesertim de Altarium consecratione, ut in casu expositum est, quidque vi iuris hac super re tenendum?*

CONCLUSIONES.

Ex dissertatione R. D. P. D' Ambra habita die 29 Aprilis 1896, Epitomatore Rmo D. Nicolao D' Amico.

I. Mitra est ornamentum capitis, quod deferunt Summus Pontifex, Episcopi, Abbates et alii Praelati in signum honoris et iurisdictionis. Quoad eius antiquitatem videtur ad ipsum aevum Apostolicum esse referenda, quamvis non semper una fuerit eius forma, figura et materia, ac iisdem nominibus appellata. Argumentum satis evidens circa usum Mitrae ab Apostolis introductum habetur in Epistola Theodosii Patriarchae ad S. Ignatium Patr. Costantin. in Concilio VIII relata, anno 879, hisce verbis: « *Poderem et superhumerale cum mitra et Pontificalem ornatum S. Iacobi fratris Domini, et primi Archiepiscoporum quo antecessores mei patriarchae circumamicti semper in Sancta Sanctorum ingrediebantur sacerdotio fungentes, et Sanctum calciare, quo et ipse indutus sum, eadem gerens, tuo desiderabili, et honorando capiti, ex amore et dilectionis copia transmisi.* »

Autumant nonnulli a S. Clemente I anno 93 inter insigna quae Episcopis detulit, etiam mitram comprehensam fuisse. Sed Clar. Thiers putat Silvestrum I inter latinos Episcopos primum mitram gestasse. Sed sunt qui, cum in Sacramentariis Gelasii I et Gregorii I ne verbum quidem de mitra inveniatur, existimant usum mitrae non esse antiquiorem saeculo X.

Sed reponi potest huiusmodi difficultati, usum mitrae non fuisse universalem omnibus Episcopis ante saeculum X vel XI; immo eis non licebat deferre mi-

tram, nisi speciali privilegio a SS. Pontificibus obtento. Ita cl. Mabillon refert privilegium circa usum mitrae a S. Leone IV anno 847 Anscorio Ep. Amburgen. eiusque successoribus concessum.

Consulatur etiam liber cui titulus: *Cronache di Fiandra* lib. X cap. 10, ubi legitur Alexandrum III ita ad Godwaldum Ep. anno 1059 scripsisse: « *Episcopalem mitram tibi, tuisque successoribus deferendam concedimus* ». Ceterum quod in documentis antiquioribus nomen mitrae non semper reperiatur, nihil refert, nam aliquando aliis nominibus appellata fuit. Ita ex. gr. a S. Augustino, *Apex*; ab Hemmodio, *Sestum cum gemmis*; ab Ammiano Marcellino, *Corona Sacerdotalis*; ab Isidoro, *Tyara*, *Pyleum*, *Galea*; ab Ugone a S. Victore, *Infula* dicta est.

Haec satis sint de antiquitate mitrae. Relate autem ad eius usum in Abbatibus notum est Alexandrum II anno 1067 mitram Abbatibus S. Augustini prope Cantuariam et SSmae Trinitatis Caven. primum concessisse. Deinde eodem privilegio donati fuerunt ab Urbano II anno 1088 Abbates Montis Casini et Cluniacenses. Clemens IV vero mandavit quod Abbates exempti mitram auriphrygiatam, et non exempti simplicem gestassent (V. Const. XVII).

II. Iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. I Cap. XVII) Mitra triplicis speciei est, videlicet: « *una quae praetiosa dicitur, quia gemmis et lapidibus praetiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet; altera auriphrygiata sine gemmis et sine laminis aureis, vel argenteis; sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermixto, vel ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis; tertia, quae*

simplex vocatur, sine auro, ex simplici serico Damasceno, vel alio, aut etiam linea ex tela alba confecta, rubeis laciniis, seu frangiis et vittis pendentibus.»

Abbatibus, illius privilegio fruentibus, iuxta Decretum ab Alexandro VII emanatum die 27 Sept. 1659 competit mitra auriphrygiata et simplex, non vero praetiosa, nisi illis a S. Sede indulta fuerit (V. Dec. cit. n. 8).

III. Ex decreto Alexandri VII, de quo supra, et ex variis S. R. C. responsis eruitur: Abbates, usum Pontificalium habentes, pontificaliter celebrare posse in propriis tantum Ecclesiis, ab Episcopali iurisdictione exemptis. (*Dec. cit. n. 8, et S. R. C. 27 Aug. 1822, ad 2*). In Ecclesiis autem non exemptis vetantur Pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia (*S. R. C. 27 Aug. 1822, ad 3*). Invitati ad aliam Ecclesiam exemptam nequeunt in illa uti Pontificalibus (*Dec. cit. n. 10*), nisi ex speciali indulto et expresso consensu Ordinarii loci (*S. R. C. 18 Dec. 1846*). Pontificalia celebrare possunt ter in anno, non ad libitum, sed illis diebus, de praecepto festivis, seu talibus, quae in n. 5 eiusdem Dec. enumerantur; et his diebus pontificaliter celebrare possunt Missam, Vesperas et Matutinum cum Laudibus *(Dec. cit. n. 13 et 17)*. Si quando Pontificalia exercent benedictio cum SS. Sacramento danda sit, possunt cum eodem triplicem benedictionem impertire (*S. R. C. 13 Iunii 1693*).

Demum circa Altarium in Ecclesiis licet propriis sive portatilium sive fixorum consecrationem, dicendum est: paucos esse qui habent hoc speciale privilegium, a S. Sede concessum, nam de iure communi Abbates

haec nullatenus peragere possunt. Patet ex variis Decretis a S. R. Congr. emanatis, ex gr. Dec. Nullius Dioecesis Prov. Tarraconen. die 12 Augusti 1673 et Andomaren. in Flandria die 14 Apr. 1674.

Potest etiam consuli Bulla Urbani II ad Petrum Abbatem Cavensem, diei 18 Kal. Octobris anni 1092, in qua haec habentur: « *Concedentes et edicto perpetuo confirmantes, ut tam tu, quam successores tui per terras tui monasterii habitas et habendas, libere possis ecclesias construere, cum cruce signare, aliaque Pontificalia et spiritualia exercere, sacrorum ordinum collatione, Basilicarum et* **Altarium Consecratione,** *ac Chrismatis confectione tibi, tuisque successoribus dumtaxat* **abdicata penitus potestate** ».

Ex hucusque dictis consequitur, Abbatem in casu male egisse huiusmodi Pontificalia exercendo in ea Ecclesia, nisi haec Ecclesia fuisset exempta et ipse ex speciali privilegio, ut supra, donatus, habuisset consensum Ordinarii loci. — Relate ad mitram, qua est usus, videndum est utrum privilegium mitrae pretiosae haberet nec ne. Quod etiam est dicendum de Altarium consecratione.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Bruxellis.* **De imaginibus personarum cultum non habentium super altaribus.** Novimus Decretum S. Rituum Congregationis diei 14 Augusti 1894, quo permittuntur iu Templis depingi figuras eorum, qui in albo Sanctorum non sunt recensiti, vel pro quibus

cultus ab Ecclesia non est approbatus, dummodo non depingantur cum sanctitatis signis ; sed quid dicendum de imaginibus, quae una cum B. Virgine vel Sanctis super altaribus ponuntur, uti v. gr. puella Bernadette nuncupata, ad pedes B. V. de *Lourdes*, et pastores coram B. V. *de la Salette*?

Resp. Imago B. M. V. vulgo *de Lourdes* nuncupata non prohibetur exponi super altaribus cum adiunctis respectivae apparitionis, nempe figura adiecta puellae cui apparitiones factae sunt. Hanc trahimus conclusionem ex recenti Decreto S. R. C. quod permittit Imaginem B. V. *de Lourdes* in quodam Altari, quamvis in alio extaret alia B. M. V. Immaculatae, adiiciens clausulam, dummodo cum *adiunctis apparitionis* repraesentetur; quae autem sunt haec adiuncta nisi effigies puellae, specus, etc.? Ceterum Decretum 14 Augusti 1894 ab Adm. Rev. Inquirente allatum nihil ad rem habet; nec quidquam fieret contra Decretum Sacros. Tridentinae Synodi, et Urbani VIII Constitutionem, diei 15 Martii 1642. Nonne ubique videmus seu pictas tabulas seu statuas, Christi Domini, B. Virginis, et Sanctorum cum figuris personarum quibus cultus profecto non debetur? quinimo offenduntne pios oculos figurae symbolicae, seu ipsiusmet detestabilis daemonis? Concludendum ergo, huiusmodi imagines non esse ad cultum, sed tantum haberi uti Sacrarum imaginum adiuncta, quae proinde non vetantur. Quod vero specialiter attinet B. Mariae imaginem *de la Salette* nuncupatam, quantum scimus, vetita est exponi cum pueris ex peculiaribus causis, quae apparitionem ipsam tangunt, non vero illius repraesentationem.

II. *E Civitate N. in Gallia.* **De concurrentia Octavae**

festi Ss. Petri et Pauli, cum Octava SS. Cordis Iesu Ecclesiae Titularis. Iuxta doctrinam Ephemeridum Octava festi Ss. Apostolorum Petri et Pauli praevalet Octavae SS. Cordis Iesu, ubi hoc ultimum festum rationem habet Titularis Ecclesiae. Ratio est quia festum universalis Ecclesiae festum locale superat. Hoc posito, quaeritur quomodo ordinandae erunt Vesperae die 6 Iulii 1905, in concursu diei Octavae Apostolorum cum octava die Cordis Iesu?

Resp. Ex recentioribus Decretis, in octavis festorum consideranda venit dignitas et solemnitas prout in diebus festis; si ergo, iuxta Decretum S. R. C. in altera Ord. Min. S. Franc. Capuc. diei 27 Iunii 1896 ad IV, octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, eo quod sit solemne festum universalis Ecclesiae, praevalere debet alii S. Cordis Iesu, festo locali prout Ecclesiae Titulari, ita et anno 1905 ipsa octava dies Ss. Apostolorum concurrens cum die octava SS. Cordis habebit integrum Officium, octava SS. Cordis tantummodo commemorata, non obstante Decreto *Urbis* 22 Maii 1896, quo octavis festi Domini primariis privilegium confirmatur, quod nempe non cedant nisi duplicibus secundae classis. Num dies festus minus privilegiatus extabit quam dies eius octava? Num qui ingressus est cum honore egredietur cum dedecore?

III. *Ex eodem loco.* **Iterum de sensu genuino Decreti circa Orationes et Sequentiam in Missis de Requie.** Quidam dixerunt Sequentiam dicendam esse in quibusvis Missis cantatis « absque alla prorsus exceptione » in Missis vero privatis, quae diebus privilegiatis fiunt. Ita praesertim in Gallia diarium « Le Canoniste contemporain (Octob. 1896) » ; ita etiam « Le Bul-

lettin du Dioecèse de Bayonne, etc. etc. » Alii vero, quibus omnino suscribo, asserunt Sequentiam dicendam esse in Missis, quae celebrantur diebus privilegiatis, sive cantatae sive lectae sint. Porro inter dies privilegiatos eos tantum computari debere, qui enumerantur in paragrapho I supradicti Decreti, scilicet dies in quibus una dicenda sit Oratio. Iuxta hanc interpretationem, novum Decretum optime congruit cum Rubrica Missalis, quae Sequentiam dicendam praescribit quando una dicenda sit Oratio. Quid videtur Redactoribus Ephemeridum Liturgicarum ?

Resp. Decretum Generale *Orationum et Sequentiae in Missis Defunctorum*, Rubricas interpretatur, et, *ut omne tollatur dubium*, declarat : « V. Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam *in quibusvis cantatis Missis* », sive nempe privilegiatis, sive non privilegiatis, « uti etiam in lectis, quae diebus ut supra privilegiatis fiunt; » ubinam aequivocatio ? Intelligis ? In *quibusvis* cantatis, *non in quibusvis* lectis, sed ex his, in iis quae sunt privilegiatae.

Verum est Rubricam Missalis (*Tit.* V. *de Missis Defunctorum, n. 1*) statuere, quod in Missis, in quibus plures dicuntur orationes, Sequentia relinquitur *ad arbitrium Sacerdotis.* Id tamen dicendum interpretationem hanc subiisse, ita ut post Decretum 30 Iunii 1896, non amplius sit in Sacerdotis arbitrio Sequentiam omittere *in Missis quibusvis*, quae cum cantu fiunt, sed illa omnino dicenda sit in casu (V. dicta in Ephem. Liturg. mens. Ianuar. curr. anni pag. 37, b).

IV. *Ex oppido Zabarcos in Hispania.* **De Crucis signo ad verba:** *Initium*, **vel** *Sequentia Sancti Evangelii*

etc. Quid significant Cruces in Missalibus exaratae, non excepta typica editione Tornacensi, ante verba *Initium* vel *Sequentia* ad Evangelium Missarum? Nonne quod Evangelium signandum sit in loco ubi Crux invenitur, prout indicari solet in benedictionum formulis, quae sive in Missalibus, sive in Ritualibus inveniuntur, et prout clarius exprimere voluerunt plurium Missalium editores in Hispania? Si super Crucem fieri signum non debeat, ad quid depingitur?

Resp. Iuxta Rubricam Missalis de Ritu servando in celebratione Missae Titul. VI, n. 2, quae plane concordat cum altera inscripta in Caeremoniali Episcoporum Libr. II cap. 8, nn. 41 et 46, Sacerdos vel Diaconus, lecturus aut cantaturus Evangelium, *pollice dexterae manus signo Crucis signat.... librum super principio Evangelii:* vel, ut ait Caeremoniale.... *signat pollice dextero textum Evangelii.... signat librum ubi est textus Evangelii.* Unde sequitur quod Crux fieri debet non super verba *Initium*, vel *Sequentia*, sed super primum, vel prima verba *textus* ipsius Evangelii, id est, ex. gr. in Evangelio Missae Sanctae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph super verba *Cum factus esset*, in altero e Missa S. Ioann. Gualberti super verba *Audistis etc.* et sic de ceteris. Neque dicendum venit signum fieri debere ubi Crux signatur; Crux enim in liturgicis codicibus exarata, quae etiam in typica Missalis editione Tornacensi 1892 invenitur et praecedit verba *Initium* vel *Sequentia*, non significat quod Evangelium signandum est ubi invenitur Crux ✠ (ut indicare videntur Missalia in Hispania exarata, in quibus Crux rubeo inscribitur colore, quasi habenda sit ut Rubrica), sed illud signum intro-

ductum est, vel ut ictu oculi inspiciatur principium Evangelii, vel potius ad innuendum ipsum Crucis signum super textum faciendum esse, non quando legi incipit, sed quando verba proferuntur *Initium*, vel *Sequentia Sancti Evangelii etc.* Ceterum plura exemplaria, praesertim vetera, idem signum non habent, et Rubricae satis clarae sunt.

Hinc non subscribimus cl. De Herdt (*Pars. 2, n. 2, 19*) docenti; « signo Crucis signat primo librum super principium Evangelii, quod est lecturus, vel super signum Crucis, si ad initium Evangelii impressum reperiatur »; sed standum omnino Rubricis et earum intrinseco sensui, quod nempe reipsa signetur Evangelium.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Labaro.* Auctores communiter docent, Clericos euntes in Chorum, debere, facta debita reverentia Altari, sibi invicem exhibere capitis inclinationem; cum autem huius inclinationis ratio in eo consistat, quod tunc invicem separentur, ut unus unam Chori partem, alius alteram petat, exeundo e Choro, uti per se patet, praefata inclinatio locum amplius non habet.

II. *Pro eodem loco.* Ante S. Communionis distributionem extra Missam, si minister idoneus omnino desit (*S. R. C. 31 Mart. 1879*), Sacerdos recitans *Confiteor* iuxta plures genuflectere debet, vel super ultimo Altaris gradu, vel in labio suppedanei. Nobis tamen non arridet huiusmodi consuetudo, sed consultius au-

tumamus Sacerdotem stantem inclinatum ante Altaris gradus praedictam Confessionem recitare. Ratio est, quia si Diaconus in Missa solemni eam stans inclinatus facit, et est minister, a fortiori Sacerdos (utique inclinatus) stare debebit. Si vero prima consuetudo retineatur, saltem sine stola id peragat Sacerdos, illam postmodum sumpturus.

III. *Pro eod. loco.* Subdiaconus sive sustinens Patenam, sive non, in Missa solemni, iuxta sententiam plurimorum, cum probatissimis auctoribus, non genuflectet stans in plano post Celebrantem ab Elevatione usque ad *Pax Domini.*

Nota. Rmus Inquirens exactam casus a se propositi solutionem (de festo impedito in sua octava celebrando) inveniet in num. 5 huius anni pag. 298.

IV. *Pro Dioec. Pacensi in Hispania.* 1. Festum quodcumque tempore Pascali occurrens ritu tempori convenienti celebrandum est, sive in Officio sive in Missa, unde etiam festum peculiare SS. Trinitatis pro Hispania concessum die 8 Maii celebrandum eundem ritum sequetur. Unde in Missa, Graduali omisso, bene sumentur *Alleluia* cum versiculis iuxta ritum paschalem ex Missa votiva SS. Trinitatis in fine Missalis.

2. Symbolum « Quicumque » in eodem festo dicendum est tam in Dominica occurrente, quam extra; namque Decreti 5 Maii 1736 dispositio, quod nempe ubi peragitur octava festi eiusdem Mysterii, quod celebratur in Ecclesia universali, diebus infra dictam octavam non sit recitandum, videtur procedere non tantum ex eo quod tantum ratione Dominicae dicendum sit, sed et quod ad solemnitatem maiorem pertineat, qua celebrantur dies festus et eius octava: ceterum quomodocum-

que se res habeat, in concessione dicti festi S. R. Congregatio, citra illa quae sunt propria, omnia sumenda edixit e festo prout extant in Breviario.

V. *Pro eodem loco.* Decretum 31 Aug. 1793, in *Asculana* collatum cum alio 13 Martii 1700 *Archipae* ad 1., ita intelligi debet, nisi in nova Decretorum collectione aliter disponatur, ut exposito SSmo Sacramento in Altari Chori nonnisi Episcopo reverentia fiat in accessu et recessu ; aliud vero Decretum (27 Febr. 1847 in *Aretina)* a cl. Solans relatum in casu, ad rem non facit, quia decernit de reverentia Episcopo non prestanda, eo quod hic diceretur *genuflexus* coram SSmo Sacramento exposito.

VI. *Pro eodem loco.* Officium solemne Defunctorum prohibetur per totum triduum Maioris Hebdomadae, et Officium et preces recitandae privatim (S. R. C. 11 Aug. 1736 in *Placentina*); utrum hoc extendendum sit, e parte initii, ad vespertinum tempus feriae IV, eo quod iam inceperit per Matutinum tenebrarum triduum praefatum, non videtur dubitandum, hinc et privatim Officium eo tempore faciendum et sonus campanarum parcior adhibendus.

VII. *Pro oppido Zabarcos in Hispania.* Eo quod Capitulum semel pro semper Officia votiva ad libitum admiserit, iuxta S. R. C. Decreta, non amplius ei licet ab illa determinatione recedere, absque S. ipsius Congregationis Indulto, quamvis cum acceptatio facta fuit, ignoraretur obligatio duarum Missarum canendi in Vigiliis, feriis Quatuor Temporum etc. Ratio est, quia, qui commodum sentit et onus sentire debet, et si aliter se res haberet, passim irritae fierent plurimae, nisi omnes, leges. Ceterum Decretum

24 Novembris 1883 non est nisi declaratorium, non enim agitur de novo praecepto, sed ex Rubricis et Decretis iam subintelligi debuerat talis obligatio.

VIII. *Pro Longobardia.* Pro interpretatione Decreti S. R. et U. Inquis. diei 16 Maii 1866 haec considerandа sunt: Si dubium mansuerit an suicida fuerit compos sui, *dari potest ecclesiastica sepoltura*, ergo deferri potest e domo ad Ecclesiam, ab Ecclesia ad locum sepulturae, qui sacer erit prout pro ceteris in sinu S. M. Ecclesiae demortuis. Porro iuxta Ritualis praescriptum haec omnia peragentur, secus non haberetur amplius ecclesiastica sepultura; cum autem dicatur *Vetitis tamen pompis et solemnitatibus exequiarium*, ea quae *necessario* requiruntur iuxta illius codicis Rubricas servanda sunt, ea vero quae tantummodo *ad pompam* peragi solent eliminanda; huiusmodi erunt magnus Sacerdotum et confratrum nec non cereorum numerus, cantus, nobilior apparatus in Ecclesia. Num vero Missa solemnis exequialis prohibeatur, ancipites haeremus, quippe quod, ex una parte, Rituale nimis instat ut Missa, quae generatim solemnis esse debet, celebretur, ex alia parte in Decreto solemnitates exequiarum prohibentur. Unde, quum Missa sit praecipuum animarum solamen et exequiarum potissima pars, hic quoque, sublatis magnae solemnitatis indiciis, vetitam esse non credimus.

IX. *Pro eodem loco.* Iuxta superius dicta (N. II) et Decretum de festis primariis et secundariis infra octavas SS. Cordis Iesu, Titularis Ecclesiae, et S. Ioannis Baptistae praecedentia debetur octavae S. Ioannis eo quod eius festum sit universalis Ecclesiae, secundo loco fiet de octava Titularis Ecclesiae, quia fe-

stum Titularis est primarium, tertio de octava SS. Cordis Iesu, cuius festum est secundarium. Nihil autem officit, quod dies infra octavas declarati fuerint omnes pariter secundarii, quia ratio expetenda est aliunde, nempe ex qualitate festi, ex qua procedit, quod et inter officia quamvis secundaria, diversitas conditionis consideranda sit.

X. *Pro eodem loco.* Post Decretum Generale datum die 8 Februari 1896 abrogata censenda sunt alia, diei 18 Dec. 1779 pro Regularibus, quibus declaratum fuit addere posse *Credo* etiam quando celebrant in aliena Ecclesia, et aliud simile datum 17 Iulii 1876 pro Benedictinis; ratio autem per se patet, quia si etiam Regulares tenentur in omnibus sequi ritum et ordinem Ecclesiae in qua celebrant, huc reducitur etiam recitatio Symboli, vel eius omissio iuxta illius Ecclesiae Ordinarium, exceptis semper diebus in quibus Missam praedicti celebrabunt, ritu Ecclesiae permittente, iuxta proprium Ordinarium.

CAEREMONIALE
PRO MISSA ET VESPERIS PONTIFICALIBUS AD FALDISTORIUM

(*Cont. V. n. 8, pag. 552*).

CAPUT IV.

De Episcopo in Missa Pontificali ad Faldistorium.

Episcopus, rocchetto et mantelletto indutus, cum cruce pectorali, hora indicta, aderit in Sacristia et sedet sede sibi praeparata. Ad nutum Caeremoniarii ante eum clerici de libro et de candela, superpelliceo induti, ac-

cedunt et, facta ei reverentia, minister de libro aperit Canonem eumque sustinet, a sinistris ministri de candela, ante Episcopum, qui incipit legere Psalmos *Quam dilecta etc.* Hoc tempore accipit caligas et sandalia a suo familiari, repetita antiphona *Ne reminiscaris etc.* nudato capite, surgit et versus Altare dicit *Kyrie eleison* et orationes. Quibus absolutis, sedet et, si velit, alias orationes quae in Canone habentur, recitabit. Absoluta praeparatione, et sacris ministris de Sacristia discessis, ipse surgit, detecto capite, et, cauda a suo familiari expedita (1), inclinatione Imagini praecipuae Sacristiae facta, caput cooperit et pergit ad Altare. In ingressu Ecclesiae signat se, detecto capite, aqua benedicta a Presbytero assistente sibi porrecta. Cum presbyterium ingreditur, caput detegit, salutat chorum (si adsit) et, ubi pervenerit ante Altare, Cruci reverentiam facit et genuflexus super pulvino, in infimo gradu posito, orabit aliquantulum. Surgit et rursus reverentia Cruci et choro prius versus latus Evangelii et postea Epistolae facta, ad faldistorium accedit et sedet versis humeris ad Altare (2).

---

(1) Si vero in Ecclesia adsit consuetudo ut Episcopus expediat caudam ad Altare, potest servari.

(2) Si Episcopus praeparationem et gratiarum actionem ad Alare peragat hoc modo se geret: quin in Sacristia caligas et sandalia accipiat, expedita cauda, ad Altare pergit, ubi se gerit ut diximus, et postquam in faldistorio sederit, tunc praeparationem Missae persolvit, ut in Sacristia, alternatim cum ministris dicens Psalmos *Quam dilecta etc.*; quo tempore accipit sandalia et caligas. Idem servetur in gratiarum actione, quo tempore dimittit sandalia et caligas, et redit, cauda expedita, in Sacristia.

Si Episcopus, in casu de quo supra, in Sacristia paramenta capiat et deponat, tunc in loco sibi praeparato, haec accipit iisdem caeremoniis ut ad Altare. Et omnibus sacris paramentis indutus, facta Imagini praecipuae Sacristiae reverentia, medius inter Presbyterum assistentem et Diaconum procedit ad Altare, signans se in ingressu Ecclesiae aqua benedicta a Presbytero assistente porrecta. Eundem ordinem servabit in reditu. Eodem modo, quo ad Altare, in Sacristia deponit sacra paramenta.

Biretum tradit Diacono, dein osculatur Crucem, mox a Diacono ei sublatam, et, mantelletto deposito, biretum iterum recipit et caput cooperit. Dein a Diacono sibi annulo sublato, ministrantibus duobus suis familiaribus stantibus, lavat manus, praebente mantile Presbytero assistente. Postea, antequam capiat amictum, biretum Diacono consignat, et, muniens se signo Crucis, sacra paramenta accipit, adiuvantibus ministris, debitis servatis caeremoniis, ut in capitibus praecedentibus diximus. Postquam a Diacono mitra pretiosa sibi imposita fuerit, accipit de manu Presbyteri assistentis annulum pontificalem.

Ad nutum Caeremoniarii, habens ad dexteram Presbyterum assistentem et ad sinistram Diaconum et Subdiaconum, surgit de faldistorio, salutat chorum in cornu Epistolae et, cum in medio pervenit, antequam ad Altare se vertat, salutat chorum in parte Evangelii, demum versus ad Altare ante infimum eius gradum, a Diacono nudatur mitra, et facta Cruci profunda reverentia, junctis manibus, incipit Confessionem. Ad verba *Vobis, Fratres* et *Vos, Fratres* caput inclinat erga ministros. Cum dixerit *Indulgentiam, absolutionem etc.,* accipit manipulum de manu Subdiaconi, osculata prius Cruce, et prosequitur *Deus, tu conversus etc.* « Finita Confessione, Episcopus extendens ac jungens manus, clara voce dicit *Oremus* et ascendens ad Altare... dicit submissa voce *Aufer a nobis etc.,* deinde manibus junctis super Altare, inclinatus dicit *Oramus te, Domine, etc.,* prout habetur in Missali, et cum dicit *Quorum Reliquiae hic sunt etc.*, positis hinc inde super Altari manibus extensis, osculatur illud in medio,.... et statim ambabus manibus tangens librum Evangeliorum.... illum osculatur, adiuvante Presbytero assistente ».

Deinde « imponit et benedicit thus more solito, et, accepto thuribulo de manu Diaconi, thurificat » Crucem triplici ductu, Reliquias, si adsint, in medio sub Cruce positas, duplici ductu, postea, si adsint, omnes Reliquias

simul in cornu Evangelii, per modum unius, duplici ductu, et similiter alias in cornu Epistolae, demum Altare, ut in Caeremoniali Episcoporum latissime explicatur (1). « Reddit thuribulum Diacono, et, accepta mitra pretiosa » a Caeremoniario, « stans in cornu Epistolae, manibus junctis, incensatur a Diacono triplici ductu.... Tum ex eodem loco facta Cruci reverentia.... » conversus super sinistram suam descendit de Altari et ad faldistorium venit, ubi sedet et, deposita mitra, denuo surgit et per latus suum sinistrum (quod semper in vertendo se ad Altare observabit) convertitur ad Altare et, « facto sibi signo Crucis a fronte ad pectus, legit Introitum » et dicit alternatim cum ministris *Kyrie eleison*. Quo dicto, si prolixitas cantus id postulet, sedet, vertens se per latus suum dexterum (quod observabit in vertendo se ad populum), et accipit mitram auriphrygiatam a Diacono et a Subdiacono gremiale, cui superponit manus.

Circa finem *Kyrie eleison*, depositis gremiali et mitra, finito cantu, surgit, convertit se, ut supra, ad Altare et « cantat alta voce *Gloria in excelsis Deo*, disjunctis elevatisque manibus ad altitudinem humerorum.... et cum dicit *Deo*, jungit manus et caput inclinat.... et prosequitur » hymnum « submissa voce cum suis ministris ». Quo finito, sedet et accipit, ut ad *Kyrie*, mitram et gremiale. Ad verba, quae in capite I adnotavimus, caput inclinat aliquantulum versus Altare.

Finito hymno, « surgit Episcopus, depositis gremiali et mitra,.... et stans versus populum, elevatis et statim junctis manibus, cantat *Pax vobis*, deinde conversus ad Altare, extensis et statim junctis manibus, *Oremus*, et iterum, extensis manibus, Orationem et cum dicit conclusionem.... Orationis, idest *Per Dominum nostrum etc.*, denuo jungit manus » et cum dicit *Iesum Christum* caput versus Crucem inclinat. (1) Orationibus absolutis, sedet et a

(1) Lib. Cap. I XXIII

(1) Circa inclinationem capitis faciendam quoties nomina proferuntur B. M. V. vel Sanctorum, referre juvabit quod in

Diacono accipit mitram et gremiale. Dum Subdiaconus cantat Epistolam, si in hac essent verba ad quae inclinare se deberet, observat ea quae in *nota* posuimus. Subdiacono ante se genuflexo (vel inclinato, ut suo loco diximus), porrigit manum dexteram osculandam, eam imponens super libro et dat ei benedictionem. Deinde « ex libro Missali legit Epistolam, Tractum vel Graduale, vel *Alleluia*, vel Sequentiam et alia usque ad finem Evangelii, quod antequam incipiat, junctis manibus, dicit *Munda cor meum etc.* et *Iube, Domine etc.* et *Dominus sit in corde meo etc.* et *Dominus vobiscum....* et legens titulum signat pollice dextero textum Evangelii, deinde seipsum in fronte, ore et pectore, mox junctis manibus, prosequitur Evangelium ». Quo finito, in thuribulum, quem tenet thuriferarius ante ipsum stans, imponit et benedicit, more solito, incensum, sibi a Diacono ministratum. Diacono benedictionem ante Evangelii lectionem petenti Episcopus respondit *Dominus sit in corde tuo etc.* et facit super eum triplex signum Crucis ad verba *in nomine Patris etc.*, et imponens dexteram manum super libro dat eam illi osculandam. Ministris ab Episcopo discessis, Caeremoniarius aufert ei gremiale et mitram, non vero pileolum. Episcopus surgit et versus Diaconum, manibus junctis, assistit cantui Evangelii, in cuius initio « signat se a fronte, ore et pectore», solitis reverentiis ad Altare vel ad librum, si oportet, servatis. Finito Evangelio, Episcopus imponens utramque manum libro a Subdiacono sibi porrecto, ob-

---

Decreto die 13 Februarii 1892 sancitum fuit a S. R. C. videlicet: « *Inclinationem capitis faciendam in festis Sanctorum tantum, quoties nomen eorum, de quibus celebratur Missa, vel fit commemoratio, exprimitur ;.... et ad nomina B. M. V., aliorum Sanctorum et Summi Pontificis inclinationem dirigendam versus librum seu nomen in libro expressum, nisi in loco principali Altaris habeatur statua vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam, quia espressius repraesentant, caput inclinatur* ». (Dec. cit. resp. ad dubium XXVI). —

sculatur eius initium, dicens *Per Evangelica dicta etc.*, et, postquam thurificatus fuerit a Diacono, per suam dexteram se vertit ad Altare et cantat « ex libro per Presbyterum Assistentem..... sustentato, *Credo in unum Deum*, quod cum suis ministris, submissa, voce prosequitur », caput inclinans Cruci quando oportet, et genuflectens super pulvino ad versiculum *Et incarnatus est.*. Iterum in faldistorio sedet et accipit mitram et gremiale: caput Cruci inclinat dum cantatur dictus Versiculus et ad verba, quae iam in capite I adnotavimus.

Symbolo cantato, « surgit Episcopus, depositis gremiali et mitra, et cantat versus populum *Dominus vobiscum* », et ad Altare conversus, ut supra, cantat « *Oremus*, manibus prius parumper extensis, et mox statim iunctis, ut super de Oratione dictum est, ... legit mox Offertorium, submissa, sed intelligibili voce . . . . . Quo lecto, sedet, accipit mitram pretiosam, deponitque annulum et chirothecas » quae omnia extrahuntur a Diacono et Subdiacono, et accedentibus suis familiaribus, ut alias, « lavat manus, et praebente mantile Presbytero assistente tergit . . . . . Episcopus, statim lotis manibus, reassumit annulum a Presbytero assistente porrectum. »

Ad nutum Caeremoniarii, quando omnia disposita erunt, Episcopus surgit et, salutato choro prius in cornu Epistolae et postea in cornu Evangelii, ante infimum Altaris gradum deponit mitram, facit Cruci reverentiam, ascendit Altare, illud osculans in medio, positis hinc inde manibus extensis.

Accipit de manibus Diaconi, qui ei manum osculatur, patenam cum hostia, quam « ambabus manibus ante pectus elevatam tenens et oculos sursum dirigens, ac inde demittens, dicit *Suscipe sancte Pater etc.* et in fine faciens cum ea signum Crucis, collocat hostiam super corporali versus se, patenam vero ponit ad dexteram sub corporali. » Subdiacono praebenti urceolum aquae ut benedicat, ipse, « facto versus eum signo Crucis, dum infundit pauculum aquae in Calicem, dicit Orationem *Deus*,

qui humanae substantiae etc. » A Diacono, qui, ut supra, ei osculatur manum, Calicem « ambabus manibus capiens, dextera scilicet nodum, sinistra pedem, illum offert simul cum Diacono tangente pedem Calicis. . . . . . simulque cum illo dicit Orationem *Offerimus tibi, Domine, Calicem etc.* Qua dicta, eumdem Calicem, facto cum eo signo Crucis, ponit Episcopus super corporali in medio, retro hostiam, ita ut hostia sit inter ipsum celebrantem et Calicem, quem Diaconus palla cooperit . . . . Prosequitur interim Episcopus cum caeremoniis, prout in Missali, orationes, videlicet *In spiritu humilitatis etc.* et *Veni, sanctificator etc.* et cum dixerit *Benedic hoc sacrificium tuo santo nomini praeparatum*, ministrante Diacono naviculam et dicente *Benedicite, Pater Reverendissime*, acolytho vero thuribulum sustinente, dicit *Per intercessionem etc.* et alia, prout in Missali: et accipiens thuribulum de manu Diaconi, thurificat Oblata et Altare, iuxta formam in suo particulari *Cap. XXXIII* § *IX lib. I.* (1) traditam, dicens interim Versiculum *Dirigatur, Domine, oratio mea etc.* Quo thurificato, reddit thuribulum Diacono in cornu Epistolae, dicens *Accendat in nobis Dominus etc.* Et accepta mitra pretiosa..... de manu Caeremoniarii..... thurificatur in eodem loco stans a Diacono triplici ductu, et statim lavat manus, more solito dicens Psalmum *Lavabo etc.*, ministrante mappulam pro illis tergendis Presbytero assistente. . . . . . .

Postquam Episcopus laverit et absterserit manus, aufertur ei mitra. . . . a Caeremoniario. . . . . Episcopus vero, rediens ad medium Altaris, inclinatus et iunctis manibus, dicit orationem *Suscipe, Sancta Trinitas etc.* qua dicta, osculatur Altare, deinde erectus, convertit se, iunctis manibus, ad populum per latus suum dexterum, dicens voce intelligibili, ac manibus parumper extensis *Orate, Fratres*, et statim eas iungens, perficit circulum, prosequendo *ut meum, ac vestrum etc.* Tum mani-

(1) Caerem. Episc.

bus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio Altaris versus librum, dicit absolute, sine *Oremus*, et sine alia interpositione, Orationem vel Orationes secretas. Cum dicit *Per Dominum* iungit manus et cum dicit *Iesum Christum* caput inclinat, quod facit in prima Oratione et in ultima, si plures sint dicendae.

Cum autem pervenerit in fine ultimae Secretae ad *Per omnia saecula, exclusive* (quo tempore a Caeremoniario ei aufertur pileolus) « stans in medio Altaris, positis hinc inde super Altari manibus, clara voce cantando, illa profert, deinde *Dominus vobiscum* cum Praefatione competenti et dicens *Sursum corda* manus aliquantulum elevat, ac dicens *Gratias agamus etc.* manus elevatas iungit in verbo *Deo nostro*, oculos elevans et statim caput aliquantulum inclinans, mox disiungit manus easque expansas tenet usque ad finem Praefationis; et iterum cum dicit *Sanctus, Sanctus etc.* illas iungit, capite aliquantulum inclinato, prosequens cetera cum ministris, submissa voce, videlicet, assistente Presbytero et Diacono, qui tunc ad eum accedit. Et cum dicit *Benedictus qui venit etc.* erigens se, facit sibi signum Crucis a fronte ad pectus, sinistra infra pectus posita: tum manibus iunctis et super Altari positis, devote inclinatus, extollit ad Crucem oculos et eos statim demittit et incipit ac prosequitur secrete totum Canonem... », ut in Rubricis explicatur. Advertat autem ut in Canone loco verborum *Et Antistite nostro N.* proferat *Et me indigno servo tuo*, juxta regulas in Rubricis Missalis positas (1).

« Cum Celebrans pervenerit ad Versiculum *Per omnia saecula etc.*, manibus super Altari hinc inde intra corporale positis, dicit intelligibili voce *Per omnia saecula saeculorum*, cum dicit *Oremus*, jungit manus, caput Sacramento inclinans: cum vero incipit *Pater noster*, elevat illas ante pectus, easque sic elevatas, extensasque tenet usque ad finem dictae Orationis Dominicae ». Sta-

(1) Ritus Celeb. Missam § VIII n. 2.

tim, finita Oratione Dominica, accipit a Diacono, qui ei manum osculatur, patenam, quam «.... inter indicem et digitum medium dexterae manus capiens absque eo quod indicem a pollice disiungant; incepta oratione *Libera nos, quaesumus etc.*, antequam dicat *Da propitius pacem etc.* signat se cum ea a fronte ad pectus, et reliqua dicit et facit quae in Missali ponuntur.....

Cum Celebrans dixerit *Haec commixtio etc.*, facta genuflexione Sanctissimo, « dicit *Agnus Dei, etc.* simul cum Assistente et Diacono ». Dicta oratione *Domine Jesu Christe, qui dixisti etc.*, Episcopus osculatur Altare simul cum Assistente, cui dat pacem dicens *Pax tecum*, et expectat ut pacem donet etiam Diacono et postea Subdiacono, dicens utrique, ut supra, *Pax tecum*; quo facto prosequitur Missam, more solito.

Postquam Episcopus sumpserit Sanguinem, a Caeremoniario ei imponitur pileolus. Sumpta ablutione et relicto Calice cum purificatorio super Altari, a Diacono accipit mitram pretiosam et in cornu Epistolae lavat, ut superius diximus, manus, praebente mantile Presbytero assistente. (1).

« Episcopus....., tersis manibus, deponit mitram legitque Communionem ex libro....., accedit ad medium Altaris, quod osculatur more solito, et vertens se ad populum per latus suum dexterum, cantat *Dominus vobiscum*, et reversus ad librum per eamdem partem, dicit *Oremus* versa facie ad Crucem Altaris, deinde Orationem, seu Orationes competentes; quibus cum sua conclusione finitis, redit iterum ante medium Altaris, quod, ut prius osculatur, et rursus ad populum versus, cantat *Dominus vobiscum* » et, cantato a Diacono *Ite Missa est*, simul

(1) Haec erit ultima lotio manuum Episcopi in Missa Pontificali, juxta praescriptionem Caeremonialis Episcoporum lib. I. Cap. XI n. 11, videlicet: « quater.... Episcopus in Missa solemni lavat manus; primo antequam capiat paramenta, secundo statim post lectum Offertorium, tertio post incensationem Oblatorum, quarto et ultimo post Communionem ».

cum eo se vertit per latus Epistolae ad Altare et dicit *Placeat tibi, Sancta Trinitas etc.* (Si dicendum sit *Benedicamus Domino*, hoc etiam ab Episcopo, dum a Diacono cantatur, dicendum est, submissa voce, ad Altare converso). Dein accipit a Diacono mitram pretiosam, Altare osculatur in medio et «.. pollice dexterae manus format sibi signum Crucis in pectore, cantans *Sit nomen Domini benedictum*, interim sinistram super Altari retinens et dum a choro respondetur *Ex hoc nunc et usque in saeculum*, etiam ipsam manum dexteram super altari tenet: deinde dicens *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, eadem dextera manu signat se signo Crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero in dexterum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet, dum dicit *Adiutorium* in fronte, *nostrum* infra pectus, *in nomine* in sinistro humero, *Domini* in dextero, et iterum ipsam manum dexteram super Altare reponit, donec a choro rispondeatur *Qui fecit coelum et terram.* Deinde dicens *Benedicat vos omnipotens Deus*, elevat ad coelum simul oculos et manus, quas ante faciem iungit et.... dum dicit *Pater*, vertit se ad latus Epistolae et ibi signat populum, et dicens *et Filius*, vertit se directe ad populum in medio Ecclesiae existentem, signans iterum; dicens vero *et Spiritus Sanctus*, vertit se totum ad latus Evangelii et ibi tertio signat populum, perficiendo circulum. »

Benedictione impertita, a Diacono mitra exuitur, et statim accedens in cornu Evangelii « dicit... *Dominus Vobiscum*, submissa voce, et, facto signo Crucis super Altari, dicit *Initium Sancti Evangelii secundum Ioannem,* » (vel *Sequentia Sancti Evangelii secundum....*, si aliud Evangelium recitandum esset), « Evangelium prosequitur et genuflectit super pulvino ad verba *Et Verbum caro factum est.*

Lecto Evangelio, in medio Altaris a Diacono imponitur denuo mitra pretiosa, et, facta cum ministris Cruci inclinatione, descendit *in planum,* ubi, repetita Cruci reverentia, salutat chorum prius in parte Evangelii et

postea in parte Epistolae et ad faldistorium redit; ubi, a Diacono et Subdiacono, postquam deposuerint manipulos, exuitur sacris paramentis. Quibus depositis, mantellettum assumit, osculatur Crucem pectoralem, quae a Diacono imponitur, et ab eodem Diacono biretum accipit. Innuente Caeremoniario de faldistorio surgit, ante Altare salutat Crucem et, genuflexus super pulvino in infimo gradu, orabit aliquantulum, ut in principio. Denuo surgit, et, iterata reverentia cruci et choro, in Sacristia, cooperto capite, redit. Ubi, denudato capite, et facta reverentia Imagini praecipuae, alligata cauda, sedet et legit Psalmos pro gratiarum actione, iisdem caeremoniis servatis, quas in praeparatione explicavimus; eodem tempore deponit sandalia et caligas.

(Continuabitur).

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Augusto propositae.

(V. fascic. mensis Augusti p. p., pag. 552).

Qua de causa minister in Missa privata osculetur vi Rubricae ampullam vini, et an ampullam aquae osculari quoque debeat? Et num inferiores in privata, et superiores Ministri in cantata Missa, osculari toties dictas ampullas debeant, quoties eas, aut cum iis ministrant Celebranti?

Maioris claritatis gratia quaestionem sequentes in partes dividere opportunum credimus.

1. Qua de causa Minister in Missa privata osculetur, vi Rubricae, ampullam vini?

2. Ampullam aquae oscularine debet?

3. Quotiescumque ampullas Celebranti administrat Minister Missae privatae tenetur eas osculari?

4. Quando idem Minister ex ampullis Celebranti ministrat, hasne osculabitur?

5. An Ministri superiores, nempe Subdiaconus et Diaconus, praedicta oscula dare teneantur?

Modo autem sigillatim responsum praebebimus spe nisi metam attingendi.

Ad 1. Inter tot sacrae Liturgiae auctores, qui in nostra prostant bibliotheca, duo solummodo rationem huiusce caeremoniae praebent, nimirum Durandus et A. de Carpo in notis cuiusdam opellae Sac. Cesàri, quae titulum fert: *Cerimonie della Messa privata.*

Primum statim perscrutamur: « Non est etiam omittendum quod in Missis privatis ministrans Sacerdoti ampullam cum vino, manum eius non osculatur, sed ministrans ampullam cum aqua sic, quoniam vinum Christum, aqua genus humanum, osculum vero pacem inter Deum et hominem significat reformatam » (1).

A. De Carpo in indicata opella sic adnotavit: « Il bacio del ministro all' ampollina del vino non appartiene alla solennità del rito, nè a speciale riverenza verso il Celebrante, ma a mistero. Esso non appartiene a speciale riverenza verso il Celebrante, perchè la Rubrica nel prescrivere di baciare l' ampolla del vino, proibisce espressamente di baciare la mano di lui, il che non proibirebbe se quel bacio si desse per ispeciale riverenza verso il Celebrante medesimo. Resta adunque che esso si dia *ratione mysterii,* cioè si bacia l' ampollina del vino, perchè il vino rappresenta Gesù Cristo, e fra poco sarà transustanziato nel Sangue medesimo di N. Signore. Che poi si possono dare baci *ratione mysterii* eziandio nella messa da morto si rileva anche da quello, che anche il Celebrante in tal messa dà simili baci all'Altare ed alla Patena dopo il *Pater noster,* e dalla Rubrica stessa la quale tra le cose da omettersi nella Messa privata da morto non annovera punto il bacio in discorso, ed in fine aggiunge: *Alia omnia ut in aliis Missis* » (2).

---

(1) Rationale Div. Officiorum, *lib. IV. c. 30. n. 22.*

(2) Thesar. ss. Rituum, *p. II. tit. VII. lit. C.*

Ad 2. Quaeritur: An Minister Missae privatae osculari debet ampullam aquae? Hic merito a casus expositore non quaeritur utrum vini ampullam osculari debeat Minister Missae privatae, a Rubrica enim aperte declaratur, quae ait: « *Minister osculatur ipsam ampullam* (videlicet vini) *non autem manum Celebrantis* », dum de ampulla aquae non loquitur.

Omnes fere auctores opinionem tenent quod ambae ampullae sunt osculandae: a Gavanto incipimus: « Minister autem offerat ambas ampullas cum osculis earum, non manus Sacerdotis, et cum debita reverentia saltem inclinando caput, nisi Sacerdos de maioribus exigat genuflexionem ». Merati eandem sententiam profitetur: « Minister vero osculatur ampullas, quas detulit de credentia ad Altare, non vero manus Celebrantis; *Rub. supr. et Gavant. supra lit. C.*, et easdem tenere debet in parte inferiori: ita ut Sacerdos possit eas facile per manubrium capere: afferatque eas Minister dextera, sed recipiat ampullam vini sinistra, *ut possit ampullam aquae dextera porrigere cum osculo eiusdem ampullae tantum*; et advertat Minister, ut in porrigendis ampullis debitam faciat reverentiam Celebranti cum capite (1) ». Eisdem Cavalieri adamussim convenit: « Minister autem, inquit, non ascendit super pradellam sed ad latus Altaris consistens, facta inclinatione Sacerdoti *cum osculo vel quasi osculo ampullae*, non manus Sacerdotis, huic ampullam vini manu dextera apprehensam, administrabit, et manu sinistra accipiet, ut praesto esse valeat, administrandum manu dextera *ampullam aquae quam item porrigit et recipit cum osculo vel quasi osculo*: etsi namque Rubricae dispositio sistat in praescribendo osculo ampullae vini, Doctores tamen id communiter extendunt etiam *ad ampullam aquae* (2). » Plerique alii nempe Falise (3), Sillani (4), Foschi (5), De Herdt (6), De Amicis (7), multi-

(1) Id. id. n. 10.
(2) Tom. IV. De Offert. c. 13 n. 36.
(3) Cours abrégé de Liturgie p. 1. sec. II. s. V.
(4) Manuale dei S. Riti n. 46.
(5) Esp. delle s. Cerimonie c. 1. art. 3. n. 22.
(6) S. Liturgiae Praxis vol. I. n. 299.
(7) Il Parroco del Villaggio n. 64.

que quoque alii cum praedictis auctoribus omnino conveninut inter hos non deest Martinucci, cuius opinionem transcribere desideramus : — « Minister dextera ministrabit Sacerdoti ampullam vini, quam recipiet sinistra, tum eadem dextera aquae ampullam porriget, quam eadem manu resumet, advertens *ut utramque osculetur, tum in porrigendo tum in recipiendo*, atque ita praesentet eas sustinens prope unam partem, ut Celebrans possit commode accipere (1) ».

Cesàri autem et A. De Carpo an ampulla aquae sit osculanda vel non, omnino tacent. En quomodo loquuntur: « Resti in piedi, dice Cesàri, sul gradino, o nel piano prossimo alla predella vicino al fianco dell' Altare, ma senza porre sulla mensa le mani : appena poi che il Celebrante ha asterso il Calice con il purificatoio, il ministro prenda con la destra l' ampolletta del vino, e nella Messa da vivo (nè già in quella da morto) baciatala (secondo che ordina la Rubrica) la dia al Sacerdote, inchinando a lui il capo. Appresso mentre dal Celebrante si versa il vino nel Calice, pigli con la destra l' altra ampolletta, poi ricevuta con la sinistra quella del vino, ed inchinato di nuovo il capo porga al Sacerdote l' ampollina dell' acqua, la quale riavuta (e inchinandosi per la terza volta) riponga sulla bacinella, trasportando allora e non prima l' ampollina del vino nella piccola mensa (2) ». A. de Carpo eundem sermonem habet : en sua verba : « Deinceps ibidem (Minister) sistens ad latus Epistolae dextera accipit in una parte ampullam vini, quam deosculatur, ac Celebranti porrigit quin eius osculetur manum : sinistra postmodum accepta ab eodem ampulla vini, dextera praebet illi ampullam aquae, quam postea in dextera receptam reponit super pelviculam, et ad abacum defert ampullam vini (3) ». Baldeschi quoque sub silentio rem praeterit in una editione caeremonialis Missae privatae, in alia vero docet osculum utriusque ampullae.

Exceptis praefatis auctoribus S. Liturgiae de osculo aquae

(1) Manuale Caerem. lib. I. c. 11 n. 14.

(2) n. 357.

(3) Caerem. iuxta Ritum Rom. p. 2 n. 112.

ampullae omnino tacentibus, tam auctores a nobis superius indicati, quam plerique alii, de quibus causa brevitatis non innuimus, uno ore confitentur quod Minister Missae privatae tam vini quam aquae ampullam deosculari tenetur tum in porrigendis, cum in accipiendis. Placet innuere (quod magni ponderis argumentum aestimamus), Caeremoniale Romano Seraphicum Ordinis Minorum Capuccinorum, anno 1892 editum, et *liturgicis legibus apprime consonum* a S. R. Congregatione declaratum, hanc praxim confirmare (1).

Nos igitur, attenta generali Auctorum s. Liturgiae sententia ita manifestim professa, Ministrum Missae privatae ambas ampullas vini et aquae tam in iis porrigendis Celebranti, quam ab eo accipiendis, debere osculari edocemus.

Ad 3. Exceptiones quae, generatim fiunt sunt pro Missis *de Requie; coram SSmo Sacramento,* et *in Parasceve.*

Caeremoniale Episcoporum sic loquitur: « Quoties aliquid offertur... Celebranti... ac etiam cum aliquid... recipitur, toties osculanda est res, quae offertur... *praeterquam in Missis defunctorum,* in quibus talis deosculatio omittitur (2) ».

Martinuccius ait: « In Missa pro defunctis... *nulla oscula figuntur ampullis* aut aliis rebus, quae ministrantur vel recipiuntur ab ipso (Celebrante) (3) ». « Si Missa celebretur in Altari in quo palam expositum sit sanctissimum Sacramentum... non deosculabitur res quae Celebranti porriget vel ab ipso recipiet (4) ». « In functionibus diei Parasceve, ut suo loco docebimus, huiusmodi deosculationes omittendae omnino sunt (5) ». De Amicis pro expositione SSmi Sacramenti edicit omittenda oscula in administratione incensi, *ampullarum,* bireti, non vero cetera omnia; pro Missis de requie et in Parasceve *omnia omittenda* praedicat (6). De Herdt inquit: « Exposito

(1) P. III, a. 1, c. IV, n. 624.
(2) Lib. 1, c. 18, n. 16.
(3) Manuale Sacr. Caerem. Lib. l, c. XI, n. 45.
(4) Ibid. n. 46.
(5) Ib. c. 1, n. 10.
(6) Il Parroco etc. P. 1, n. 34, 35.

SSmo Sacramento certum est oscula omittenda esse ad ministrationem incensi et thuriboli, quandocumque solum SSmum Sacramentum est incensandum (ex Caerem. l. 1, c. 23, n. 18 et lib. 2, c. 33, n. 19); et Gavantus etiam censet *omnia oscula in traditione rerum omitti* ob apertam SSmi Sacramenti praesentiam; sed contra Castaldus et Ianssens tenent *omnia oscula* etiam ad Altaris incensationem *esse facienda*, sicuti non exposito SS. Sacramento, quia Caeremoniale Ep. loc. cit. tantum agit de casu quo solum SS. Sacramentum est thurificandum (1) ». Iuxta Gardellini omittenda sunt oscula, quae actus mere reverentiales indicant ; nunc quaerimus, oscula de quibus disputatur sunt ne actus mere reverentiales, an vero, ut dicunt, mixti ? Mixti reapse videntur ; meminerint lectores eorum quae ex cl. A Carpo ab initio retulimus, ex quibus ille infert oscula de quibus loquimur, etiam in Missis pro defunctis non esse omittenda, nec consequenter coram SSmo exposito.

Tandem quoad oscula in Parasceve, quod sint omittenda palam edicunt Caeremoniale S. R. E. (2), Crassus (3), Memoriale rit. pro mai. Eccl. (4) et pro min. Eccl. (5); ergo non videtur aliter faciendum cum Minister inferior inserviet dicto Officio sine solemnitate celebrato, ac proinde oscula in tradendis ampullis aliaque omnia omittet.

Concludimus sententiam nostram sic aperientes : placet distinctio cl. Gardellini inter oscula, quae reverentiam tantummodo significant, et quae etiam ad mysterium seu ad ritum pertinent, qualia sunt oscula Calicis et Patenae, quae communiter et semper admittuntur (excepto Officio in Parasceve, quia non habetur Missa, unde mysterium deest) ; hinc usque dum legitima auctoritas secus non loquatur ampullae vini et aquae deosculandae sunt a Ministro quandocumque Celebranti eas tradit, praeter quam in Officio in Parasceve.

(1) Praxis Pontifical. T. I, n. 163.
(2) Lib. 2, tit. 1, c. 51.
(3) Lib. 2, c. 47.
(4) Tit. 7, c. 2, §. VI.
(5) Tit. 5, c. 2, §. 3.

Caeremoniale Episcoporum, dum Missam defunctorum excipit, regulam generalem praebens, contra nostram conclusionem afferri nequit, quia secus et de Calice et de Patena intelligi deberet, contra communem sententiam, et quia argumentum praestat negativum, non enim in Missa cum Ministris sacris, de qua tantum illud loquitur casus noster verificatur.

Ad 4. In hoc sensus Auctorum haud semper concordat: alii a praedicto Ministro ambarum osculum ampullarum, alii earumdem quasi osculum, alii tandem nihil petunt. Ordine ac recte, antequam sententiam nostram pronuntiemus, eorum dicta perpendimus. Gavantus (ad lit. y) sic loquitur: « Minister defert ad Altare in cornu Epistolae ampullas in pelvicula, *quas ministrabit cum osculis* et reverentiis debitis (1) ». Fumagalli aeque loquitur: « In his autem officiis peragendis (Minister) attendat ut *oscula in urceolis ministrandis*, ut supra praescripta, non omittat (2) ». Sillani haec verba habet: « Il Ministro va alla credenza... prende colle mani le ampolle, o meglio anche il piattino, e si reca per ministrare prima il solo vino, e quindi vino ed acqua *con i soliti baci* (3) ». Martinucci praedictam sententiam profitens concludit: « Minister ascendet deinde super suppedaneum, et deosculans ampullam prius et postea, ministrabit vinum in Calicem propter purificationem, attendens ut ampulla aliquantum a Calice absit dum vinum infundit.

Hinc ad latus Epistolae recedet, ibique expectabit Celebrantem, cui super digitos aquam et vinum ob purificationem effundet, ampullas, ut ante monuimus deosculans (4) ». Merati admittit tantum quasi osculum, en quomodo se exprimit: « Itaque Minister, extensa manu dextera, *sed cum ampullae quasi osculo*, et capitis inclinatione ante et post infundit in medio Calicis vinum...... Advertat Minister, quod infundere debet

(1) Id. id. p. II. Tit. X. n. 5, lit. y.

(2) Manuale seu Promp. Liturgicum vol. II. Minister Missae privatae §. V.

(3) n. 48.

(4) Id. id. lib. I. C. XI n. 21 et 22.

prius vinum, deinde aquam super pollices et indices Celebrantis in medio Calicis, *cum quasi osculis ampullarum* et capitis inclinatione (1) ». Cavalerio placet Merati verba referre (2). Itidem autumant Falise (3), Foschi (4), Lerosey (5). De dandis osculis in porrigendis et recipiendis ampullis pro purificatione omnino tacent auctores sequentes:

De Herdt dicit prout sequitur: « Sumpto a Celebrante Sanguine, Minister infundit vinum in Calicem, cavens a nimia infusione et attendens ad signum cessandi, si quod dederit Celebrans. Sumpta purificatione fundit prius vinum et deinde aquam super pollices et indices Celebrantis, attendens ad signum cessandi, quod Celebrans dat pollicem elevando (6) ». A. de Carpo fere verba De Herdt repetit: « Tunc (Minister) illico surgit ac extendens brachium dextrum super Altare infundit vinum in Calicem ad beneplacitum Celebrantis. Tum rursus eodem modo infundit vinum et aquam in medio Calicis super pollices et indices eiusdem Celebrantis pro eorum ablutione (7) ». Cesàri clarissime cum praedictis auctoribus convenit (8). Tandem Cl. De Amicis, ita affatus est: « Mentre il Sacerdote scopre il Calice il chierico si porta alla credenza, depone il campanello, prende le ampolle come prima ed accede nel corno dell'epistola, ove genuflette *in plano* a cagione del Sagramento.... comunicatosi il Celebrante *sub specie vini*, il chierico prende con la destra l'ampolla del vino, ne versa a suo tempo nel Calice posatamente, senza formare dei circoli con l'ampolla...., data la purificazione...., versa nuovamente del vino e dell'acqua, ripone ambo le ampolle nel piattello, e inchinatosi alla Croce, portasi alla credenza (9) ».

(1) Id. id. in Gavantum n. XX. et XXI.
(2) Loc. cit. cap. XXIII. n. XXVI.
(3) P. I. sec. II. § X.
(4) Cap. I. n. 27.
(5) Manuel Liturgique vol. II. Ses. 3, cap. VII. §. 2.
(6) Vol. I. n. 299.
(7) Caerem. p. II. n. 116
(8) Cerimonie della Messa privata n. 381.
(9) Il Parroco del Villaggio provveduto n. 65.

In tanto sententiarum discrimine quid pro praxi est inferendum? Quid rationi est adscribendum? Indubium est quod Rubrica hocce in casu silentium tenet, proindeque quaecumque percurratur via, contra eam non agetur; praeterea auctores insignes in tres dividuntur sententias, quae res omne iudicium reddit arduum, solvendi nempe quaestionem sine periculo in quidpiam haud satis rectum incurrendi. Nihilominus coram tali haesitatione, nostram praebebimus sententiam dicentes praeferri debere usum non osculandi in casu, quia Rubrica de his osculis non loquitur et rursum quia regula generalis est res osculari debere tantum cum traduntur vel recipiuntur de manu Celebrantis. Verumtamen usque dum non loquuta fuerit S. R. C. unusquisque illam opinionem, quae sibi melius placuerit, vel quam consuetudo probaverit, si forte adesset, sequi poterit.

Ad 5. Quoad quintum quaesitum reponimus, quod sacri Ministri ampullas vini et aquae osculari minime debent, quia Rubrica et auctores ad rem tacent; ad probandum argumentum modo descendimus. Prae oculis interim habeatur sacros Ministros non tradere Celebranti ampullas, sed tantum ex iis ministrare.

Rubrica in Tit. VII. N. 4 (*Ritus celebrandi Missam*) manifesto dicit, quod Minister Missae privatae *osculatur ipsam ampullam* (idest vini), *non autem manum Celebrantis;* sed in N. 9, ubi agit de Missa solemni, de osculis tradendis ampullis a Diacono vel Subdiacono administrantibus vinum et aquam Celebranti mentionem haud facit, quod silentium clare docet talia oscula ab ipsis esse omittenda: et ita a Liturgistis hic locus interpretatur, prouti nunc videbimus.

Gavantus ad rem inquit: « Diaconus manu sinistra Calicem per nodum tenens accipit ampullam vini de manu Subdiaconi, qui eamdem accipit de manu Acolythi (*uterque vero accipit sine osculis nec ampullae nec manuum*) et infundit vinum in Calicem. Ampullam aquae accipit ab Acolytho *sine osculis* Subdiaconus, et parum inclinatus ostendit Celebranti (1) ». Merati eandem opinionem profitetur: « Dia-

(1) Loc. cit. p. II. Tit. VII. n. 9, lit. p et q.

conus .... manu dextera ampullam vini de manu Subdiaconi recipit, qui eandem de manu Acolythi accipit, utroque dante idest Acolytho et Subdiacono, *omnino sine ullis osculis*. Dum Diaconus vinum in Calicem infundit, Subdiaconus ampullam aquae ab Acolytho *sine osculis* in dextera manu per manubrium acceptam... (1) ». Cavalieri inter alia dicit: « Interim Subdiaconus parum aquae infundit in Calicem, et deinde reddit ampullas aquae et vini Acolytho, qui illas, sicuti prius *sine osculis dedit*, ita *nunc recipit* (2) ». De Herdt idem autumat: « Subdiaconus.... dextera accipit ampullam vini, eamque ex parte ansae Diacono *sine osculis offert* (3) ». Plures alii s. Liturgiae auctores nempe Foschi (4) Sillani (5), Falise (6), Martinucci (7), in isto casu de osculis praedictis omnino tacent: evidens ergo est, quod danda non sunt: etenim, si res aliter se haberet, sicuti alias caeremonias parvi momenti innuerunt, sane de istis silentium minime tenuissent; proindeque nos opinamur quod sacri Ministri ampullas vini et aquae absolute osculari non debent.

Idem est dicendum de Subdiacono quando ad purificationem ambas ampullas Celebranti offert? Opinio Gavanti, qui dicit ut Subdiaconus non omittat osculationes et reverentias debitas in ministrandis ampullis Celebranti, sustineri potest? Nos observata attente peculiari Rubrica (*Tit. X. N. 8*), nec non communi Liturgistarum opinione, quamvis de Gavanto et de eius Adnotatore Merati praedictam sententiam confirmante, bene sentiamus, tamen cum eisdem convenire hic minime possumus. In primis quia Rubrica omnino tacet in hoc loco, eiusque silentium pro nobis est eloquens, eo magis quod id tenetur a citatis auctoribus. Insuper De Herdt aperte

---

(1) Loc. cit. n. LV et LVI.
(2) Loc. cit. c. XIII. n. LII.
(3) Vol. I. n. 322.
(4) Vol. I. c. V. n. 38 et 79.
(5) U. 84.
(6) Sec. III. c. I. §. 96.
(7) Lib. I, c. XII, n. 54, c. XIII, n. 65.

affatus est: « *Subdiaconus non osculatur ampullas,* quia eas non tradit, et oscula tantum praescribuntur dum traduntur ». Ceterum Foschi, Sillani, Martinucci, plerique alii de osculis in hocce loco verbum non faciunt; proindeque etiam nunc inferendum est quod sacri Ministri *numquam* ampullas vini et aquae deosculari debent in toto Missae cursu, sed hoc tantum ad Ministrum Missae privatae pertinet iuxta normas, quas superius tradidimus et multis argumentis probavimus.

Nivardus Bossi Miss. Ap.
ex Acad. Lit. Rom. Plebanus S. Septimii
(Castri Palatii)

QUAESTIONIS SOLUTIO

pro mense Septembri propositae

In expositione et repositione SSmi extra omnem Processionem, licetne ut Diaconus Sacerdoti *stanti* Ostensorium praebeat pro benedictione, ab eoque *stans* post illam recipiat? Item licetne, eodem in casu, ut Diaconus Ostensorium praebeat Sacerdoti *genuflexo*, a quo etiam *genuflexus* recipiat? Denique, qui exponit et deponit SSmum, potest ne Ostensorium praebere Sacerdoti ut supra, ab eoque recipere?

SOLUTIO.

Quaesitum tres habet partes, quae seiunctim sua, maioris perspicuitatis causa, responsione gaudebunt singulae.

I. Relate ad primam dicimus non ex ipsa iuris vi, sed ex consuetudine tantum, per S. Congregationem firmata, licere, ut Diaconus in expositione et repositione SSmi, extra omnem processionem, Sacerdoti praebeat *stanti* Ostensorium pro benedictione danda, ab eoque *stans* post illam recipiat.

a). Si exempli gratia paragraphum legas Clementinae

Instructionis ad nostrum attinentem casum, quae sequuntur habes, nempe: « Quibus (Orationibus) finitis, genuflexus (Cele-« brans) humerale velum assumet, atque *solus* ad Altare ascen-« dens, debitis factis reverentiis, in manibus, ut dictum iam « fuit, cum veli humeralis extremitatibus, Ostensorium capiet, « quocum Populo benedictionem impertietur, atque Sacramen-« tum supra Corporale reposito, descendet suoque loco genufle-« xus manebit » (§. 31, n. 12). Unde clarius est luce meridiana quod, ex vi huius dispositionis, *solus* ascendere debeat Sacerdos usque ad Altare, et proinde alibi quaerendum est quo titulo licere possit caeremoniam, de qua in casu, exercere ut in ipsa propositione nostra exposuimus.

Si retro gradiamur ad sciendum regulas in casu secutas ante Clementinam, Cl. Bauldry non aliter se exprimit, quam praelaudata Instructio: « Responso a choro *Amen*, Celebrans « nihil addens ascendit ad Altare, genuflectit, et sine alterius « ministerio accipit velatis manibus, ut prius, tabernaculum. « Vertens se ad populum, benedicit.... et gyrum perficiens, « Ostensorium collocat super Altare.... Interim, dum Cele-« brans benedicit, Ministri hinc inde genuflexi et inclinati « facie versa ad SS. Sacramentum, elevant partes anteriores « Pluvialis illius (quod et faciunt Assistentes in pari casu). « Deposito SS. Sacramento a Celebrante super Altare, ipse « statim genuflexione facta descendit ad secundum gradum « ut prius, ubi genuflexus manet. Tunc ponitur, si opus est, « scabellum pro Diacono, qui statim, amoto velo ab eo per « Subdiaconum vel Caeremoniarium ascendit ad Altare ubi, « facta genuflexione, reponit SS. Sacramentum in Tabernacu-« lo ». (Part. 4, cap. 16, art. 3, n. 33, 35, 37). Item Gavantus dicit Part. 4, Tit. 12, n. 7: « Ascendit (Celebrans) ad Altare, ge-« nuflectit, et ipsemet, nullo Diaconi ministerio, accipit velatis « manibus, ut prius, tabernaculum, benedicit cum eo populum « nihil dicens, et gyrum perficiens reverenter reponit ». Unde functio, de qua in praesenti, non adimplebatur per Diaconum in antiquitate, cum *solus* ad Altare ascenderet Sacerdos pro benedictione impertienda.

Si consulamus nunc Rubricistas in suis Commentariis super

Clementinam, omnes quasi ex uno ore nostram confirmant assertionem. Testis est Cl. Cavalieri, Tom. 4, cap. 9: « Sacerdos, « inquit, ascendit ad Altare, et ibi facta genuflexione unico « genu, accipit in manibus coopertis per eiusdem veli extremita- « tes Ostensorium... Quando Sacerdos ascendit, ut supra, Alta- « re una cum eo ascendunt iidem sacri Ministri, sed hi genufle- « ctunt postea in ore suppedanei, ubi inclinati elevant plu- « vialis fimbrias, dum Sacerdos benedicit Populum (in defe- « ctu autem Ministrorum sacrorum, id praestant Sacerdos adiu- « tor et caeremoniarius vel alii clerici hinc inde genuflexi).... « Celebrans, data benedictione, super Corporale Sacramentum « collocat, et deinde, facta genuflexione unico genu, descen- « dit cum Subdiacono ad infimum Altaris gradum, ubi.... per « eumdem Subdiaconum vel caeremoniarium exuitur velo hu- « merali. Diaconus interim accedit ad Altare, et facta genu- « flexione unico genu tabernaculum aperit, et in eo reponit « Sacramentum ». Testis quoque Cl. Tetamo in Append. c. 3, n. 48 et 49: « Sacerdos ascendit ad Altare, et ibi facta ge- « nuflexione unico genu.... accipit in manibus coopertis per « eiusdem veli extremitates Ostensorium.... benedicit.... Quan- « do Sacerdos ascendit, ut supra, Altare, una cum eo ascen- « dunt iidem sacri Ministri; sed hi genuflectunt postea in « ore suppedanei, ubi inclinati elevant Pluvialis fimbrias, dum « Sacerdos benedicit Populum.... Celebrans, data benedictione, « super Corporale Sacramentum collocat ». Testis doct. Merati, Part. IV, Tit XII: « Celebrans ascendit ad Altare, et « absque alterius ministerio accipit velatis manibus Ostenso- « rium ». Denique apud insignem Gardellini super §. 31, n. 12. Clementinae legimus: « Celebrans more surgit, et ascen- « dit illico ad Altare. Ibi, facta genuflexione, accipit mani- « bus coopertis veli extremitatibus Ostensorium, et conver- « tens se ad populum, benedictionem impertitur. Quando au- « tem Sacerdos ascendit ad Altare, cum eo ascendunt etiam « socii Ministri; sed hi genuflectere debent in ore suppeda- « nei, ubi inclinati elevant pluvialis fimbrias, dum Sacerdos « benedicit populum. Celebrans, data benedictione, super Cor- « porale Sacramentum collocat, et deinde facta genuflexione

« descendit cum Subdiacono ad infimum Altaris gradum, ubi « genuflexi ambo maneant, amoto interim velo a Celebrantis « humeris a Subdiacono, vel ut alii malunt, a Caeremonia- « rio. Interea Diaconus remanens in suppedaneo Altaris, re- « ponit Sacramentum in Tabernaculo ».

Merito igitur autumavimus non ex vi ipsius Clementinae Instructionis provenire liceitatem, ut Diaconus *stanti* Sacerdoti praebeat Ostensorium, et ab eo *stans* illud recipiat post benedictionem, cum omnes eius commentatores, sicut et ipsamet, declarant Sacerdotem sine alterius ministerio de Altari Ostensorium accipere, et imo in confesso est Clementinam nihil aliud fecisse, quam in regulam iuris elaborare omnium antiquorum doctrinam superius relatam.

b). Visne autem ad Caeremoniale Episcoporum recurrere? En textualia verba: « qua finita (oratione de SSmo), « accedet (Episcopus) ad Altare, et accepto Ostensorio cum « SS. Sacramento, illud ambabus manibus velatis elevatum « tenens,.... cum illo signum crucis super populum ter fa- « ciet.... Quo facto, iterum deponet SS. Sacramentum super « Altare » (Lib. 2, cap. 33, n. 27). Unde confirmatur assertio nostra, cum Episcopus ipse ex vi Caeremonialis per plures SS. Pontifices confirmati solus ascendit ad Altare et solus reponit SSmum super Altare; et itaque ex omni necessitate alibi quaerendum est, ex quo iure Diaconus Sacerdoti *stanti* Ostensorium tradere possit, et ab eo *stans* illud recipere. Porro decreta si consultes, illico apparet consuetudo quae, allegata in fine assertionis nostrae, iam superest examinanda.

c). Ne unum quidem invenitur decretum ad rem in Gardelliniana Collectione; at in Iuris Pontificii Analectis, 2. serie, pag. 2188, decretum habes in *Lucionen.* datum die 12 Augusti 1854 ad 57, quod quaestionem respiciat.

Quaerebatur: « an liceat Sacerdoti accipere Ostensorium « per manus Diaconi istud ex Altari acceptum porrigentis, « ut populo benedictio impertiatur, et post benedictionem « remittere Ostensorium Diacono, qui super Altare deponet, « prout fit in nonnullis ecclesiis? Vel ipsemet Sacerdos debeat

« accipere Ostensorium ex Altari, et data benedictione, super « Altare deponere, sicut expresse dicunt Gavantus in Rubr. « Miss. Part. 4, Tit. 12, n. 7, Merati in Gavantum etc.? ». Porro S. R. C. respondendum censuit: « quoad primam partem « licere etiam ex praxi ecclesiarum Urbis; quoad secundam, « provisum in primo ». Id est, hic agendi modus licitus est et plane conformis praxi Ecclesiarum Urbis, ubi in more positum est ut Ostensorium Celebranti a Diacono porrigatur ad benedictionem elargiendam et a Diacono recipiatur de manibus Sacerdotis post benedictionem.

Neque obiicias hoc decretum sub silentio tenere cardinem quaestionis, quae est proprie aptitudo servanda tam in tradendo, quam in remittendo Ostensorium. Responsio facilis est, cum e contra Sacra Rituum Congregatio, in sua responsione, ad confirmandum liceitatem usus supra relati, se ad praxim Ecclesiarum Urbis refert, et in eis praecise viget consuetudo, qua Celebrans Ostensorium *stans* accipit a Diacono stante, et pariter illud Diacono *stanti* ipsemet stans remittit. Ergo citra dubium est quod vere quaestionem propositam dirimat decretum, et sic inconcussa stat tota assertio nostra, cum exemplum dant Ecclesiae Urbis, et Congregatio expresse Consultorem remittit ad praxim romanam.

II. Ad secundam partem, asserimus licere nunquam, ut Diaconus in expositione et repositione SSmi, extra omnem Processionem praebeat Sacerdoti *genuflexo* Ostensorium, illudque ab eo *genuflexus* recipiat post benedictionem.

a). Sane, controvertendum non est Instructionem Clementinam sub paragraphis 19, 24, 30, 35 praescribere, ut Sacerdos sit *adgeniculatus* ad Ostensorium a Diacono stante recipiendum, et item Diaconus sit *genuflexus* quando Sacerdos stans illud ei remittit post benedictionem. Non aliter se exprimit Missale Romanum in Rubrica feriae quintae in Coena Domini. Quod consentaneum plane est Caeremoniali Episcoporum dicenti lib. 2, cap. 23, n. 12 et 13: « Diaconus assistens ca- « pit SS. Sacramentum de Altari, et illud stans offert *Episcopo* « *genuflexo*. Cum pervenerit ad Sacellum, ubi Sacramentum, « deponi debet...., cum erit Episcopus ante supremum Altaris

« gradum, Diaconus accipiet de manu ipsius stantis SS. Sa-
« cramentum *genuflexus* ». Deniqne pro festo Corporis Christi legitur in eodem libro, cap. 33, n. 20 et 24: « Diaconus as-
« sistens a dexteris accedet ad Altare, et.... accipiet Taber-
« naculum sive Ostensorium cum SS. Sacramento de Altari,
« et illud in manibus Episcopi *genuflexi* collocabit.... Post-
« quam Episcopus pervenerit ad supremum Altaris gradum,
« Diaconus a dextris cum debita reverentia et *genufle-
« xione* accipiet de manu ipsius Episcopi stantis SS. Sacra-
« mentum ».

At animadvertes quod in his omnibus locis non detur regula benedictionum cum SSmo, quae sunt unice quaestionis obiectum, sed enuntiatur tantum modus agendi in initio et in fine Processionum SS. Sacramenti, et itaque nihil horum supra relatorum stat contra nos, et auctores, ut Cl. De Herdt, Tom. 2, n. 28, Levavasseur, Tom. 1, Part. 9, n. 71; La Revue des sciences ecclésiastiques, 1. serie, Tom. 9, pag. 336, Lerosey Tom. 1, Sect. 6, art. 3, § 2; Ioseph Schüster in sua Instructione practica Liturgiae, Part. 9, cap. 2 n. 6 et 7; Velghe, lib. 2, cap. 4, art. 5, et A Carpo, Part. 3, cap. 14, n. 208, confusionem faciunt, ut ita dicam, applicando benedictioni SS.mi, quod respicit solum casum Processionis. Lege potius Rubricam: nullibi mandatum invenies ut Diaconus Ostensorium praebeat Sacerdoti *genuflexo*, quando agitur de benedictione extra omnem Processionem, sed id expresse reperies praeceptum ante et post Processionem SS.mi. Unde in casu non legitima esse videtur illatio de uno ad alterum, quia, iuxta valde tritum iuris axioma, *quandò legislator voluit dicere, scivit, ideo non dixit quia noluit,* et concludendum est Rubricam pro Processione non valere pro simplici, etsi solemnissima, benedictione SS.mi.

b). Dices fortasse mirum non esse, si haec aptitudo non notetur pro Diacono in casu benedictionis extra omnem Processionem, cum iuxta Caeremoniale et Clementinam, ut vidimus supra, *solus* ascendere debeat Sacerdos ad Altare; sed dato quod ex praxi per Congregationem firmata Diacono liceat Ostensorium ponere in manibus Episcopi, nonne conse-

quens est ut illud *genuflexus* recipiat Episcopus, et deinde illud Diacono *genuflexo* remittat, benedictione finita?

Respondemus negative cum *Ephem. Liturg.* anni 1893, pag. 699. Primo, quia traditio Ostensorii per Diaconum, quae est ad maiorem functionis solemnitatem in Processionibus, fit tantum ex commodo in benedictione, et iam satis intelligitur quomodo prima sibi vindicet genuflexionem, et altera non. Secundo, quia haec est praxis romana in quamplurimis Ecclesiis, inter quas etiam observatiores non desunt. Tertio, quia praecise Congregatio hanc praxim dat in exemplum in suo decreto 15 Augusti 1854, dicens: *licere etiam ex praxi Ecclesiarum Urbis.*

c). Audiamus ceterum perillustrem Caeremoniarum Apostolicarum Praefectum, cl. Martinucci, lib. 2, cap. 11, n. 89 et 91: « Celebrans ascendet ad Altare cum Subdiacono et genuflectet. « Subdiaconus consistet adgeniculatus in extremo suppedaneo « a latere evangelii. *Diaconus cum celebrante assurget*, eum- « que adiuvabit in cooperiendo manus extremitatibus veli « humeralis, *deinde ei tradet Ostensorium*, advertens ut pars « eius anterior spectet ad populum, quum Celebrans ad illum « convertetur benedictionem daturus. Ministri, dum benedi- « ctionem largietur, fimbrias pluvialis elevabunt. Peracta be- « nedictione, Diaconus *assurget, recipiet a Celebrante Ostenso- « rium*, quod deponet in Altari ». Unde apparet perfectam stabilitatem huius assertionis secundae in praxi romana fundari, et ideo sententiam oppositam (parcant Rubricistae nobilis notae qui eam sustinent) non esse sequendam, quia confundit Processionem cum benedictione SSmi.

III. Ad tertiam partem, non dubitandum arbitramur quod, qui exponit et deponit SS. Sacramentum, Ostensorium quoque in expositionibus sine Ministris paratis, valeat porrigere Sacerdoti ut supra, ab eoque recipere

Iam in promptu habemus testimonium Ephemeridis gallicae dictae « *Revue des Scunces ecclesiastiques* », quae in serie 1, Tom. 9, pag. 363, aequivalenter dicit: si adsunt cum Celebrante Ministri sacri, munus Assistentis, sive sit Sacerdos sive Diaconus, reduci potest ad collocandum SS. Sacramentum

super thronum expositionis et ad illud e loco expositionis super Altare reponendum, quia praeter duo haec non sunt maiori impedimento lumina pro Diacono parato, quam pro Sacerdote, stola tantum cum surperpelliceo sibi imposita. Potest tamen insuper aperire tabernaculum, ab eo extrahere Sacramentum ante expositionem, et illud in tabernaculo recondere post benedictionem, quia haec functio facilius adimpletur et dexterius a Sacerdote-Sacrista qui cognoscit et tabernaculum et Ostensorium, quam a Diacono parato vel alio Sacerdote, qui nec unum nec alterum cognosceret. « Quam« vis vero deceat et congruat hoc munus per diaconum ex« pleri, ait Gardellini loco citato, non est tamen necessario « per eum implendum. Potest alter Sacerdos cum superpelliceo « et stola hoc fungi munere; idcirco Instructio ait: *Il Dia« cono, o un Sacerdote con stola*, quemadmodum fieri debet « in aliis expositionibus in quibus non parantur Ministri sa« cri ». Imo, iuxta Cavalieri, Tom. 4, cap. 9, « Quod si ul« tra sacros Ministros adsistat Sacerdos alter, hic imposita « sibi stola Sacramentum ut supra recondet, et Diaconus « cum Celebrante pariter descendet et ab eo removebit velum « humerale ». Sed quidquid sit, non credimus officium praebendi Celebranti Ostensorium ad alium pertinere quam Diaconum, *si habeantur Ministri sacri*, quia proprie ad Diaconum attinet ministrare et auxiliari Sacerdoti, quando non existit ratio specialis in oppositum, ut vidimus supra, pro expositione SSmi in Throno etc. Unde concludimus quod *his deficientibus*, iam qui exponit et deponit Sacramentum, Ostensorium quoque praebere possit Celebranti et ab eo recipere.

Et revera, quod fit ex commodo, et non ad solemnitatem functionis per Diaconum quando adsunt Ministri parati, cur iam non possit fieri si adsit tantum unus Sacerdos assistens vel unus Diaconus, ut ex decreto licet dato die 11 Sept. 1848 n. 5102 ad 11? Itaque Cl. De Herdt merito declarat Tom. 2, n. 27: « si solus Sacerdos assistat, eadem facere debet ac Diaconus », et « idem quoque fieri solet, iuxta nostras *Ephem. Liturg.* anni 1893 pag. 699, « quando Presbyter tantum habetur vel Diaconus in benedictione pro ex-

ponendo et deponendo SSmo Sacramento; sed nunquam functionem peragens Ostensorium recipit genuflexus ». Hinc et ratio et auctoritas firmant assertionem nostram.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Romanae
Curé de Lannes (Diocèse de Langres).

QUAESTIO SOLVENDA

pro mense Novembri.

An Diaconus et Subdiaconus in Missa solemni nec non Presbyteri assistentes in Vesperis genuflectere teneantur quandocumque ad medium Altaris accedunt, ab eo recedunt, vel ante illud pertranseunt?

Quid de inferioribus ministris iisdem in casibus, et in Missa privata?

Duas sequentes hic tabellas exhibemus, diversa ratione confectas atque alias iam exhibitas: magis fortasse placebunt.

Tabella dierum quibus Missae Votivae conceduntur vel prohibentur.

+ Conceditur. O Prohibetur.		MIS. VOT. SOL. Pro re gravi ab Ordinario praescripta et ex indulto pro Adoratione perpetua. (1)	MISSÆ VOTIVÆ PRIVATÆ. Quotidiana cantata vel non.	Pro Sponso et Sponsa (2)
Dupl.	1. cl.	O	O	O
	2. cl.	+	O	O
	Major., Minor	+	O	+
Semid.	Simpl.	+	+	+
Dominic.	quibus fit solemnitas translata. privileg. 1 cl.	O	O	O
	privileg. 2 cl. non privileg.	+	O	O
Vigil.	Nativitatis et Pentecostes	O	O	O
	Epiphaniae	+	O	O
	Aliis Vigiliis	+	+	+
Feriis.	Feria IV. Ciner., tota Hebdom. mai.	O	O	O
	Adventus et Quadrages.	+	+	O
	Per annum etiam Quatuor Temp. Rogation.	+	+ (3)	+ (4)
Semid. Infra Octav.	Nativit. Dni, Epiphaniae. Paschae, Pentecostes.	+	O	O
Infra Octav. SS. Corporis Christi (Fer. VI. ad Fer. IV. inclusive).		+	O	+
Die Octava SS. Corporis Christi		+	O	O
Diebus 2. 3. 4 13. Januarii		+	O	O
Commem. om:. Fid. Defunct. (2 vel 3 Nov.)		+	O	+

(1) Missae Votivae solemn., ut gaudeant privilegio, cantari debent, non legi tantum. In his Missis cantatis dicitur *Gloria* et *Credo* (excepto casu tantum quo celebrantur cum paramentis violaceis; in Dominicis tamen semper dicit. *Credo*); numquam genuflectitur ad Orationes; organa poterunt pulsari et omnia solemniter sunt peragenda. (S. R. C. n. 351 ad 14. 19 Maii 1607).

(2) Tempore vetito, id est, a 1. Dnica Adventus usque ad diem Epiphaniae. et a die Cinerum usque ad Dnicam in albis inclusive, aut si mulier sit vidua, non dicitur Missa pro Sponso et Sponsa, nec de ea fit Commemoratio, neque dantur Benedictiones *super conjuges*. (S. R. C. 31 Aug. 1839. — (3 Martii 1761). Aliis diebus impeditis, Missa dicitur de Festo cum Comm. pro Sponsis post omn. Orat. a rubrica praescriptas, sed ante Orat. a superiore imperatas; et sub conclusione secunda, etiam in Duplicibus 1. et 2. cl. (S. R. C. 1822) et dantur Benedictiones *super conjuges*, si mulier non sit vidua. — Cum Missa pro Sponso et Sponsa celebratur in Festo duplici, tres saltem dicuntur Orationes, nec ulla omittitur occurrens Commemoratio. Si unica sit Oratio Festi duplicis, ponitur 2. loco, et pro tertia Oratione sumetur ea quae secus secunda dicenda foret in Festo semiduplici. Postea nec omittantur Orationes de mandato. (S. R. C. 28 Febr. — 3 Mart. 1818 (4544).

(3) Prohibetur tamen diebus Rogationum, si fiat processio, in Ecclesiis parochialibus unam tantum Missam habentibus

(4) Attamen prohibetur in Ecclesiis parochialibus unam tantum Missam habentibus, diebus Rogationum si fiat processio, et in festis suppressis.

Tabella dierum quibus Missae de Requiem conceduntur vel prohibentur.

+ Conceditur O Prohibetur	MISSA CUM CANTU			MISSA SINE CANTU	
	In exequiis Corpore praesente vel absente (S.R.C. 13 Febr. 1892 ob gravem causam, sive sit humatum, sive non; dummodo non ultra biduum Missa celebretur. dies mortis et dies depositionis pro uno habentur).	In primo nuntio de obitu in loco dissito	Diebus 3. 7. 30 et Annivers. (si dies non sit liturgice libera fiet in proxima ante vel post).	In exequiis solemnibus (1)	Missa quotidiana
Nativ Domini Epiphaniae (a). Pasch. Ascens. Pentec. SS. Corpor. Christi Imm. Concept. Annuntiat. Assumpt. Nativ. S. Joan. Bapt. S. Joseph. Ss. Petri et Pauli Ap. Omn. Sanctor. Dedic. et Titul. pr. Eccl. Patron. princip. Loci. Fer V. VI., et Sabb. mai. hebd. (a) aut in sequenti Dominica, in quam alicubi solemnitas transferenda est: quod etiam ad festa idem privilegium habentia applicandum erit.	O	O	O	O	O
Diebus, quibus occurrunt festa, quorum solemnitates transferuntur; Fer. 2. et 3. post Pasch. et Pentec. SS. Cordis Jesu; Dedic et Titul. Eccl. Cathedr. Festis de praecepto (sive 2. cl. sive inferioris ritus) ac Dominicis	+	O	O	O	O
Vigil. Nativ. Domini et Pent. die Oct. Epiph.; die Ciner.; fer. 2., 3. et 4. mai. hebd. infr. Oct. Pasch. et Pent.	+	+	O	O	O
Dupl. 2. class. (sine feriatione).	+	O	O	+	O
Infra Octav. { Nativ. Dom. et Epiph. SS. Corporis Christi.	+	+	O	+	O
Vigil. Epiphaniae. Dupl. mai. et dupl. min.	+	+	+	+	O
Semidupl. Simpl., Feriis et Vigil. non privil. Feria in qua Dominica anticip.	+	+	+	+	+

(1) Missae lectae (etiam plures) cum applicatione pro defuncto, in *Ecclesia* et in *die funeris*, pro exequiis solemnibus (ante, vel post, vel intra Officium) dici possunt, corpore praesente (insepulto, vel etiam sepulto si adsit gravis causa) sub clausulis et conditionibus quibus, iuxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de requie iisdem in casibus decantatur. excepti dup. 1. classis et diebus qui non admittunt duplicia 1. cl. et festis de praecepto (*S. R. C. 8 Junii 1896.*) dummodo Missa exequialis cum cantu celebretur saltem in Ecclesiis et Oratoriis publicis (*S. R. C. 13 Jan. 1897*).

Missa solemnis praesente cadavere prohibetur diebus quibus SS. Sacramentum solemniter manet expositum pro causa publica: in Ecclesiis autem parochialibus, unam tantum habentibus Missa prohibetur etiam in omnibus Dominicis festisque de praecepto. Missa vero de requie cum cantu diebus III, VII, XXX, et anniversaria, prohibetur etiam quando SS. Sacramentum ut supra exponitur, et in Ecclesiis parochialibus unam tantum habentibus Missam, prohibetur in festis suppressis et diebus Rogationum, si fiat processio.

APPENDIX

VENERABILI FRATRI NOSTRO

ALOISIO S. R. E. CARDINALI ORELIA

A SANCTO STEPHANO

EPISCOPO OSTIENSI ET VELITERNO DECANO SACRI COLLEGII

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER NOSTER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Libet quidem affari te his litteris, ut est consentaneum dignitati tuae: sed intelligi universe volumus de Venerabilibus Fratribus Cardinalibus atque Episcopis omnibus, quorum praesentia, extremo mense Maio, ad caeremonias sanctissimas gavisi sumus, quique per eam occasionem communes ad Nos litteras dedere plenas officii egregiaeque voluntatis. Certe animum vestrum, Venerabiles Fratres, pulchre cognoveramus cum Nostri cupidum, tum Sedi Apostolicae, uti oportet, deditissimum: gratum tamen est recognovisse. Siquidem magnopere optandum, hoc praesertim tempore, ut idem saepius appareat, scilicet qui in christiana re administranda versantur, eos esse omnes obsequio, caritate mutua, similitudine consiliorum, cum Pontifice Maximo coniunctos, in quo Iesus Christus et potestatis fastigium et principium unitatis collocavit. Qua in re utique vobiscum consentiunt e multitudine christiana longe plurimi; fieri enim non sine divino consilio videmus, ut Apostolicae Sedis tanto plus ex una parte excitetur amor, quanto ex altera est oppugnatio vehementior. Eiusmodi tuendo propagandoque amori populari, in quo velut initium ac pignus quoddam cernitur salutis futurae, est vehementer opus auctoritate diligentiaque vestra, quam sane constantem fore, ut est, certo scimus. De reconciliatione orientalium gentium, et quotquot sunt qui nobiscum de fide dissentiunt, valde amavimus pietatem desiderii vestri. Magni omnino operis exitusque ardui

velut semina iecimus: ea ad maturitatem aliquando perductum iri confidimus, auctore Deo, qui Ecclesiam suam unam esse iussit totius complexu generis humani, et cuius in potestate est mortalium animos unde vult deducere, et quo vult, incolumi cuiusque libertate, impellere. Contendite ab eo suppliciter, ut tantam hominum multitudinem revocare ab opinionum errore ad veritatem benigne velit: quantum autem in vobis est, date operam ut conata Nostra adiuvetis per artes omnes christianae caritatis. Inter coepta tantarum rerum officiaque cetera quae munus apostolicum comitantur, quotidie magis apparet necesse esse, ut Apostolica Sedes in eam ipsam conditionem, quam divina providentia pepererat, restituatur. Spes Nostras in Deo reposuimus vindice Ecclesiae suae: intereaque, quamdiu ea quae premunt incommoda ac difficultates insederint, sine ulla dubitatione perseverabimus vim Pontifici illatam conqueri, et ea, quae libertatis Nostrae tutelam maxime continent, sanctissima iura repetere.

Coelestium munerum auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres, populoque et clero vestro, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die v Iulii an. MDCCCLXXXXVII. Pontificatus Nostri vigesimo.

LEO PP. XIII.

E S. R. ET U. INQUISITIONIS CONGREGATIONE

Beatissime Pater,

Episcopus Mimatensis in Gallia, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit:

Ex decreto S. Inquisitionis 23 Iunii 1886, cuilibet confessario directe absolvere licet a censuris etiam speciali modo S. Pontifici reservatis, in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali vel infamiae, iniunctis de iure iniungendis, sub poena tamen rein-

cidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.

Dubium tamen oritur pro casu quo nec scandalum, nec infamia est in absolutionis dilatione, sed poenitens censuris papalibus innodatus in mortali diu permanere debet, nempe per tempus requisitum ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis; praesertim quum Theologi, cum S. Alphonso de Ligorio, ut quid durissimum habeant pro aliquo per unam vel alteram diem in mortali culpa permanere.

Hinc, post decretum 23 Iunii 1886, deficiente hac in quaestione theologorum solutione, quaeritur:

1. Utrum in casu quo nec infamia nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, simplici confessario liceat a censuris S. Pontifici reservatis directe absolvere, iniunctis de iure iniungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem?

2. Et quatenus negative, utrum simplex confessarius eumdem poenitentem indirecte absolvere debeat, eum monens ut a censuris directe in posterum a superiore absolvi curet, vel apud ipsum revertatur, postquam obtinuerit facultatem a reservatis absolvendi?

Feria IV, 16 Junii 1897.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab Em. ac Rm. DD. Cardinalibus in rebus fidei Gen. Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum S. O. voto, iidem Em. ac Rm. DD. respondendum censuerunt:

Ad I. *Affirmative*, facto verbo cum SSmo.

Ad II. *Provisum in primo.*

Insequenti vero feria VI, die 18 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta

de omnibus SSmo D. N. Leoni PP. XIII relatione, idem SSm. Dm. Em. Patrum resolutionem adprobavit (1).

I. Can. Mancini *S. R. et U. I. Not.*

E S. CONGR. CONCILII

ENGOLISMEN.

Capitulum Cathedralis Ecclesiae Engolismensis die 26 Martii 1896, a Sancta Sede obtinuit, propter debilitatem gravemque aetatem Canonicorum, dispensationem ad decennium missae et omnis officii capitularis, exceptis diebus dominicis et festis de praecepto.

Porro quaeritur:

An quisque canonicus privatim recitare possit in simplicibus et diebus ferialibus officia votiva ad libitum concessa,

---

(1) Ad maiorem intelligentiam huius decreti, opportunum ducimus decretum anni 1886 hic compendifactum ponere.

S. R. et U. I. Congregatio. — I. Utrum tuto teneri possit sententia docens ad episcopum, aut ad quemlibet sacerdotem approbatum, devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate adeundi S. Sedem? — II. Quatenus negative, utrum recurrendum sit saltem per litteras ad Emum S. Poenitentiariae Praefectum pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi episcopus habeat specialem indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendum absolvendi facultatem? R. ad 1.: Attenta praxi S. Poenitentiariae, praesertim ab edita Constit Apost. s. m. Pii IX, quae incipit « Apostolicae Sedis », *Negative.* Ad 2. *Affirmative*; at in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam *speciali modo* Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen *reincidentiae* in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem. SSmus resolutionem EE. PP. approbavit et confirmavit. 23 Iunii 1886.

quamvis supradictum Capitulum haec officia capitulariter non admiserit?

Et quatenus negative:

Ioannes Petrus Davant et Iulius Moreau, Canonici, expostulant, propter infirmam eorum valetudinem, facultatem officia supradicta recitandi diebus in quibus conceduntur.

Et Deus etc.

Die 22 Februarii 1897. Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad supradicta dubia respondere censuit prout sequitur:

Ad 1um *Negative.*

Ad 2um *Attenta infirmitate, benigne commisit Episcopo Engolismensi ut, veris existentibus narratis, facultatem iuxta petita pro suo arbitrio et conscientia gratis impertiri possit et valeat.*

A. Card. di Pietro, *Praef.*

L. ✠ S.

B. Archiep. Nazianzen., *Pro-Secret.*

MEDIOLANEN.

Beatissime Pater,

Sac. Oblatus Carolus Gorla in Seminario Mediolanensi Theologiae Moralis professor, pro opportuna solutione sequens dubium S. Sedi proponit.

Extat decretum S. Congregationis Concilii 12 Iulii 1794 « Foetus in utero supra verticem baptizatus post ortum denuo sub conditione rebaptizetur ».

Rationem dant tunc temporis Theologi, quia certum esse non potest aquam caput infantis revera attigisse; etsi amplius non valeat ratio exhibita a S. Thoma III P. q. 68 art. 11, quod generatim « corpus infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua ».

Quaeritur: « Si in aliquo casu particulari medicus vere peritus et probus testetur, per methodum longe perfectam, quae nunc adhibetur, aquam sine dubio caput infantis in

utero attigisse, debetne infans iterum sub conditione baptizari post ortum? ».

Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 21 Ianuarii 1897 respondit: *Recurrendum ad S. Congregationem Concilii.*

Et S. C. Concilii sub die 16 Martii 1897, rescribendum censuit.

Servetur decretum S. C. Concilii die 12 Iulii 1794: idque notificetur Em. Archiepiscopo Mediolanen.

L. ✠ S.

A. Card. Di Pietro *Praefectus*
B. Archiep. Nazianzen., *Pro-Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

Societatis Div. Salvatoris.

P. Thomas Ioseph a div. Provid., sodalis Societatis Divini Salvatoris, huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exponit: Sub die 27 Aprilis 1887, sequenti proposito dubio: « utrum conveniens sit Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, honoris et devotionis causa separatim, potius ac distincte, quam cumulative et commixtim cum aliis quatuor vel pluribus scapularibus benedicere et imponere? » hanc eamdem Sac. Congregationem respondere mandavisse: « Affirmative: et consulendum SSmo, ut Indultum hucusque in perpetuum concessum, etiam Regularibus Ordinibus et Congregationibus, induendi christifideles Scapulari carmelitico commixtim cum aliis Scapularibus revocetur, et ad determinatum tempus coarctetur, neque in posterum amplius concedatur ».

Iamvero plures Sacerdotes, tum Saeculares tum Regulares, etiam post hoc Decretum, Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo iam cum aliis Scapularibus commixtum benedicere imponere solent, ita tamen ut peculiari formula utantur ad Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo benedicendum et

et imponendum; dicunt enim praedictum Decretum non vetare quominus praefatum Scapulare Carmeliticum, sive ante sive post benedictionem et impositionem, *de facto commixtum sit* cum aliis Scapularibus, sed referri tantum *ad peculiarem benedictionem et impositionem* Scapularis.

Quaeritur itaque ab hac S. Congregatione:

Utrum haec methodus a nonnullis Sacerdotibus adhibita valide et licite servari possit?

Et S. Congregatio, omnibus mature perpensis, respondit: *Affirmative.*

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 Martii 1897.

L. ✠ S. Fr. H. M. GOTTI, *Praef.*

A. Archiep. NICOPOLIT., *Secret.*

MEDIOLANENSIS.

Professor Iuris Can. in Theologico Mediolanensi Seminario huic S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae reverenter exponit:

Cum Summus Pontifex benignissime facultatem concedit Sacerdotibus redeuntibus a romana peregrinatione, impertiendi Benedictionem Apostolicam, hac formula uti solet: *Parochis et omnibus animarum curatoribus etc.*

Iamvero inter Sacerdotes qui nuper in Dioecesim a romana peregrinatione remearunt, sunt:

1. Qui proprie Parochi dicuntur;
2. Qui oeconomi sunt spirituales vacantium Parochiarum;
3. Qui curam animarum obtinent tamquam Coadiutores *ex titulo*, nempe vi beneficiariae institutionis et ideo quasi ordinariae;
4. Qui tamquam Coadiutores parochiales curam animarum exercent delegatam ab Episcopo ad causarum universitatem;
5. Qui in Officio Coadiutoris vel Cappellani penes Ecclesias Subsidiarias resident ibique Sacrum faciunt, Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae administrant, concionantur et infirmorum curam gerunt;
6. Qui Seminariorum, Collegiorum, piorum Institutorum, seu etiam religiosarum Congregationum sunt Rectores, Supe-

riores, Moderatores, Confessarii vel eorum locum ex officio tenentes.

Quaeritur igitur:

1. Num nomine *Parochorum et curam animarum habentium* veniant non modo qui sub num. 1. et 2. sunt recensiti ut sibi certum videtur, sed illi quoque, qui sub aliis numeris sunt nominati?

2. Et quatenus affirmative utrum pluries in diversis diebus et in eadem Paroecia possit impertiri Benedictio Apostolica in casu quo a romana peregrinatione regrediantur Parochus et Coadiutor, vel duo Coadiutores eiusdem Paroeciae?

SSmus Dñus Noster Leo Pp. XIII in audientia habita die 19 Iunii 1897 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, audita relatione suprarelatorum dubiorum, declaravit quoad 1. mentem suam fuisse et esse, ut Benedictionem, de qua in casu, impertiri tantum possint et valeant Parochi effectivi et oeconomi regentes Paroecias vacantes: quoad 2. semel tantum esse impertiendam Benedictionem in qualibet Paroecia. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congñis die et anno uti supra.

L. ✠ S.

Fr. H. M. Card. Gotti *Praefectus.*
Ioseph M. Can. Coselli *Subst.*

E VICARIATU URBIS

Circa Piam Adsociationem a Sacra Familia.

Plures Rmi Ordinarii varia Dubia proposuerunt solvenda circa hanc Piam Adsociationem, quorum praecipua, intra Romanam Ephemeridem *Analecta Ecclesiastica*, ut nota fiant, quibus interest, referri permittimus.

Dubium I. — An ii, qui cum familia quadam mensa communi utuntur et familiariter vivunt, in sociorum numerum adscisci cupientes, sub nomine illius familiae percipi possint?

Affirmative, sed in Regesto Parochiali adnotanda sunt nomina et cognomina et circumstantia cohabitationis.

Dubium II. — An ii, quibus societas cum certa familia non est, ad communes preces domesticas recitandas cuilibet familiae se adiungere possint, et hoc modo indulgentias concessas lucrentur?

Affirmative, dummodo qui familiae ad recitandas preces consociantur, iam nomen dederint Piae Consociationi.

Dubium III. — An ad indulgentias plenarias et partiales lucrificandas sufficiat sola adscriptio in tabulas Piae Consociationis?

Provisum in statutis et Regulis, — Requiritur adscriptio et simul recitatio precum.

Dubium IV. — An ad indulgentias lucrandas Consecrationis formula per parochum rectorem in facie ecclesiae adhibenda sit?

Provisum in Statutis sub n. 5, nempe: Non indigere essentialiter.

Dubium V. — An ad familiam per parochum in ecclesia consecrandam, cunctos domesticos personaliter se sistere opus sit?

Non indigere, si caeteris conditionibus ipsi domestici satisfaciant. Nomina vero domesticorum in Regesto adnotanda sunt.

Dubium VI. — An ad lucrandas indulgentias, per praesentiam solius patrisfamilias vel matrisfamilias satisfiat?

Indulgentiae lucrantur a quibus formula recitatur vel preces praescriptae.

Dubium VII. — An parochus, qui est rector in sua parochia, cum domesticis suis Piae Consociationi se adscribere et aggregare queat?

Affirmative.

Dubium VIII. — An parochus, quando senectute vel adversa valetudine confractus, officia Piae Consociationi coniucta alii presbytero committit, etiam privilegia et indulgentias a Sede Apostolica parocho concessa, illi presbytero suas vices gerenti delegare valeat?

Affirmative. Servatis tamen regulis Iuris Canonici quoad Delegationem.

Datum Romae, ex Aedibus Vicariatus, die 28 Martii 1897.

RAPHAEL CHIMENTI
Piae Adsociationis a Sacra Familia Secret.

IMPRIMATUR
P. Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P.
S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
FRANCISCUS CASSETTA *Patriarch. Antioch., Vicesgerens.*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph, in Vico a S. Prisca, 8. (*in Col. Aventin*).

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE
SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI

Post Decretum nuper evulgatum a S. R. C. super Dedicationibus trium Basilicarum Urbis, quae uti primaria festa pro omnibus habenda sunt, vehemens motum est dubium in Ecclesia S. Xysti Papae et Mart. cuius recolitur de more festum die sua, nempe 6 Augusti. Namque si eiusmodi Dedicationes Ecclesiarum sunt festa primaria, idem quoque de eorum Titulis iure praedicandum erit. Eadem ergo die, qua Transfiguratio D. N. in Urbe recolitur, quae Ecclesiae SS. Salvatoris est Titulus, in Ecclesia S. Xysti hactenus factum est de Titulari proprio; sed post praefatum Decretum, de Transfiguratione potius faciendum videtur, seu de Titulo Ecclesiae SS. Salvatoris, utpote digniori. Quod nihilominus sibi persuadere nequit Ecclesiae Rector, cum iudicet tria festa solemniora localia solis esse postponenda solemnioribus universalis Ecclesiae, haud vero aliis quibuscumque, quia ista sunt 1^mi^, illa 2^di^ ordinis. Cum tamen ratio dignitatis suo videndi modo adversari videatur, ideo alteri ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistro sequentia dubia enucleanda proponit:

1. Num antiquior nec ne mos sit celebrandi solemniori ritu Titulos Ecclesiarum, et cuius vi legis hodie celebrandi sunt, et a quibus Ecclesiis?

2. Num satis sit probatum firmumque principium, ex quo tria festa solemniora localia nulli festo

locum cedant, nisi sit ex solemnioribus universalis Ecclesiae?

3. Quomodo hac super re interpretandum praefatum Decretum? Et quid pariter iudicandum, si dicta festa primaria cum aliis primariis magis propriis occurrant vel concurrant eiusdem ritus?

4. Quodnam ergo festum Ecclesia S. Xysti die 6 Augusti celebrare debeat, an Titulum proprium, an SS. Salvatoris?

SOLUTIO

Ex dissertatione R. D. Iulii Fumasoni-Biondi Pont. Sem. Rom. alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Congreg. Missionis die 12 Maii 1897; acta Epitoma per R.mum Dom. Philippum M. Can. Difava S. R. C. Subst.

I. Num antiquior nec ne mos sit celebrandi solemniori ritu Titulos Ecclesiarum, et cuius vi legis hodie celebrandi sunt, et a quibus Ecclesiis?

Titulus ex Varrone, ait Guyetus (*lib. 1, c. 6, quaest. 1.*), a tuendo, hoc est indicando, dicitur, quia nimirum rem, cui superscribitur, tuetur ac indicat. In sacra Scriptura signum perpetuae memoriae significat, unde (2. Reg. 18) dicitur: « Absalom erexit sibi Titulum in monimentum nominis sui »; (Genes. 28) Iacob « surgens mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo et erexit in Titulum, fundens oleum desuper (Septuaginta habent: *in statuam*) ». Ecclesia Catholica vero usque ab initio Titulos vocavit domos gentilium ad fidem conversorum, in quibus coa-

dunari Christiani solebant. Tituli quoque vocata sunt Oratoria super corpora sanctorum Martyrum celebriorum constructa; item praecipuae Ecclesiae, quae paulatim surrexerunt super celebriora loca, praecipue Romae, post pacem a Constantino invectam, et quae etiamnum Tituli Cardinalitii vocatur. Cum autem Ecclesia Templa in Dei cultum erigit, in Titulum profecto et monimentum nominis sui id facit. Sed et ut tutorem, defensorem ac in opportunitatibus adiutorem itidem habeant qui Ecclesias construunt, Coelitibus consecrant. At cum dedicationis Ecclesiarum Caelitibus factae finis, ac Patronatus effectus praestantius proculdubio obtineantur in Deo ipso, denegandum non est, Deum Ecclesiarum sibi specialiter dedicatarum Patronum esse, quantumvis Patroni nomen, prout ad maiorem aliquem relationem habet, aut Iudicem supponit, eidem profecto competere non valeat. Nunc vero non tantum Dei et illustriorum Martyrum Titulo Ecclesiae dedicantur, sed et Mysteriorum et quorumcumque Sanctorum. Quaestio fuit quondam, an Mysteria et res sacrae dare Titulum Ecclesiis possent. At cum iuxta ortodoxam Theologorum sententiam, v. gr. SS̃mae Cruci, Sepulcro. Sudario etc. adoratio eadem, quae ipsi Christo Domino, seu, ut loquuntur, coadoratio debeatur; idque non tantum ratione repraesentationis, quod commune est tum Crucibus effigiatis, tum ceteris etiam imaginibus. sed praeterea ratione sacri contactus; consequens profecto est, ut Templa quoque sub eorum pariter Titulo rite dedicari queant, cum id sit adorationis, seu cultus eiusmodi pars. Quod autem dictum est de Christo, proportione servata, dicendum venit de B. Maria, de Angelis et

aliis Sanctis. Et revera sparsim per orbem inveniuntur erectae Ecclesiae sub Titulo SS. Crucis, Infantiae Iesu, B. M. V. Conceptionis, Assumptionis, Vinculorum S. Petri, Conversionis S. Pauli, etc.

Quia tamen huiusmodi Tituli, ait Cavalieri (*T. 1. C. II. n. 21*), etsi Ecclesias inscribant, intitulent ac denominent, Personam aliquam non dicunt, non possunt praefata Mysteria, vel res, sive actiones sacrae denominatarum Ecclesiarum Patroni esse et nuncupari, sed solummodo Tituli, quatenus videlicet suo nomine Ecclesias intitulant vel denominant. Hinc communiter distinguitur Patronus a Titulo in eo, quod Patronus est semper Persona aliqua, quae advocationem gerit et suo insuper nomine Ecclesiam intitulat. Hinc licet Mysterium, vel res Titulus vere sit, quia a seipso Ecclesiam denominat, prout tamen in seipso sistit praecise, Patronus proprie non est, cum non dicat Personam, quae solummodo intercedere valet et patrocinari. Verum quoniam Mysteria, vel res quaecumque sacrae noninisi quatenus referuntur ad Personam aliquam ad quam spectant, reapse Ecclesiarum Tituli sunt, idcirco secundum hanc considerationem inspecta, seu quatenus Personam involvunt, etiam Ecclesiarum Patroni esse queunt et dici, dummodo tamen Patronus eo sensu intelligatur, quo fas est, pro ratione Personae, ad quam referuntur. Si enim Persona patronatus rationem effugiat in sensu advocationis quemadmodum evenit in Ecclesiis Deo immediate, etiam sub aliquo eiusdem attributo dicatis, tantummodo Titulus Ecclesiae diceretur. Unde plures Auctores ad rem observant, a Rubricis, quotiescumque Titularis Ecclesiae nominatur, semper cum disiunctione poni, *Patronus*

vel Titulus Ecclesiae, quia datur nempe Titularis Ecclesiae, qui eiusdem Patronus non est. Quod igitur est homini baptizato nomen impositum, concludit Cavalerius (*loc. cit. n. 24*), hoc idem est Ecclesiae dedicatae Patronus, seu Titulus, quo videlicet ipsa nuncupatur et ab aliis Ecclesiis proprio veluti nomine dignoscitur.

Impraesenti communis loquendi ratio fert, ut *Titulus* nonnisi *Ecclesiae*, *Patronus* nonnisi *loco* detur. Hinc, aequivocationis vitandae causa, constitutum est, ut dicamus semper: *Ecclesiae Titulus: Patronus loci.*

Mos solemniter celebrandi Ecclesiarum Titulos profecto vetustissimus est, et revera usque ab initio, ut iam diximus, Templa et Oratoria erecta fuere super praeclariorum Martyrum sepulcra, quibus in locis iidem Sancti quotidie venerabantur et quam praecipue die eorum gloriosi triumphi anniversario, quod praeclare constat ex historicis Christianae Ecclesiae monumentis. Unde absque ulla errandi formidine, affirmari potest morem solemniori apparatu celebrandi Titulares singularum Ecclesiarum, certe connecti cum ipsomet Martyrum cultu et exinde suam dignoscere originem. Christicolae sane maximo et singulari semper prosequuti sunt honore Ecclesiarum Titulares vehementique in eos amore afficiebantur, quos saepe et totius regionis Patronos elegere, aut peculiaris personarum coetus. Testis huius rei est omnium temporum historia, qua novimus aevo peculiariter medio, populos pro variis artibus distributos, sub proprii Patroni Vexillo strenue pro suis iuribus pugnasse, et sub eiusdem signi umbra ad res suae regionis maioris momenti discutiendas convenisse.

Sancta Mater Ecclesia hanc piam fidelium venerationem favore prosequuta est, huiusmodi devotioni satisfaciens statuendo, anniversariam Sancti vel Mysterii festivitatem, cuius nomini erigebantur aut iam erectae fuissent Ecclesiae, ritu solemni primae classis cum octava celebrandam esse, uti in Rubricis Breviarii Romani habetur in Titulis *de Commemorationibus* et *de Octavis*. Deinceps paulatim temporis decursu et post Romanarum Congregationum constitutionem, magis magisque cultus solemnis confirmatus fuit, quo Sanctus cuiusque Ecclesiae Titularis colendus esset, usque dum in festorum catalogo a S. Rituum Congregatione recens confecto (*2 Iulii 1893*) huiusmodi solemnitas inter primarias ritus duplicis 1ae classis cum octava recenseretur.

Praeter cuiuscumque Ecclesiae proprium Titularem, etiam Cathedralis Ecclesiae Titularis ratione primatus, quo ipsa prae ceteris omnibus pollet, et quia sedes est Episcopi, cui ab omnibus debetur subiectio et reverentia, ius habet ut etiam in ceteris Ecclesiis per totam Dioecesim recolatur sub ritu duplici primae classis cum octava. Ecclesiae tamen Regularium cum sint exemptae, nec ipsi Regulares subditi sint Episcoporum, prouti ceteri de clero saeculari, minori quidem solemnitate celebrant, nempe absque octava, quod per S. Rituum Congregationis Decretum sancitum est (*27 Martii 1628*).

Quaeritur nunc a quibus Ecclesiis Titulares celebrandi sint, respondemusque statim: ab iis, quibus illi solemniter et legitime imponuntur. Hae porro sunt, primo omnes Ecclesiae consecratae, secundo omnes Ecclesiae solemniter benedictae. Hoc probatur ex ratione

ipsa Titularis, qui si solemniter imponitur, profecto ius habebit ad specialem cultum, et iuxta Ecclesiae morem, annua celebritate; hoc insuper ab ipsa S. Sede confirmatur pluribus Decretis. Unde ius istud coarctandum non credimus ad illas tantum Ecclesias, uti aliquis vellet, quae a seipsis reguntur, et nullam habent ab aliis dependentiam et subiectionem, et saltem unum habent vere addictum Sacerdotem. Et sane praeterquamquod nullibi hoc praecipitur, de facto novimus plurimas Ecclesias sive filiales, sive succursales, sive patronales, a Sacerdotibus tantummodo adventitiis directas, imo interdum semel tantum in anno patentes, de quibus, praesertim quia consecratae, dubitare non licet quin Titularem solemniter colere valeant, quinimo debeant. Decreta hac super re nimis clare loquuntur, quae cum ab omnibus cognoscantur a referendis abstinemus (1).

II. Ad secundum quaesitum reponimus, absque dubio affirmari posse, verum esse, satis probatum firmumque principium, ex quo tria festa solemniora localia, nempe Dedicationis et Tituli Ecclesiae, nec non Patroni loci, nulli festo, etiamsi ritu gaudeat duplici 1ae classis et octava, locum cedant, nisi sit ex solemnioribus universalis Ecclesiae. Et re quidem vera quamvis hoc directe non declaretur in Liturgicis codicibus et Sacrae Congregationis Decretis, tamen ex iis legitime deducitur. De festis secundae classis Ec-

---

(1) Quae de publicis Oratoriis solemniter benedictis in hoc Liturgico Conventu dicta fuere, cum consona sint iis, quae pluries tradidimus hisce in Ephemeridibus, ad ea lectorem amandamus, quae inveniet Vol. X, pag. 310, 317, et praecipue 640, et hoc ne ob nimia iam congesta, huius anni volumen augeatur.

clesiae universalis, exceptis Circumcisione et SS. Trinitate, nullum dubium, cum in Rubricis nulla pro iis fiat exceptio, et hoc a Decretis S. R. Congregationis confirmetur, ab illo in *Ariminen.* diei 16 Octobris 1604, pro Ord. Min. Capuccinor. (quamvis ex nova collectione expungendum it peculiari ex causa), ad recentissimum in *Quebecen.* ad IV, diei 13 Decembris 1895, quo edicitur: « Quum die octava Septembris *faciendum sit de S. Adriano M. Ecclesiae Titulo*, die 9 eiusdem mensis fiat de Nativitate B. M. V. etc. » De Dominicis autem 1. et 2. classis, sermo est in Rubrica de Commemorationibus, ut illis cedere nostra festa debeant, non istis. De eisdem Dominicis et festis solemnioribus 1. classis, una cum festis Circumcisionis et SSmae Trinitatis 2. classis, sermo redit in Rubrica de Translatione festorum, ita ut iis cedere locum debeant solemniora localia festa. De Dedicatione propriae Ecclesiae recens S. R. Congtio declaravit (*die 14 Febr. 1896*) non praevalere festis solemnioribus universalis Ecclesiae.

Quod autem praeferri debeant ceteris particularium locorum festis etiam 1. classis, ex Rubrica Tit. X eruitur, generatim dicente ex pluribus duplicibus praeferenda ea esse, quae magis solemnia seu digniora sunt: nunc autem, nemo non videt festa, de quibus in casu, hac dignitate seu solemnitate prae ceteris pollere: ex plurimis autem S. R. C. Decretis constat, illa praeferenda seu festis Ordinis, etiam huius Patrono (*S. R. C. 14 Maii 1803, 31 Mart. 1821*), seu Dioecesis, etc.; auctores omnes demum in hoc concordes omnino sunt. Nec sub silentio praetereundum est, in catalogo festorum, quae uti primaria habenda sunt,

haec tria de quibus sermo noster est, non fuisse recensita inter festa localia, sed eadem sub Rubrica immediate post festa universalis Ecclesiae; cur ita factum est? profecto hac de causa, ut dignoscatur, in eodem gradu consideranda ea esse, quo inveniuntur festa solemniora Ecclesiae universalis, his tantum, uti fas est, exceptis.

III. Quaeritur 1. Quomodo interpretandum Decretum 22 Augusti 1893, die 27 eiusd. a SS. D. N. confirmatum, quo Dedicationis festa trium Patriarchalium Urbis inter primaria enumerantur universalis Ecclesiae? Ita sane, quod in paritate ritus ceteris omnibus praeferri debeant, hac de ratione, quia cum agatur de Ecclesiis Summo Pontifici magis affectis, ad particularium Ecclesiarum unionem cum supremo Pastore magis magisque affirmandam, conveniens admodum erat primarietate earum Dedicationem decorare. Secus evenire potuisset, ut festa quaedam etiam inferioris dignitatis praevalerent.

Quaeritur 2. Quid iudicandum si dicta festa primaria cum aliis primariis magis propriis occurrant vel concurrant eiusdem ritus? Cum agatur de festis Domini (*S. R. C. 4 Febr. 1896*), alia primaria eiusdem dignitatis eiusdemque ritus dari posse supponere haud possumus; ergo, cum ceteris paribus praevaleat dignitas proprietati (*S. R. C. 21 Febr. 1896*), semper praeferenda erunt.

IV. Posito, ut supra vidimus, in responsione ad II, principio, quod tria festa localia solemniora nulli alii locum cedant, etiam digniori et primario, nisi solemnioribus Ecclesiae universalis, consequitur in Ecclesia S. Xysti die 6 Augusti non debere celebrari Titulum

Ecclesiae Cathedralis, quamvis dignitate personali potiorem nempe SS. Salvatorem, sed Sanctum Xystum illius particularis Ecclesiae Titularem. Unde nihili facienda illatio, ut in casu, de Dedicatione in Titulum, ita ut, eo quod illa declarata fuerit festum primarium et iste consequenter primarium considerandum sit. Nam sit hoc verum, aut non, nihil nostra interest (Transfiguratio, in casu, invenitur in Catalogo inter festa primaria); ex alio principio conclusionem deduximus, quod satis est. Ceterum etiamsi illatio non valeret nil ad casum nostrum referret, si Titulus Ecclesiae maneret secundarius, namque, vidimus etiam primarium et digniorem negligendum esse in casu.

QUAESTIONES ANNI 1895-96

X.

1. *Quaenam antiquitas et auctoritas seu Pontificalis Romani, seu Appendicis post illud insertae?*

2. *Utrum impositio manus, dum Episcopus Confirmandi frontem inungit, sit nec ne admittenda ?*

3. *Quid de aliis singulis in casu expositis censendum, quidque pro praxi utrique Caeremoniarum, ut in casu, magistro consulendum?*

CONCLUSIONES.

Ex dissertatione R. D. P. Saraiva habita die 20 Maii 1896; Epitomatore Rmo D. Oreste Borgia.

I. Pontificale Romanum sic a Zaccaria definitur: « Liber caeremonias continens ad Pontificem eiusque functiones pertinentes. » Alias vocatum fuit *Ordinarium Episcopale*. A Patribus Concilii Celichitensis in Anglia anno 816 celebrati appellatum est *Liber ministerialis*. Magna rituum pars, quos illud continet, ab aevo Apostolico originem duxit. Plures Ecclesiastici viri iam a primis Ecclesiae saeculis, colligendis et scripto tradendis sacris ritibus operam dederunt; testis est pro tribus prioribus saeculis S. Dionysius Episcopus in Opere « De ecclesiastica Hierarchia », et S. Clemens Papa in Constitutionibus apostolicis. Saeculo IV, plures dioecesanae Synodi et provinciales nec non duae Oecumenicae in determinandis variis ritibus in Sacramentorum administratione et aliis S. functionibus pro Presbyteris et Epsicopis incumbunt. Inveniuntur sequioris aevi plura *Sacramentaria*, a Graecis *Eucologia* vocata, uti v. gr. illa S. Leonis, S. Gelasii et S. Gregorii M., accuratius preces et caeremonias Liturgiae seu Missae et administrationis Sacramentorum, quae uno tempore sunt Pontificalia, Ritualia et Missalia, exhibentia. Post haec libri pontificales proprie dicti exarati, qui Episcoporum opera in variis Ecclesiis, locum aliorum exceperunt.

Primus auctor seu ordinator nostri Romani Pontificalis, uti et Caeremonialis, fuisse creditur, ut ait Catalanus, saeculo XV Augustinus Patricius Episcopus

Pientinus, qui illud Innocentio VIII dedicavit; quod eruitur ex eiusdem Episcopi epistola ad eundem Pontificem. Revisum postmodum et castigatum, tandem a Clemente VIII omnibus Episcopis praeceptum fuit, ceteris omnibus, quae iam essent in usu, Constitutione *Ex quo* eiusdem Clementis Papae, diei 10 febr. 1596, abrogatis. Temporis decursu novas editiones eiusdem libri curarunt emendatiores Urbanus VIII, Benedictus XIII et Benedictus XIV, quae etiamnum adhibentur ac novis cudendis sunt exemplo.

Pontificalis Romani auctoritatem maximam esse, non est ambigendum. Catalanus docet *semper habuisse vim legis.* In praefata Clementis VIII Constitutione haec verba habentur: « praecipimus ac mandamus ut omissis, quae sic suppressimus et abolevimus, ceteris omnibus Pontificalibus, *hoc nostrum..... recipiant*, illoque posthac *perpetuo utantur.*

Iam antea dixerat: « neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum est, nisi formulis, quae hoc ipso Pontificali continentur, servatis *satisfacere posse*; » proindeque praecipit: « nullo unquam tempore in toto vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum, aut omnino detrahendum esse ». Urbanus VIII, constitutione *Quamvis alias*, 17 Iunii 1644, statuit in posterum extra Urbem imprimi non posse, nisi obtenta in scriptis S. R. et U. Inquisitionis licentia, vel huius defectu, saltem Ordinarii ; poenasque comminatur tam in eos, qui Pontificale imprimere praesumpserint iam approbato non conforme, quam in Inquisitores et locorum Ordinarios, qui debitam non adhiberent diligentiam, ut de tali conformitate certiores fierent. Benedictus tandem XIV, per

Breve *Quam ardenti*, diei 25 Mart. 1752, praedecessorum Decreta confirmavit, Pontificali addendo Benedictionem et traditionem Pallii.

Quod autem Appendicem attinet, novimus ante Benedictum XIII Pontificale Romanum non habuisse Appendicem. Anno vero 1725 ex typographeo Hieronymi Mainardi prodiit: « Ritus pro parvulorum et adultorum Baptismi ac Confirmationis Sacramento conferendo, iuxta Rituale Romanum et Romanum Pontificale Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate recognitum », in cuius fine legitur: « De speciali mandato SS.mi D. N. Benedicti Papae XIII anno 1725, pontificatus sui II ». Anno 1737 idem typographus addidit: « Ritus pro Confirmatione ac pro Ordinibus uni tantum conferendis, nec non pro Consecratione plurium Electorum in Episcopos, ex Pontificali Romano deprompti et *ad hunc peculiarem usum accommodati* ». Haec additio in Benedicti XIV editione servata est. Recentius, uti ex editionibus Rev. Camerae Apostolicae 1848, et 1855 constat, additiones aliae factae sunt. Tandem in editione Ratisbonensi 1888, praeter Appendicem ut supra, additum est *Supplementum* continens ritum consecrationis Ecclesiae cum plura consecrantur Altaria, nec non consecrationis Altarium fixorum et portatilium. Hinc patet Appendicem originem duxisse ex maiori commoditate in diversis exercendis caeremoniis, pro circumstantiarum diversitate. Eius porro auctoritas, quamquam unum corpus cum textu non efformat, non deficit omnino, eo quod S. R. Congregatio die 3 Augusti 1888, praedictam Ratisbonensem editionem una cum Appendice approbaverit, eam vocans « novam Pontificalis

Romani editionem typicam ». In editoris monito a Rmo P. Schober subscripto, dicitur quod S. Rituum Congregatio « partem propriam, scilicet, quartam *composuit* etc. ad maiorem Episcoporum commoditatem, » ideoque « praesens editio *suprema auctoritate munita* et ut *typica* circa editiones in futuro publicandas *declarata est* ». Hoc tamen non indicat Appendicem eandem porsus auctoritatem habere ac textum, qui ex Apostolicis Constitutionibus vim obligandi habet, dum Appendix *ad maiorem Episcoporum commoditatem* composita dicitur. Praeterea nonnullae in eadem inveniuntur Appendice incohaerentiae cum textu, uti v. gr. in formula communionis Neopresbyteri : super quas et super nonnullas additiones a textu alienas, ante novam Pontificalis editionem, ut mentem suam S. Congr. aperire velit exoptamus.

II. In Sacramento Confirmationis conferendo, requiritur quaedam manus impositio, hoc certum est. Ipsa S. Scriptura *(Act. VIII, 17)* de illa loquitur notis verbis: « Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum ». Duplex fit in hoc Sacramento conferendo manuum impositio, prima dum Episcopus orationem *Omnipotens* recitat, altera dum frontem confirmandi inungit. Illa profecto non potest omitti, non est tamen necessaria ad Sacramenti validitatem, prout melioris notae theologi docent, et sane apud Orientales non est in usu (Cfr. Benedictum XIV *de Synodo* l. *13. c. 29, n. 17*); altera vero omnino necessario requiritur. S. Alphonsus hanc sententiam *certissimam* dicit. Dubitari tantum potest, an huiusmodi manus impositio distincta esse debeat ab unctionis actu, an sufficiat ipse naturalis actus, qui necessario

fit, cum manus admovetur ut pollice tangatur frons. Textus Pontificalis de speciali impositione non loquitur, Appendix autem haec verba addit: « Et dum hoc dicit, *imposita manu dextera super caput Confirmandi*, producit signum Crucis etc. » Attamen dicendum, superfluam esse hanc dictionem dum probatissimi theologi, inter quos eminent S. Thomas (*Lect. 1, in c. 6, ad Hebr.*), V. Beda, S. Alphonsus, Bellarminus, uno ore profitentur sufficientem esse naturalem actum unctionis. Notetur S. Alphonsum scripsisse post editam dictam Appendicem: « Impositio et unctio nec sunt duae materiae disiunctae, nec duae actiones unius materiae, sed *unica, singularis* et *individua actio*, nimirum unctio adhibita per manum Episcopi, ita ut *to* unctio sit actio, *to* autem per manus Episcopi non sit actio distincta, sive disiuncta, sed est tantum *modus unctionis* institutus a Christo, quatenus unctio a solo Episcopo et non ab alio est peragenda ». Alibi dixerat: « Ad materiam Confirmationis requiri tam unctionem quam impositionem, sed illam tantum impositionem, *quae ab unctione est indistincta* ». Concludendum ergo nullam innaturalem impositionem manus requiri in S. Unctionis actu, sed sufficientem esse manus impositionem, quae admotionem pollicis comitatur. Ad omne dubium in posterum tollendum, oportune, ut credimus, reformabitur praedicta Appendicis Rubrica.

III. Nunc ad singula, prout in casu exposita sunt, reponamus. De manus impositione iam satis loquuti sumus. De pastoralis baculi usu in benedictione, quae Confirmatione collata, impertitur, sub verbis *Bene ✠ dicat vos Dominus etc.*, dicendum non praecipi a textu

Pontificalis, bene vero ab Appendice, quasi haec eius usum commendare velit. Sed notandum est eiusmodi benedictionem non esse solemnem, nec trinam, eamque absque mitra impertiri. Unde, cum textus a S. R. Congregatione non sit immutatus, nullimode reprehendendus, qui illum simpliciter sequeretur; sed qui Appendici adhaereret, forte, iuxta mentem ipsam S. Congñis, commendandus.

De Neopresbyterorum communione duplex quaestio sic dirimitur: formula *Corpus Domini nostri etc.* omitti debet ex Decreto S. R. Cgñis diei 31 Augusti 1872 *in Sagren.*, quo Appendicis Pontificalis Rubrica emendatur (quod novi editores in mente habeant), verba Pontificalis « *singulos* communicat, *cuilibet* dicens.... » referendo ad alios ordinatos, praeter Presbyteros. Quod ceterum consonat alii Pontificalis Rubricae: « non dicunt Confessionem, nec datur eis absolutio », ratio est: « quia concelebrant Pontifici ». Verba autem *Ecce Agnus Dei*, ex Decreto 7 Maii 1746 *Marsorum* ,certo sunt ommittenda in communione Neopresbyterorum, edicitur enim *Confiteor* et alia quae sequuntur a Diaconis et Subdiaconis dicenda *post communionem Presbyterorum* ; sed et Pontificalis Appendix difficultatem non ingerit, nil de illa formula dicens.

Tandem usus utrique Episcopo, ut in casu, communis, ut prohibeant quominus Confirmandi adulti ponant pedem super pedem dexterum Patrini sui, iuxta Pontificalis et Appendicis Rubricam, iubeantque ut Patrini super humerum Confirmandi manum dexteram ponant, reprehendendus non est, ubi ex legitima causa introductus fuit, uti et Romae fit. Id constat ex ipsius S. R. Congñis declaratione. Haec, die 20 Sept. 1749 in

Taurinen. ad 8, his verbis: « An sufficiat si Patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum Confirmandi ? » respondit: *Sufficere.* Usus tamen a Pontificali et Appendice praescriptus, si fieri potest retineatur, « quod (ait S. Carolus in V Synodo Mediolanensi) non sine mysterii significatione fit ».

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Austria.* **De anniversariis dubia quaedam.** Dictis exponendis solvendisque dubiis sequentia a mittente praeponuntur. 1. Hic nunquam Missa canitur sed iuxta Constitutiones nostras semper legitur, Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes exceptis. 2. In cuiusvis hebdomadae prima die libera ab officio duplici habetur officium defunctorum cum uno tantum nocturno sub ritu semiduplici. 3. Si dicta vero die anniversarium aliquod occurrat, pro officio praedicto illud locum habet, semper tamen die libera ab officio duplici.

Super quae praemissa, sequentia animadvertimus. 1. Si Constitutiones approbatae sint peculiariter quod attinet Missas legendas, quae canendae forent, silemus, quamvis singularissimum contineant privilegium. Ex quo sequeretur Missas omnes anniversariorum, sive *stricto*, sive *lato sensu* haec accipiantur, omnibus gaudere privilegiis, quae Missis cantatis indulgentur. De quo tamen nos iudicium ferre nequimus: ii quorum interest, iudicent. 2. De officio defunctorum, quod prima

die cuiusvis hebdomadae habetur, dummodo ritus semiduplex occurrat, nihil observandum venit, cum nulla illud lex prohibeat. 3. Si autem occurrat dicta die aliquod anniversarium, sive stricte sive late sumptum, nil prohibet etiam, quominus hoc illius loco celebretur. Non tamen est necessarium, ut ritus sit semiduplex, potest enim esse quoque duplex, in quo praefata anniversaria permittuntur.

His praemissis, dubia noster consulens proponit, quibus nos ius certum liturgicum praeponere necessarium ducimus. 1. Anniversaria, seu Missae cum cantu pro defunctis (an in casu etiam sine cantu alii iudicent) permittuntur in duplici, nisi de Dominicis et festis agatur et feriis privilegiatis (*Decr. 2 Dec. 1891*). 2. Dicta anniversaria, ut sint stricte talia, non necesse est ut in praecisa die obitus occurrant, sed testatores vel haeredes aliam diem statuere possunt, dummodo eadem semper servetur (*Decr. sup. cit.*). 3. Si eiusmodi anniversaria fuerint impedita, vel anticipari vel transferri possunt in aliam diem, modo haec libera sit, sicut dies pro anniversaria statuta (*Decr. cit.*). 4. Ritus officii defunctorum non sequitur necessario ritum diei: hic enim potest esse semiduplex, sed ritus anniversarii ex. gr. debet esse duplex: ritus diei potest esse duplex, et etiam duplex ritus officii in die obitus; sed hoc per accidens, sicuti quando in die ritus semiduplicis agitur officium defunctorum ex devotione. Adeo ut ritus duplex in officio defunctorum, ulla sine relatione ad ritum diei, habeatur in die obitus, III, VII, XXX et anniversaria, nec non quando accipitur nuntium obitus alicuius, et in anniversariis late sumptis: in reliquis officiis defunctorum ritus

adhibendus est semper semiduplex (*Decr. Gen. 30 Iun. 1896*).

En autem Dubia: 1. Habetur anniversarium fundatum pro anima N. cum tribus nocturnis et omnibus Missis. In libro Missarum statutum legitur die 1. Februarii (antiquitus semiduplicis ritus), num autem ea die obierit, incertum manet. Nunc dictum anniversarium agitur prima die Februarii, quae libera occurrit a ritu duplici. Quaeritur: a) In hoc officio pro defuncto duplicari ne debent antiphonae? b) Quae et quot Orationes exigit? c) Quae et quot Orationes dicendae in Missa? d) Quid de Sequentia *Dies irae?* e) Si hoc anniversarium occurrat cum alio anniversario Ordinis nostri, quodnam celebrandum, quodnam transferendum? f) Si transferatur anniversarium fundatum, quodnam officium et quaenam Missa legenda erunt?

Resp. Dies 1.^ma^ Februarii est in casu anniversaria ab obitu; quia, aut est dies vera mortis, aut saltem a testatoribus determinata; ergo ea die anniversarium recolendum erat, et non in primam diem mensis a duplici liberam transferendum. Excusatio fortasse huiusce translationis reperitur in evectione S. Ignatii Mart. ad ritum duplicem minorem (1), cum, elevato ritu, omnes Missae amplius legi non poterant de requie. At non aequa eiusmodi excusatio est; sed anniversarium ea die adhuc erat celebrandum cum officio duplici et unica Missa cantata, in qua unica pariter dicenda erat Oratio de anniversario pro defuncto. Missae vero reliquae de die erant legendae

(1) S. Mart. Ignatii officium semiduplex ad duplex evexit Pius Pp. IX die 18 Maii 1854.

cum applicatione Sacrificii, iuxta Generalia Decreta plura. Ratio est, quia retardatio suffragiorum damnum infert, tam defuncto testatori, cuius etiam voluntas sine auctoritate et causa mutata est, quam aliis defunctis, qui eorundem suffragiorum ex Dei voluntate participes fieri possunt. Insuper auctoritati locali non licet anniversaria sine ratione lilurgica transferre: ut proinde consulenda fuisset in casu S. R. C. quae quid foret agendum decrevisset. Eapropter, consultius iudicamus ut praefatum anniversarium diei suae restituatur, in qua privilegiis propriis fruatur. Uti enim patet, eo sic translato, nullo potest privilegio frui, quia de anniversario nihil habet amplius.

Re sic se habente, non oporteret propositis dubiis respondere, quibus nihilominus negotio in statu quo permanente, sequenti ratione satisfacimus. a) Antiphonae duplicari nequeunt. b) Oratio in officio una est, quae magis defuncto congruit, non tamen de anniversario, quod non est eiusmodi. Ad preces autem post officium Oratio dicitur ut in Rituali. c) In Missa plures dicantur Orationes, ut in Missis quotidianis: prima pro anima, cui Sacrificium applicatur, secunda ad libitum, tertia pro omnibus defunctis. d) Sequentia dicenda est in omnibus Missis cum cantu; ergo et in ista, quae cantatae aequivalet. e) Si aliquod aliud anniversarium ea die occurrat, de eo fiat, si vere eiusmodi sit, etsi *late* sumpto. f) Anniversarium ex causa liturgica translatum omnia iura retinet uti si translatum non fuisset; sed anniversarium, de quo in casu non est tale, et nullo iure gaudet.

2. Aliud habemus anniversarium pro anima N. qui obiit die 9na., sed 10ma. mensis Martii illud agitur

Quaeritur: a) Eo anniversario occurrente cum alio Ordinis nostri, quodnam celebrandum, quodnam transferendum? b) Si anniversarium fundatum transferatur in primam diem duplici non impeditam, duplicari ne debent antiphonae? c) Quae et quot Orationes in officio et Missa? d) Quid de Sequentia?

Resp. Anniversarium istud die 9ª. recolendum est, non 10ª. mensis: nisi haec dies 10ª. sit depositionis, aut in ea fundatum fuerit, aut die 9ª. dup. saltem 2 cl. impediatur, vel die dominico aut festo. Si aliqua ex his conditionibus non comprobetur, anniversarium ab re translatum est, et omnia iura sua amisit, et anniversarium dici nequit: adeo ut, sicuti superius expositum fuit, restitui debeat diei suae, quamvis ritus duplex minus vel etiam maius in illa occurrat. Si vero ex dictis conditionibus una saltem comprobetur tunc sequenti modo respondemus. a) Si utrumque anniversarium celebrari nequeat, uti indubie licet, et utrumque sit anniversarium stricte sumptum, non videmns rationem, ex qua alterum potius quam alterum transferri debeat; quod magis arridet celebretur, alterum transferatur in primam diem liberam, quae sit ritus vel semiduplicis vel duplicis tam minoris quam maioris, nisi sit Dominica dies, aut feria privilegiata. Si alterum sit stricte, aliud late sumptum, hoc transferatur, illud celebretur. b) Anniversarium stricte sumptum, si transferatur ex causa liturgica, retinet omnia iura sua, et sub ritu duplici fieri debet, seu antiphonae duplicandae sunt: si vero ab re transferatur sine dicta causa, iura sua non servat, sed amittit; privilegia enim arbitrio favere non debent. c) Aut de vero anniversario agitur, saltem late sumpto,

et unica Oratio dicenda est, tam in officio quam in Missa: aut de anniversario, quod non est eiusmodi, et plures habet Orationes, ut in responsione ad primum dubium dictum fuit. d) Quod Sequentiam attinet, vide responsum quod primo dubio exhibuimus.

3. Aliud anniversarium fundatum est pro anima N. Sacerdotis, cuius dies obitus, quae mense Aprili accidit, nescitur. Die 22 dicti mensis antiquitus agebatur, nunc vero prima die, eodem in mense, ritu duplici libera. Quaeritur: a) Qua die celebrandum erit in posterum? b) Duplicandae ne erunt antiphonae? c) Quae et quot erunt Orationes in officio et Missa? d) Quid de Sequentia?

Resp. Ut supra, videlicet: a) Celebrandum est die 22 Aprilis, in qua fundatum esse iure praesumendum est. b) Et tunc antiphonae duplicandae sunt. c) Unica Oratio dicenda in officio et Missa. d) Sequentia non omittenda, ut supra expositum est.

4. Insuper anniversarium habetur fundatum pro anima N. Sacerdotis demortui die 25 Februarii. Legitur in tabulis, dictum anniversarium ab N. vivente fuisse fundatum in quarumdam animarum suffragium, pro die suae professioni proximiore, quae libera fuisset: professio autem accidit die 3 Martii. Post mortem autem illius celebrandum erat die anniversaria, vel in proximiori feria. Hisce haud obstantibus, tam ante quam post eius obitum, dictum anniversarium semper actum est infra mensem non mortis suae, sed suae professionis. Quaeritur: a) Qua die celebrari debet? b) Quibus Orationibus etc. ut supra?

Resp. Praetermissis, utpote inutilibus, quae dictum anniversarium respicere possunt, ante mortem

testatoris celebrandum, ex rerum expositione abunde constat eiusdem testatoris voluntas super eodem anniversario pro sua anima celebrando post obitum. Statuit enim, illud celebrandum esse *in die anniversaria* a suo obitu, vel *in proximiori feria*, videlicet, si dies anniversaria fuisset impedita. Ergo huiusmodi anniversarii dies a testatore determinata, est dies 25 Februarii, qua impedita, in primam diem liberam ex illius voluntate, liturgicis legibus apprime conformi, recolendum est. Consequenter: a) Dictum anniversarium celebrandum est die 25 Februarii, vel ea impedita, in proximam diem liberam transferendum est; et quod hucusque servatum fuit, probari non debet. b) Hinc unica erit Oratio in officio et Missa, in qua locum quoque habebit *Sequentia*: pariter duplicabuntur antiphonae, cum de anniversario vero agatur. Id autem servandum erit, sive die 25 Februarii anniversarium fiat, sive ex liturgica causa transferatur, ut supra exposuimus.

5. Reliqua dubia, cum vix ab aliis, quibus fecimus satis, differant, omittimus, haec tantum pauca, quae sequuntur, hic adiicientes. 1. Anniversaria, vel die obitus quotannis recurrente, vel alia a testatore determinata, sunt celebranda, nisi impediantur; et nulli auctoritati privatae in aliam diem, sive fixam sive mobilem, ea transferre licet. 2. Ritus autem diei duplex sive minus sive maius, anniversaria stricte sumpta numquam impedire valet, sed tantum ritus classicus, vel alii dies, de quibus superius diximus, illud impediunt. 3. Cum dies obitus testatoris ignoretur, et ipse testator vel haeredes diem anniversarii non determinarint, graviter dubitamus, utrum personae extraneae,

uti ex. gr. Capitulum sive conventuale sive generale, ius habeant dictam diem determinandi. Quidquid sit, si haec dies determinata a dictis personis fuerit, ea anniversaria appellari certe possunt late sumpta; et ex iure praesenti celebrari possunt in duplici minori tantum. Eiusmodi arbitramur esse duo anniversaria, de quibus adm. rev. consulens in num. VI. verba facit. 4. Anniversaria non solum a die obitus, sed et a depositionis computari possunt, haud obstante quod auctores asserunt in contrarium; idque ex recentiori saltem iure exploratum est (*Decr. 2 Dec. 1891*). 5. In officio autem anniversarii, sive stricte sive late sumpti, unica semper Oratio dicenda; quia ritus est duplex, ut antiphonae semper duplicentur. *Sequentia* numquam omitti debet.

Quod complexiva denique attinet dubia, reponimus ut sequitur. 1. Anniversaria celebrare, excepto impedimento, extra diem statutam a testatoribus non licet: quod si fiat, anniversaria esse desinunt, et sequuntur leges Missae quotidianae in omnibus. 2. Si plura anniversaria in eandem incidant diem, et celebrari nequeat alterutrum, iam superius diximus quid agendum sit. 3. Anniversaria stricte sumpta indubie transferri vel anticipari possunt, quando ex causa liturgica impediuntur die sua. 4. Anniversario de iure translato, nulla fieri debet mutatio in officio et Missa. Sed haec translatio, sicut anticipatio, facienda est in diem liberam proximiorem: secus anniversarium iura sua amittit. Ratio autem ulterioris translationis vel anticipationis ne in hebdomada officium defunctorum bis recitetur, nihil valet, neque probari potest. Neque admittendum credimus praeceptum Constitutionum,

quae vetant officium defunctorum bis in hebdomada recitari. Constitutionum namque vetitum habere tantum potest pro obiecto officium Defunctorum, ab ipsismet impositum, non vero illud quod testatores, vel viventes fideles exigunt, et pro quo eleemosynam erogant. Aut enim onera non sunt suscipienda, aut suscepta sunt adimplenda, cum id iustitia postulet. Lex autem iustitiae magis certe praestat quam lex Constitutionum, si tamen illam hae impedirent, quod difficile satis intellectu est.

II. *E Galliis.* **Ulterius de colore paramentorum in vigilia Conceptionis Deiparae.** Sententia Ephemeridum, dicitur, nobis non arridet ex duobus sequentibus momentis.

1. Ex natura sua praedicta vigilia requirit ieiunium; nil enim differt a vigiliis Assumptionis, seu Festi SS.rum omnium, quae ubique ieiunantur.

Imo et haec vigilia eo magis ieiunium requirere videtur, quod in Adventu semper occurrat. Porro neminem latet legem ieiunii olim ubique viguisse in Adventu, nunc autem vigere sive in Oriente sive in plerisque Ordinibus Regularibus Occidentis. Quod si, ob imminutam pietatem ieiunium non amplius apud nos servatur, attamen adhuc Officium feriale Adventus *ritu quadragesimali* celebratur: v. g. dicuntur preces ad omnes Horas, genuflectitur ad Orationes Missae, post Graduale omittitur *Alleluia* et versus quae omnia sunt quasi notae distinctivae, dierum ieiunii.

Quomodo ergo vigilia Conceptionis, quae in Adventu semper occurrit, computari posset inter vigilias, quae non ieiunantur?

Quod si Leo XIII praescribendo Missam vigiliae abstinuit ab urgenda lege ieiunii, id unice tribui debet nequitiae temporum, et non indoli huiusmodi vigiliae.

2. Ratio. Iuxta Rubricas Generales Missalis tit. X. n. 4. praescribitur ne dicatur *Alleluia* post Graduale, sive in Quatuor Temporibus, sive in vigiliis quae ieiunantur. Porro, ut cuique legenti apparet, praedictus versus omittitur in formulari sive antiquo sive novo Missae vigiliae Conceptionis. Ad quid ista omissio? Nonne luce clarius patet, iuxta mentem Rubricarum, vigiliam Conceptionis computandam esse inter vigilias, quae ieiunantur, et ideo colorem violaceum requirere?

Resp. Praemittimus, datam a nobis et pluries eamdem solutionem circa album colorem adhibendum prae violaceo, in Missa de vigilia Conceptionis Imm. almae Virginis, aliqua semper fuisse cum errandi formidine, ut semper addiderimus: *salvo meliori iudicio.* Si proinde adm. Rev. consulenti magis arrideat sententia de colore violaceo, eam sequatur; cum in infinitum quaestionem protrahendi non sit nobis propositum. Quod nihilominus attinet duplex momentum allatum nobis adeo grave non videtur, ut omni securitate immutare cogamur opinionem. Sane, primum consistit in ieiunio, quod ex sua natura ferre videtur vigilia Conceptionis. Id autem probatur ex eo quod antiquitus tempore Adventus ubique vigebat lex ieiunii, quemadmodum et impraesenti illius adhuc vestigium extat in Oriente, imo et in Occidente apud plerosque regulares Ordines. Id quidem non negamus, quamvis de re satis obscura agatur. Cl. Guéranger notat ieiunium Ad-

ventus incoepisse a Gallia (a. 480), a qua in Angliam, inde in Italiam quoque transiit, postea in Germaniam, in Hispaniam etc. uti refert Martène *(An. Liturg. L'Avvento)*. Innocentius Papa III. (saec. 13) ad Episcopum Bracarensem scribens, testatur romanam ieiunandi consuetudinem toto tempore Adventus, quod iam tamen contractum fuerat. Tardius Urbanus V. imposuit quidem abstinentiam, sed tacuit omnino de ieiunii lege (saec. 14.) Quidquid vero sit de antiquitate, vigilia Imm. Conceptionis aetate nostra, pro universa Ecclesia, imo paucis abhinc annis et a regnante Leone Pp. XIII est instituta. Iam autem a saeculis usus ieiunandi desiit: ut proinde, si ex natura sua ieiunium eiusmodi vigilia tulisset, aut ab eo dispensare Summus Pontifex debuisset, aut in ea ieiunandum indubie foret. Sed ex his duobus utrumque a veritate alienum est. Quomodo ergo asseri potest, dictae vigiliae inhaerere ex sua natura ieiunium? Equidem verum est, officium feriale Adventus ritu quadragesimali celebrari; et quamvis Dominicae Adventus a Quadragesimae discriminentur, illae siquidem *Alleluia* post Graduale admittunt, istae excludunt, feriae nihilominus conveniunt. Sed hoc sicut non satis probat ieiunii obligationem, ita neque vigiliae inhaerere ex sua natura ieiunium: ut consequenter admittere nequeamus, vigiliam Conceptionis pertinere ad illas quae ieiunantur. Inferes, haud recte esse scriptum: *Si Leo XIII praescribendo Missam vigiliae abstinuit ab iniungenda lege ieiunii, id unice tribui debet nequitiae temporum, et non indoli huiusmodi vigiliae.* Ratio est, quia cum, uti superius diximus, tempus Adventus non ieiunetur, neque ex lege neque ex consuetudine, Summus Pon-

tifex, admisso ieiunio vigiliae inhaerente, tacere non potuisset, sed exprimere necessario debuisset ab eodem ieiunio dispensationem: quod non fecit. Ergo.

2. Sed neque adeo movemur ex altero momento e Rubrica Gen. Missalis desumpto. Nam, licet verum sit ex Rubrica, *Alleluia* post Graduale omittendum esse in vigiliis, quae ieiunantur, non tamen ex eo sequitur, omnes vigilias quae non ieiunantur debere admittere *Alleluia*, id enim Rubrica non dicit.

Alleluia autem ferunt aliquae vigiliae, quia tempus in quo celebrantur, illud fortasse postulant, uti vigilia Nativitatis, Paschae et Pentecostes, sicut etiam feriae quatuor temporum eiusdem Pentecostes. *Alleluia* autem non fert vigilia Conceptionis, quia illud non postulat tempus, in quo celebratur; cum vigilia ad feriam pertineat, et tempus feriale Adventus illud ex Rubrica excludit. Quamvis enim vigilia, quod attinet colorem, naturam festi sequatur cuius est praeparatio, magis quam tempus; quod ritum pertinet naturam temporis magis sequitur, in qua recolitur, magis quam festum ad quod pertinet, uti ex Rubricis facile evincitur. Haec ceterum altera ratio quid pluris probat quam prima, cum qua tamen simul collata et perpensa simul, vim suam satis deperdit. Hoc concludi posse videtur: aut super ritu, quod *Alleluia* spectat, Missae huiusce vigiliae redeundum, ut perfectus evadat: aut intentio Legislatoris super ieiunio exploranda.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro oppido Zabarcos in Hispania.* Concurrente die octava Dedicationis Omnium Ecclesiarum, cum duplici minori primario, Vesperarum ordo in Calendario notandus est sequens: Vesp. de praec. com. seq. pro Ecclesiis consecratis, Vesp. de seq. com. praec. pro Ecclesiis non consecratis. Ratio est quia Dedicatio Omn. Ecclesiarum nonnisi de consecratis potest intelligi, consequenter qui Ecclesiae consecratae sunt addicti celebrant illius Dedicationem, quae est festum primarium, utpote Ecclesiae propriae; ergo pro ipsis Vesperae integrae sunt de octava (festum prim.) ratione dignitatis, cum com. seq. Verum qui addicti sunt Ecclesiae non consecratae, celebrant Dedicationem Ecclesiae minus propriae, quae est festum secundarium; ergo pro his Vesp. sunt de seq. (festum prim.) cum com. praec. (fest. secund.) Haec quidem, nisi Dedicatio Omnium Ecclesiarum declaretur festum primarium indiscriminatim pro omnibus Ecclesiis ratione uniformitatis: quod optandum videtur. Idem dicendum de octava Dedicationis Ecclesiae Cathedralis pro iis, qui illi sunt addicti, pro quibus festum primarium est, et pro iis qui aliae addicti sunt Ecclesiae, etsi in civitate Episcopali degant, pro quibus est secundarium.

Nota 1. In Decreto *Camerinen.* 27 Aug. 1836 agitur de Ecclesia filiali, *et fortasse de cappella publica*, cui nullus clerus est. In *Oveten.* vero, 11 Aug. 1872 ad III, agitur de vera Ecclesia filiali, cui clerus est, qui Sacramenta administrat. Hinc etc.

Nota 2. Missale Romanum non nominat in Canone nisi Summum Pontificem et Antistitem dioecesanum. Ergo, secluso privilegio, nullus, neque rex, nominari potest. Missale enim Romanum omnium aliorum exemplum esse debet.

II. *Pro Ebroicis in Gallia.* Diebus liberis, in quibus Sacerdotibus libertas est celebrandi Missam vel votivam, vel de requie etc. uniformitas ex lege non requiritur sicut in qualitate Missae, ita in eius relativis partibus mutationi obnoxiis. Consequenter Sacerdos, qui exposito Sacramento Missam de eo votivam legit, optime potuit, imo debuit 2am. Orationem dicere de Ss. Angelis, quorum recitaverat officium, sed 3am. de simplici occurrenti dicens erravit, quippe quam 4. loco recitare debebat, 3am. vero de vigilia. Alter autem qui eamdem ut supra Missam legit, et officium vigiliae recitaverat, 2am. iure addidit de vigilia, et 3am. de simplici occurrente.

Nota. In Seminariis, quae ad Communitates religiosas vel de iure vel de facto pertinent, Missae omnes eiusdem Communitatis calendario, si proprio gaudeat, debent esse conformes; et distinctionem inter dies feriales et dominicos, in quibus aliter fit, non probamus.

III. *Pro Sancto Iacobo de Cuba.* Officium Titularis Ecclesiae propriae vel Cathedralis, pro omnibus Sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus ad relativam dioecesim pertinentibus, in praecepto est; et ratio in contrarium allata nihil prorsus valet, quia loco citato agitur de commemorationibus faciendis, non de officio.

IV. *Pro Oppido Vivario Segobricensi.* In proces-

sione SS. Sacramenti, quae fit per octavam Corporis Christi nil vetat quominus deferri possint imagines Deiparae aliorumque Sanctorum, qui tamquam famuli Christum Dominum triumphaliter deferendum comitentur. Nec opponitur Decretum *Almerien.* d. d. 31. Ian. 1896, quod agit de processione in honorem B. M. Virginis, et in qua supponitur deferri quoque SS. Eucharistia, veluti ad honorandam Virginem: in quo magnam ordinis inversionem nemo non videt. Quod vero attinet excedentem thuribulorum numerum (usque ad viginti sex), quid nimis apparet, quod profecto ab universali consuetudine, maxime romana, recedit. Nihilominus, cum in honorem tanti Sacramenti id cedat et consuetudini immemorabili innitatur, si thuriferarii optimo queant ordine disponi, ut inconvenientibus non sit locus, eiusmodi usum non audemus damnare.

V. *Pro eod. loco.* In funeribus, etsi solemnioribus, quae ad altare in quo reconditur Sacramentum celebrantur, pannos nigros adhibere pro ipsius altaris ornatu non est vetitum. Conopeum nihilominus esse nigri coloris nequit ratione Sacramenti, sed ad summum potest esse violaceum. Altaris pallium nigri quoque coloris esse potest, quamvis Decretum quoddam id prohibeat, quod per aliud recentius revocatum censendum est.

VI. *Pro eod. loco.* Altare maius Ecclesiae consecratae ad modum fixi esse debet, ita exigente iure positivo liturgico. Si ergo idem altare princeps ex renovata Ecclesia, vel eius opere tectorio, amplius adhiberi nequeat pro Sacrificio, iterum renovandum et ad modum fixi consecrandum. Si autem duodecim non

desint cruces, quamvis aliquae non appareant, nihil supplendum, sed viciniori loco aliae cruces pingantur.

VII. *Pro eod. loco.* Concurrentibus duobus festis eiusdem ritus, eiusdem qualitatis primarii aut secundarii, eiusdem dignitatis, nisi forte ratio maioris proprietatis festi aliud suadeat, Vesperas dividendas iure credimus. Atqui eiusmodi sunt festa SS. Spinae, et Sacrae Familiae Re quidem materialiter considerata, praeferenda videretur Sacra Familia, cuius obiectum praecipuum est Christus, qui dignitate personali SSmae Spinae praestat. Verum, cum dignitas festorum consideranda sit in casu, in eaque tam primum quam alterum festum sint paria, non videmus rationem alterius alteri praeferendi. Proinde de SS. Spina fient Vesperae usque ad Capitulum, a quo fiet de Sacra Familia cum com. praecedentis.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Octobri propositae

PROPOSITIO.

Symbolum dicendum est in Missa festorum sive primariorum sive secundariorum D. N. J. C. et B. M. et Apostolorum, ut liquet ex Rubrica Missalis. Idem videtur dicendum in festis tum primariis tum secundariis alicuius praecipui Patroni ex ipsis Litteris Apostolicis Pii Papae IX, declarantis tribuere S. Ioseph Patrono Ecclesiae catholicae iuxta generales Breviarii et Missalis Romani rubricas omnes et singulas honoris praerogativas, quae Patronis praecipuis competunt, et mandantis propterea quod tam in festo natali S. Ioseph quam in

ali ipsius Patrocinii, etiam extra dominicam diem, addatur semper in Missa Symbolum. Et tamen decretum 20 Maii 1892 relatum in nostris *Ephem. Liturg.* anno 1892 pag. 516 dicit Symbolum permitti pro gratia, facto verbo cum SSmo, in festo Inventionis S. Stephani, qui uti Patronus dioecesis die 26 Dec. rite recolitur. Quid iuris?

SOLUTIO.

Duo iam certa sunt: 1. Symbolum competit Patrono principali tantum; 2. quando de eius principalitate constat, dicitur *Credo* tam in die natali quam in eius secundariis festis. Unde habebis regulam generalem.

Ad primum, perspicua est Missalis Rubrica, Tit. XI: « Symbolum dicitur in festo Patroni alicuius loci vel Tituli « Ecclesiae... et per eorum octavas ». Quae ultima Rubricae verba *et per eorum octavas*, sicut et totus relati Tituli contextus, aliaeque eiusdem Rubricae expressiones, aperte denotant Patronum, qui sub ritu I. cl. cum Octava, et consequenter cum pompa et solemnitate celebratur. Unde resultat quod si Patrono competat Symbolum, ille tantum intelligitur qui eiusdem ordinis est ac Titulus Ecclesiae, et proinde principalis pro Ecclesia ubi celebratur Missa.

Huic rectae intelligentiae Missalis Rubricae cohaerent decreta S. R. C., et maxime *in Lycien.*, ubi sacerdoti *Ioseph Goduto* inquirenti quid sibi velit Rubrica per to *Patronum* in cuius Missa exigitur Symbolum, invenis « illam particulam « *Patroni* intelligendam esse de Patrono principali tantum » (S. R. C. 15 Sept. 1691); et *in Cracovien.*, ubi vetitum est dicere Symbolum « in Missis Patronorum minus principalium, etiamsi numquam (decreta super hac materia prolata) fuerint ad praxim deducta » (S. R. C. 22 Aug. 1744, n. 4160 ad 10); et *in Calaguritan. et Calceaten.*, ubi *Credo* declaratur non dicendum etiam in Civitate, cuius S. Dominicus tamen est Patronus, sed secundarius tantum (S. R. C. 13 Febr. 1892, dub. addition. ad I).

Quod et exemplo Urbis confirmatur, in qua S. Catharina Senensis (30 April.) et S. Philippus Nerius (26 Maii) tanquam

Patroni recoluntur sub ritu II cl., et tamen non gaudent Symbolo, etiam in sua die respective natali; quia sunt Patroni minus principales vel secundarii tantum, et consuedo in contrarium non est toleranda, ut diximus (22 Aug. 1744).

Ad secundum, dicimus, quando constat de alicuius Patroni principalitate, ipso facto ei competere Symbolum intra limites sui Patronatus, non solum in suo festo principali sed etiam in suis secundariis festis. Siquidem ratio vera cur Symbolum ei debetur, est qualitas Patronatus; atqui eadem qualitas Patroni principalis manet, sive agatur de eius festo principali, sive agatur de eius festis secundariis, ut v. g. translatione reliquiarum suarum. Ergo non aliter tractandus est talis Patronus, ac Doctores et Apostoli, qui *Credo* sibi vindicant etiam in suis secundariis festis, quia qualitas Apostolatus et Doctoratus eos inseparabiliter concomitatur, et *ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio.*

Huic rationis testimonio accedunt Litterae Apostolicae Pii Papae IX, cuius decretoria sunt verba: « Quoniam aequum « reputamus post nostram declarationem sancti Patriarchae « (Ioseph) in catholicae Ecclesiae Patronum, ipsi in publico « ecclesiastico cultu omnes et singulas honoris praerogativas « tribuendas esse, quae iuxta generales Breviarii et Missalis « Romani Rubricas sanctis Patronis praecipuis competunt, ideo « nos... mandamus... quod tam in festo natali S. Iosephi quam « *in alio ipsius Patrocinii*, etiamsi occurrat extra dominicam « diem, *addatur semper* in Missa *Symbolum seu Credo* » (S. R. C. 7 Iul. 1871, n. 5487). Ex quibus verbis, inquiunt *Ephem. et Academia Liturgica* pag. 527 anni 1894, luce meridiana clarius apparet Summum Pontificem uti indubium ponere Patronis praecipuis Symbolum competere, etiam in eorum festis secundariis, insuper tradere hanc praerogativam a Rubricis Missalis... ipsis tributam esse. Ideoque si ante evulgationem huius Pontificii documenti, Rubricarum textus ad negotium nostrum quod attinet, variis Liturgicorum interpretationibus subiacere poterat, impraesentiarum postquam supremus Liturgiae moderator ac custos locutus est, dubitationi amplius locum non esse arbitramur, praesertim vero cum ex

tenore ipso verborum pateat, minime voluisse Pontificem novam inducere legem, sed tantum legem iam latam applicare.

Insuper tria sunt anteriora decreta, quae nostram hanc sententiam confirmant. Primum est in una *Quebecen.* 7 Dec 1884; alterum in una *Ordinis Minorum* 6 Sept. 1845, et tertium in una *Ratisbonen.* 22 April 1871, n. 5484 ad 1, quae in ipso Patrocinio S. Ioseph Symbolum recitandum imperant, etiamsi ad aliam diem transferatur, si vere constet de Patronatu formiter ab hac Sancta Sede confirmato. Ergo, inferimus, Symbolum vere competit Sanctorum Patronorum praecipuorum festis, non solum primariis, sed etiam secundariis.

Quod tamen intelligendum venit, *dummodo ritus id sufferat*, ut docet Gavantus et, teste Merato, ipse Guyetus. Sane festum appellatur dies illa ab Ecclesia selecta ad aliquod mysterium vel Sanctum cultu liturgico recolendum, cuiuscumque sit ritus, et ideo addendum videretur Symbolum, licet honoretur sub ritu semiduplici vel simplici, quia non cessat propterea esse festum. Deinde ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, et Rubricae nec explicite nec implicite distinctionem faciunt quoad Symbolum inter duplicia et semiduplicia, ac proinde *Credo* iuxta Rubricarum praescriptum dicendum foret in Missa. Hisce nihilominus non obstantibus, uti certum teneri posse autumamus, inquit nostra Academia, Symbolum non esse dicendum in Missa in festis sive semiduplicibus sive simplicibus Patronorum praecipuorum. Ratio est quia Symbolum aliquam solemnitatem dicit, quae non quadrat cum festo dumtaxat simplici vel semiduplici, et quia est opinio communissima et universalis praxis.

Quibus omnibus mature perpensis, nunc non mirum est quod quaeratur: quare pro gratia tantum permittatur Symbolum, et quidem facto verbo cum SS.mo, in Inventione S. Stephani, quum uti Patronus dioecesis die 26 Dec. rite recolitur? Contradictio enim prima fronte videtur existere inter superius exposita, quae attribuunt Symbolum Patrono principali, et decretum 20 Maii 1892, quod *Credo* concedit *pro gratia* Patrono dioecesis. Unde petitur modus haec omnia conciliandi.

En responsio Cl. Gardellini. In decreto 27 Martii 1824, n.

4605 ad 1, ipse declarat quod si lex (Urbani VIII) celebrationem festi coarctat ad loci Patronum alterumque regni vel provinciae, quin illum dioecesis appellet, plane consequitur Civitatem vel Locum, in quo peculiaris habetur Patronus, haud debere aut posse, proprio posthabito, festivum agere diem alterius qui est protector Civitatis episcopalis, aliarumque dioecesis locorum in quibus alias non est..... Id tam verum est, ut qui specialem habent Patronum, nec ad servandum diem festum Patroni dioecesis, nec ad eiusdem officium persolvendum tenentur. Ita S. R. C. *in Narnien.* 6 April. 1658 declaravit de Patrono principali Civitatis, in civitate tantum cum Octava; in dioecesi vero, ubi non adsit proprius loci Patronus, similiter cum Octava, et ubi colitur festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis, vel attenta consuetudine, sine Octava, sub duplici maiori tantum. Ita etiam sancivit *in Calaguritan.* 28 Sept. 1658. Igitur vix permittitur ut de Patrono Civitatis et dioecesis, ubi peculiaris habetur, fiat sub inferiori ritu quatenus adsit consuetudo.

Hinc concludimus Patronum dioecesis, nonnisi in locis qui speciali carent Patrono, praecipuum quoque Patronum huiuscemodi locorum reputari, et in aliis locis aut nullo modo teneri ut Patronum, vel attenta consuetudine vix ut secundarium Patronum haberi. Itaque sapienter in sua responsione dixit S. R. C. tantum *pro gratia* permitti Symbolum in tota dioecesi die inventionis S. Stephani, cum ubique non est vere Patronus principalis S. Stephanus, ut liquet ex supra dictis, sed hoc non facit quod recitetur *pro gratia* in Ecclesiis, ubi est praecipuus Patronus, et itaque distinguendo conciliantur omnia.

Neque obiicias decretum *in Caven.* 23 Maii 1639, quo voluisse videtur S. R. C., ut de Patrono Civitatis fieret etiam per dioecesim. Nam si ad dubium: an de Protectore principali Civitatis celebrari debeat officium cum Octava per Civitatem et dioecesim? respondit Congregatio: *affirmative tam in Civitate quam in dioecesi,* res erat de locis quae peculiari Patrono carebant, ait Gardellini. Ideo, ut bene advertit Cavalieri Tom. I, cap. 3, dec. 5, n. 3 ponenda est limitatio « quod

« per dioecesim Patronus dioecesis, Civitatis etc., cum Octava « coli debet ubi non adsit proprius loci Patronus; secus « autem, ubi colitur festum peculiaris Patroni..... » Sensus igitur decreti est, ut Civitatis Patronus gaudeat privilegiis et praerogativis Protectoribus debitis, in iis dioecesis locis, quae proprium non habent, et propterea, quin infirmentur prius asserta, iam intelligis recens decretum 20 Maii 1892 non mutare veterem disciplinam, sed *pro gratia* permittit Symbolum in dioecesis locis, quae iam proprium habent Patronum et ius ad Symbolum relinquit integrum pro locis, quae peculiari carent Patrono.

Neque dicas Congregationem negative respondisse, cum die 19 Junii 1700 *in Curiacen.* inquirebatur: « utrum in « festis translationis Patroni principalis Ecclesiae Cathedralis « sub ritu duplici maiori, in Missa dici possit Symbolum non « solum in Ecclesia Cathedrali, sed etiam per totam dioecesim ». Hoc decretum enim minime facit, ut praetendit De Herdt, quod *Credo* omittendum sit in Ecclesia Cathedrali: nam petitio non erat: utrum liceat in Cathedrali Ecclesia Symbolum dicere; hoc potius pro certo tenetur; sed: utrum liceat etiam in tota dioecesi illud dicere; et merito respondetur negative, quia certe plures sunt Ecclesiae quae in dioecesi peculiarem habent Patronum, et proinde Patronus dioecesis pro his locis est tantum secundarius, et ideo non habet ius ad Symbolum in casu.

Quod autem revera hic sensus sit petitionis, ait cl. Academia Liturg., apparet etiam ex responso S. R. C. Iuxta enim stylum eiusdem Congregationis, cum petitio duobus constat commatibus, adhibentur formulae: *negative ad utrumque vel affirmative ad utrumque.* Hinc cum in decreto, de quo in praesentiarum, simplici dictione *negative* ad 1, Congregatio usa sit, dicendum est ipsam unam tantum quaestionem in quaesito invenisse.

Non aliter iudicandum est de decreto 20 Maii 1892, quod est obiectum huius dissertationis. Interrogabatur Congregatio utrum servari possit usus Symbolum recitandi in festo, ritus dupl. mai., Inventionis S. Stephani sive in Ecclesia Cathedrali,

quae sub eiusdem Sancti invocatione dedicata est, sive in tota dioecesi in qua uti Patronus die 26 Dec. rite recolitur, et quatenus *negative* petebatur ut, attenta consuetudine, in tota dioecesi Symbolum recitari queat die 3 Augusti. Ad quod respondit: *pro gratia, facto verbo cum SSmo*, et quidem merito, quia petitio respicit totam dioecesim, ut liquet ex quaesito, et iam multae sunt Ecclesiae, quae suum habent Patronum, et idcirco pro eis S. Stephanus, etiam si coleretur ex consuetudine sub ritu I cl. (S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 4669 ad 41), nonnisi secundarius est, et proinde indultum necessarium erat ut posset *Credo* recitari in eis in Inventione S. Stephani. Sed non exinde sequitur neque ex aliis decretis, ut bene animadvertit Cl. Foppiano *in Senen.* 11 Maii 1743 ad 6 contra de Herdt, quod festa secundaria Patroni principalis carere debent Symbolo. E contra, quotiescumque constat de principalitate alicuius Patroni pro Ecclesia ubi Missa celebratur, *Credo* dicendum est vi Rubricarum, ut probavimus, tam in die eius natali quam in eius secundariis festis. Itaque Ordo Lateranensis ab Augustino Boccafogli Caeremoniis praefecto anno 1860 dispositus, et a Roberto Marcucci an. 1887, notat *Credo* in Decollatione S. Ioannis Baptistae, qui die 24 Iunii est contitularis huius Ecclesiae; et cl. Lerosey Tom. 3, pag. 141 in nota dicit festa secundaria praecipuorum Patronorum sibi vindicare Symbolum (Manuel Liturgique à l'usage des Sèminaires de St. Sulpice).

Quae quum ita sint, si Patronus dioecesis non *per se* habet *Credo* in suis secundariis festis sicut in sua die natali, hoc provenit ex eo quod potest esse in aliquibus locis secundarius, et in aliis principalis; sed ei applicanda est regula generalis iuxta casum. Ubi est principalis, habet ius ad Symbolum etiam in suis secundariis festis; et ubi est minus principalis, nonnisi pro gratia et vi indulti habere potest Symbolum, nisi aliunde v. g. ut Doctor vel Apostolus etc., iam ei debeatur. Decretum *Metense* igitur non pugnat cum Litteris Apostolicis Pii Papae IX neque cum Rubrica.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Romana
Curè de Lannes (Diocèse de Langres).

CAEREMONIALE
PRO MISSA ET VESPERIS PONTIFICALIBUS AD FALDISTORIUM

(*Cont. V. n. 9, pag. 603*).

Pars Secunda
DE VESPERIS.

CAPUT I.

De Pluvialistis assistentibus in Vesperis Pontificalibus ad Faldistorium.

Duo Presbyteri (1), qui munere assistentium Episcopo Vesperas ad faldistorium celebraturo fungi debent, suo tempore, adiuvantibus clericis, in Sacristia superpelliceum et pluviale accipiunt una cum clericis cantoribus, et, biretum in manibus gestantes, ad nutum Caeremoniarii, medii inter Cantores, ante Episcopum veniunt, primus Assistens habens ad suam sinistram Assistentem secundum. Facta reverentia Imagini praecipuae Sacristiae et Episcopo, ad Altare, incedentes ante omnes, capite cooperto, procedunt, semper primus Assistens ad dexteram secundi. In ingressu Ecclesiae caput denudant et primus Assistens, accepta a Caeremoniario, qui eos comitatur, aqua benedicta, eam porrigit secundo Assistenti

(1) Recolendum est hic quod praecipit Caerem. Episcoporum (lib. II, Cap. III, n. 1) videlicet, tam qui munere Assistentium, quam qui Cantorum funguntur nec Canonicos nec in aliqua dignitate constitutos esse debere.

Assistentium saltem primus sit Sacro Diaconatus ordine insignitus; alter Assistens et Cantores sufficit ut sint in minoribus constituti.

et ambo se signant, et caput cooperiunt. Cum presbyterium ingrediuntur, denuo denudant caput et, medii inter Cantores, in *plano* ante infimum Altaris gradum genuflectunt Cruci et ad faldistorium pergunt, ad cuius dexteram primus Assistens et ad sinistram secundus, facie ad populum versa, se sistunt, biretum tradunt Caeremoniario, et, manibus iunctis, expectant Episcopum, quem venientem nutu capitis salutant.

Ad nutum Caeremoniarii primus Assistens accipit biretum cum osculis ab Episcopo et Caeremoniario tradit. Deinde Crucem Episcopo aufert eamque in medio ab eo, et a se in parte osculatam eidem Caeremoniario consignat. Cum altero Assistente adiuvat ad deponendum mantellettum Episcopum, cui ipse statim biretum cum osculis reddit, quod ab eo denuo capit quando paramenta accepturus est. Tunc primus Assistens, adiuvante secundo, induit Episcopum sacris paramentis, videlicet amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali, eodem modo et iisdem caeremoniis servatis quas, in Missa notavimus (Par s I Cap. II.) (1).

---

(1) In Ecclesia ubi adest Capitulum, Episcopus in Sacristia paramenta accipiat et deponat. Et tunc Assistentes, assumpto pluviali, accedunt, ut diximus, ante Episcopum, cui facta reverentia, primus Assistens ad eius dexteram et secundus ad sinistram se sistunt. Iisdem Caeremoniis quomodo ad Altare, induunt Episcopum sacris paramentis. Una cum Episcopo inclinationem Imagini praecipuae Sacristiae faciunt et, post Cantores paratos, ad latera Episcopi, scilicet, primus a dextris et secundus a sinistris eique fimbrias pluvialis elevantes, cooperto capite ad Altare procedunt.

In ingressu Ecclesiae caput detegunt et primus Assistens porrigit aquam benedictam Episcopo et postea se signat. Secundus accipit et ipse aquam benedictam a Caeremoniario, postquam hic dedit primo; quo facto, denuo caput cooperiunt. In ingressu presbyterii caput detegunt et una cum Episcopo ante infimum Altaris gradum procedentes, Cruci genuflectunt in *plano* et Episcopum ad faldistorium comitantur. Primus Assistens ad dexteram

Postquam Episcopus pluviali indutus fuerit, Assistentes, locum permutantes veniunt ante eum, quem salutant, et, imposita a primo mitra pretiosa, rursus ei reverentiam faciunt, et, quin locum permutent, accedunt ad latera Episcopi, facie ad populum versa. Tunc, accedentibus ad faldistorium Cantoribus, et ipsi Assistentes medii inter hos ante Episcopum denuo accedunt, cui, facta ab omnibus reverentia, primus Assistens aufert mitram. Episcopo ad Altare converso, Assistentes ad latera eius, unusquisque loco suo, scilicet, primus a dextris et alter a sinistris, veniunt: una cum Episcopo dicunt secreto *Pater noster etc.* et *Ave Maria etc.* et quando Episcopus, dicens *Deus in adiutorium etc.* se signat, primus Assistens ei sublevat fimbriam dexteram pluvialis. Ad *Gloria Patri etc.* caput inclinant Cruci, simul cum Episcopo.

Quum Episcopus, incepto primo Psalmo, in faldistorio sederit, Assistentes ante eum accedunt eique primus ad dexteram secundi, ut iam diximus, mitram auriphrygiatam imponit. Iterum salutato Episcopo, acceptis biretis a Caeremoniario, ad medium Altaris accedunt, in infimo gradu genuflectunt Cruci et super gradibus Altaris sedent cooperto capite, primus ad sinistram secundi, facie ad populum versa, et cum convertuntur ut sedeant, faciem sibi vertent ad invicem, ibique permanent usque ad finem ultimi Psalmi (1).

---

secundi, facta reverentia, aufert Episcopo mitram pretiosam, et, Episcopo ad Altare converso, ad latera eius accedunt et reliqua peragunt, ut supra.

In fine, benedictione impertita, postquam cum Episcopo descenderunt in *planum*, ibi genuflectunt Cruci et ad latera Episcopi, ut venerunt, in Sacristiam, cooperto capite, redeunt. Ubi, detecto capite et facta reverentia Imagini et choro simul cum Episcopo, hunc adiuvant, ut ad Altare, ad sacra paramenta deponenda, quo facto, salutato Episcopo, deponunt et ipsi pluviale et superpelliceum.

(1) Si in Ecclesia vigeat usus ut Assistentes sedeant in scabellis seu scamnis in latere Epistolae, ut Ministri Sacri in Missa

Advertant ut caput detegant ad *Gloria Patri etc.,* in fine cuiuslibet Psalmi, ad *Sit nomen Domini benedictum,* si dicatur Psalmus *Laudate pueri* et ad nomina *Iesu* vel *Mariae* vel *Sancti,* cuius festum agitur, si forte in Antiphonis nominentur. Dum repetitur Antiphona ultimi Psalmi, Assistentes, detecto capite, surgunt et medii inter Cantores, genuflectunt Cruci et eodem ordine ante Episcopum accedunt, quem omnes simul salutant. Biretis in manibus Caeremoniarii traditis, cum Episcopus ad Altare se vertit, Assistentes ad eius latera se sistunt, ut supra, et sedenti Episcopo post acceptam praeintonationem Hymni, primus a dextris secundi aufert mitram, et rursus, surgente Episcopo, ad eius latera redeunt, ibique permanent usque dum Episcopus Antiphonam ad *Magnificat* intonuerit. Si dicatur Hymnus *Veni Creator Spiritus* vel *Ave Maris Stella* Assistentes genuflectent una cum Episcopo per integram primam stropham. In ultimo Hymni versiculo si nominentur distinctim Personae SS.mae Trinitatis caput Cruci inclinant.

Sedenti Episcopo, post intonationem praedictae Antiphonae, ante eum accedunt et primus ei imponit mitram pretiosam. Dein, salutato Episcopo, locum permutant, et primus, accepta a thuriferario navicula, more solito incensum Episcopo ministrat. Ad intonationem Cantici *Magnificat,* una cum Episcopo, qui tunc de faldistorio surgit, fimbrias eius pluvialis elevantes, se signant et cum eodem Episcopo ante medium Altaris accedunt ibique Cruci genuflectunt et, reverentia choro prius in parte Evangelii et postea in parte Epistolae facta, reassumptis biretis, procedunt ad Altare SS.mi Sacramenti thurificandum, caput cooperientes postquam e presbyterio discesserint.

---

potest retineri. Hoc in casu, facta Episcopo reverentia, directa ad sedendum pergunt, et similiter directe ad faldistorium redeunt, et ante Episcopum, medii inter Cantores, se sistunt, eique reverentiam faciunt.

Cum Sacellum in quo SS.mum Sacramentum asservatur, ingrediuntur, caput discooperiunt et, medii inter Cantores, ante infimum Altaris gradum, depositis biretis, et sublatis a primo Assistente mitra et pileolo Episcopo, genuflectunt in *plano*, brachia Episcopi sustentantes. Cum Episcopo conscendunt Altare, quo ab eo osculato, primus eorum cum osculis thuribulum Episcopo tradit. In thurificatione Altaris sublevant fimbrias pluvialis Episcopi et quoties hic genuflectit et ipsi idem faciunt, eumdem adiuvando. Thurificatis ab Episcopo Cruce et Reliquiis inter candelabra, si adsint, alternatim cum eo recitant Canticum *Magnificat.* Thurificato Altari, in cornu Epistolae Assistens primus cum osculis recipit ab Episcopo thuribulum, quod thuriferario consignat, et ad medium Altaris reversi, caput Cruci inclinant cum Episcopus recitat versiculum *Gloria Patri etc.*, cui ipsi respondent *Sicut erat in principio etc.* Quo finito, quin genuflectant, primus per latus Epistolae, alter cum Episcopo per latus Evangelii, ne terga tabernaculo vertant, descendunt in *planum*, ubi genuflexione peracta et imposita a primo mitra Episcopo, reassumptis biretis, redeunt, capite cooperto et eodem ordine, ad Altare maius (1). Quod cum ingrediuntur, caput discooperiunt et, medii inter Cantores, salutato choro, prius in parte Evangelii et postea Epistolae, ante medium Altaris accedunt et, in infimo gradu, sublata a primo mitra Episcopo, in infimo gradu Cruci genuflectunt. Conscendunt cum Episcopo Altare, quo ab eodem osculato, primus Assi-

(1) In Ecclesia ubi laudabilis vigeat consuetudo ut thurificetur Altare Sancti, cuius festum agitur, vel ob aliquam peculiarem rationem aliud Altare, tunc thurificato Altari SS.mi Sacramenti, procedunt ad praedictum Altare, et in eiusdem thurificatione se gerunt quomodo dicemus de Altari maiori.

Facile occurrit ut, ad hoc Altare thurificandum cum procedendum sit, transire debeant ante Altare maius. Tunc Assistentes, facie versa ad Altare, medii inter Cantores, capite discooperto, genuflexionem faciunt et denuo caput cooperiunt.

stens thuribulum porrigit cum debitis osculis Episcopo, quem comitantur, fimbrias pluvialis elevantes, in thurificatione Altaris, quae peragitur eodem ordine et cum iisdem genuflexionibus, quibus in Missa. Finita thurificatione et recepto in cornu Epistolae thuribulo ab Episcopo, primus Assistens eidem imponit mitram pretiosam et, facta in medio Altaris una cum Episcopo capitis inclinatione, descendunt in *planum*, in infimo gradu genuflectunt et, salutato choro prius in cornu Evangelii et postea in cornu Epistolae, ad faldistorium comitantur Episcopum, quem stantem cum mitra primus Assistens, a dextris secundi, ambo medii inter Cantores, accepto thuribulo a thuriferario, cum inclinatione ante et post triplici ductu thurificat. Reddito thuribulo primo Cantorum, dignior Assistens aufert mitram Episcopo sedenti, quo converso ad Altare, et ipsi unusquique loco suo ad latera eius accedunt, ibique permanent usque ad *Sicut erat etc.* in fine Cantici *Magnificat,* versus Crucem se inclinantes ad versiculum *Gloria Patri etc.*

Innuente Caeremoniario, primus Assistens per suam sinistram se vertit ad primum Cantorem, quando hic, peracta thurificatione chori, ante faldistorium venit, et ab eodem thurificatur duplici ductu. Qua thurificatione accepta, per suam dexteram denuo ad Altare se vertit, et tunc alter Assistens eodem modo thurificatur, vertendo se per suam dexteram ad Cantorem et per suam sinistram ad Altare. Ad *Sicut erat etc.* in fine Cantici, ut diximus, ante Episcopum, qui tunc in faldistorio sedit, veniunt et primus, ut alias ad dexteram secundi, imponit eidem Episcopo mitram pretiosam et, facta ei inclinatione, quin locum permutent, accedunt ad latera eius, facie ad populum versa. In fine repetitionis Antiphonae ad *Magnificat,* denuo accedentes ante Episcopum, primus aufert mitram et, Episcopo ad Altare converso, ad latera eius se sistunt ibique permanent usque dum responsum fuerit *Deo Gratias,* post cantum *Benedicamus Domino.* Advertant ut in decursu Orationis, vel Orationum caput

inclinent una cum Episcopo, ad verba *Oremus*, *Iesum Christum*, et si forte nominentur B. M. V. vel Sancti, de quibus festum agitur, vel qui commemorantur, iuxta regulas iam in Cap IV, Part. I in *nota* traditas.

Cantato *Benedicamus Domino* et responso *Deo gratias*, Assistentes ante Episcopum in faldistorio sedentem veniunt eique primus imponit mitram pretiosam. Denuo salutant Episcopum et locum permutant, scilicet primus ad dexteram eius et secundus ad sinistram accedit. De faldistorio surgente Episcopo, Assistentes simul cum eo, fimbrias pluvialis elevantes, ad Altare accedunt, facta prius choro in cornu Epistolae reverentia et postea, cum in medio pervenerunt antequam ad Altare se vertant, in cornu Evangelii. In infimo gradu genuflectunt Cruci et adiuvantes Episcopum Altare conscendunt. Sistunt in suppedaneo ad latera Episcopi, fimbrias eius pluvialis elevantes dum Episcopus dicit *Sit nomen Domini etc.* et in ora suppedanei genuflectunt ad *Benedicat vos* et benedictionem accipiunt. Qua impertita, surgunt, una cum Episcopo caput inclinant Cruci et de Altari descendunt, in infimo gradu genuflectunt, salutant chorum prius in parte Evangelii et postea in parte Epistolae et Episcopum comitantur ad faldistorium. In quo cum sederit, Assistentes, medii inter Cantores, ei reverentiam faciunt et primus Assistens aufert mitram. Tunc Assistentes locum permutant et solitis servatis caeremoniis, exuunt sacris paramentis Episcopum, eumque adiuvant ad resumendum mantellettum. Postea primus Assistens ei cum osculis Crucem imponit, biretum porrigit, et ambo Episcopum de faldistorio surgentem salutant. Episcopo ab Altari discesso, acceptis biretis, ante Altare, medii inter Cantores accedunt genuflectunt in *plano*, salutant chorum et incedentes ante Cantores, ut venerunt, primus ad dexteram secundi, de Altari discedunt, caput cooperientes postquam e presbyterio discesserint et in Sacristiam redeunt. Ubi, salutatis Imagine praecipua et Episcopo, deponunt, ubi acceperunt, adiuvantibus clericis, pluviale et superpelliceum. *(Continuabitur.)*

APPENDIX

DECRETUM.

Feria IV, die 29 Ianuarii 1896.

In Congregatione Generali S. R. et U. I. habita coram Emis et Rmis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Gen.libus Inq.bus, propositum fuit sequens dubium: — In facultatibus quinquennalibus S. C. de Propaganda Fide sub formula III, n. 13, conceditur facultas « Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam ut promoveri possint ad sacerdotium si alias idonei fuerint. » Quaeritur utrum haec facultas extendatur etiam ad Regulares?

Et omnibus diligenti examine perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, iidem Emi. ac Rmi. DD. Cardinales respondendum mandarunt: *Affirmative, facto verbo cum SSmo.*

Feria vero V, die 30 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de suprascriptis accurata relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII, Sanctitas Sua resolutionem Emorum. Patrum adprobavit et confirmavit.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Not.*

Très Saint Père,

Guillaume Pifferi, Evêque de Porphyr, prosterné aux pieds de Votre Sainteté, fait humblement la demande qui suit: Les Pontifes Romains ont déjà accordé une indulgence plénière, pour le premier Vendredi de chaque mois, à tous les membres de la Confrérie du Sacré-Cœur de Jésus et dans le désir d'accroitre encore davantage cette dévotion, on supplie Votre Sainteté de vouloir bien étendre la même indulgence à tous les fidèles, qui, le premier Vendredi de chaque

mois sans appartenir à la susdite Confrérie, après s'être confessés et avoir communié, méditeront un peu sur la bonté infinie du Sacré-Cœur de Jésus et prieront selon les intentions de Votre Sainteté, en outre de vouloir leur accorder une indulgence partielle de sept années et sept quarantaines pour tous les autres Vendredis suivants du mois.

C'est la grâce etc.

SS̃mus D̃nus N. Leo PP. XIII benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis et Ss. Reliquiis praepositae.

Die 7 Septembris 1897.

L. ✠ S. Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praef.*

PRO R. P. D. A. Archiep. Antinoen. *Secret.*

IOSEPH M. Can. COSELLI *Subst.*

E S. C. PROPAGANDAE FIDEI

Illme ac Rme Domine:

Cum in Statibus Foederatis plures in eodem territorio quasi-paroeciae pro populo diversae linguae erectae sint, quaedam ortae sunt quaestiones earum iura respicientes in personas, quae aut ex parentibus ad has ecclesias pertinentibus natae sunt, aut quae ex exteris nationibus advenerunt, linguam tamen Anglicam callentes. Haec Apostolica Delegatio in re tam gravis momenti satius duxit superiori Sacrae Congregationis de Propaganda Fide iudicio praefata dubia submittere, eo vel magis quod connexa videbantur cum resolutionibus ab eodem S. Ordine die 11 Aprilis 1887 latis. Porro

ad tramitem harum resolutionum, Emus eiusdem S. Congregationis Praefectus, literis sub die 26 Aprilis, anni currentis, Prot. N. 22972, nobis datis declaravit:

1. Filios ex parentibus non americanis linguam ab Anglica diversam loquentibus, in America natos, non teneri cum emancipati sint ad sese iungendos quasi-paroeciae in qua regionis lingua, seu Anglica, adhibetur.

2. Catholicos, qui in America nati non sunt, qui tamen linguam Anglicam noscunt, ius habere membra fieri illius ecclesiae in qua Anglica lingua in usu est, nec obligari posse ad sese subiiciendos iurisdictioni Rectoris ecclesiae erectae pro populo linguam propriae nationis loquente.

Haec a me significanda erant A. Tuae, dum omni qua par est reverentia et existimatione permaneo, Amplitudinis Tuae

Addictissimus in Xto,

† Sebastianus Archiep. Eph. *Del. Apost.*

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.

—

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta *Patriarch. Antioch., Vicesgerens.*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph, in Vico a S. Prisca, 8. *(in Col. Aventino)*

SACRA RITUUM CONGREGATIO

—

NICOTEREN. ET TROPIEN.

Rm̃us Dñs Dominicus Taccone-Gallucci, hodiernus Episcopus Nicoteren. et Tropien. Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exponens opportunam Dubiorum solutionem et facultatem postulavit ; nimirum :

Ante annum 1880 in Cathedrali Ecclesia Tropien. quae superiore saeculo fuerat consecrata, innovationes factae sunt, nempe : Altare maius marmoreum, quod retro habebat Chorum seu sedes Canonicorum et Mansionariorum, amotum fuit et postremo parieti innixum, manentibus ante illud sedibus choralibus, et nova indiget consecratione. Insuper parietum et fornicum crusta, vulgo *intonaco*, tota simul disiecta fuit, atque partim denuo confecta et depicta, partim vero marmoreis tabulis subrogata. Plura quoque Altaria marmorea habent in medio mensae lapidem quadrum in forma Altaris portatilis caemento firmatum. Hinc quaeritur :

I. An Ecclesia Cathedralis Tropien. execrata sit, quia tota simul crusta disiecta fuit?

II. Et quatenus negative ad I, quum eadem Ecclesia ob diuturnam opificum mansionem sit reconcilianda, ipse Episcopus Tropien. petit facultatem delegandi Sacerdotem ad eiusmodi reconciliationem seu benedictionem.

III. Quum supradicta Altaria cum lapidibus qua-

dris in medio, consecrata fuerint ad modum Altarium fixorum, quorum mensa unico lapide constat, stipiti lapideo ex utraque parte adhaerens, idem Episcopus postulat, quatenus opus sit, sanationem quoad praeteritum tempus et dispensationem quoad futurum, ut in iisdem Altaribus, etiam in posterum Sacrum fieri valeat, prouti hucusque factum fuit.

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, omnibus rite perpensis rescribendum censuit:

Ad I. Negative, iuxta Decretum diei 8 Iunii 1896 ad II.

Ad II. Pro gratia.

Ad III. Pro gratia, quatenus opus sit tum sanationis tum dispensationis ad effectum de quo agitur. Curet tamen Episcopus ut Altaribus portatilibus fixa substituantur. Atque ita rescripsit et de Apostolica Auctoritate petitas facultates concessit. Die 9 Augusti 1897.

L. ✠ S. L. M. Card. Parocchi

D. Panici, *Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE
SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI

XI.

Dominica II Augusti in civitate B. celebratur quotannis Titulus Ecclesiae cathedralis, qui a Regularibus, uti notum est, sub ritu 1. cl. recolitur, sed

sine octava. Quando dies 10 Aug. incidit in Dominicam, in dicta civitate agitur de Titulo, translato S. Laurentio. Cum autem Regulares illic degentes celebrent quidem Titulum die 10, sed absque octava, accidit ut die 17, dum clerus saecularis deberet officium agere de octava Tituli, a clero regulari agatur festum S. Laurentii, quia infra totam eius octavam nulla dies extitit pro eo recolendo libera. Verum, cum eadem die 17, utpote Dom. infra octavam Assumptionis, occurrat festum mobile S. Ioachim dup. II. cl., gravis oritur quaestio, an de S. Laurentio fieri dicta die possit, an potius fieri debeat de S. Ioachim. Ratio dubitandi est, quia S. Laurentius, die sua ac per totam octavam impeditus, ius videtur habere ut celebretur saltem in die octava, quae est festi perfectio. Sed ex alia parte S. Ioachim non videtur a die sua removendus, cum ibi sit fixus, ut feriatione gaudeat. *Quaeritur*:

1. *Quibus de causis Ecclesia octavas instituerit, et quaenam relationes intercedant inter festum eiusque octavam?*

2. *Utrum, inspecto Brevi concessionis festi S. Ioachim, hic ius habeat ut cum feriatione celebretur, quocumque eiusdem ritus occurrente festo?*

3. *An festum sive fixum sive mobile, gaudens octava, die sua et in tota octava impeditum, ius habeat ut in die octava celebretur, remoto quocumque alio festo eiusdem ritus?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. D. Friderici Delenda Pont. Coll. Urbani de Propaganda Fide alumni, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam die 2 Iunii 1897; acta Epitoma per R.mum Dom. Nicolaum D'Amico ex Caeremoniarum Apostolic. Magistris.

I. Quaeritur: *a*) Quibus de causis Ecclesia octavas instituerit? *b*) Quaenam relationes intercedant inter festum eiusque octavam?

a) Ex more docti mystico, quo solemniter Hebraei festorum octavas celebrabant, iam ab initio Christicolae octo dierum spatio sacras solemnitates protrahere coeperunt. Ipsi Apostoli, si plurimis liturgicis Auctoribus est fides habenda, octavas Paschatis et Pentecostes instituère. Labente autem cursu temporis, mos in Ecclesia receptus fuit alias celebrandi octavas, uti Nativitatis Domini, Epiphaniae et Ascensionis, deinde quoque Beatae Mariae Virginis, et aliorum Sanctorum, maxime Patronorum et Titularium. Ecclesia graecorum, uti animadvertit Macri, octavas hodie non celebrat, quamvis antiquitus id fecisset, prout etiam apparet ex ritu Ambrosiano, qui octavas tantum Epiphaniae, Paschae et Pentecostes, nec non SS. Corporis Christi habet. Nunc quaeritur, quibus de causis Ecclesia octavas instituerit? Respondemus: plurimis de causis, quarum praecipuas modo exponimus.

Ut verbis cl. Gardellini utamur, octavae introductae fuere: « ut solemniora festa maiori non solum solemnitate celebrarentur, sed ad indicandam ipsorum prae-

ceteris excellentiam praeter solemniorem ritum, maior dierum numerus statueretur, ut Religionis nostrae praecipua Mysteria, quorum memoria recolitur, altius in fidelium mentibus figerentur, ut beneficia, quo sunt maiora accepta, eo magis illa sentiamus, et maiores de iis gratias ad nostram ipsam animae salutem agamus, per longius tempus ea considerantes, mente volventes, et corde retinentes; ut dona et charismata aliquibus Sanctis prae aliis a Deo collata memoria repetentes, et Divinam Bonitatem, et peculiarem Dei in illis amorem agnoscentes, Deum ipsum intensius laudemus, qui illis magna et mirabilia fecit, et admirabilem se in illis ostendit: ut nostra excitarentur corda ad illorum auxilium diutius implorandum, ut et ipsi nostrum apud Deum patrocinium suscipiant, ut Sanctorum virtutes ad imitationem nos provocent, atque delectent (In Decr. 31 Mart. 1821 in *Novarien.* conf. 3. April.) ».

Rodulphus Tungrensis (*prop. 19*) animadvertit: « Magnitudo festi a nobis exigit, ut prius illud incipiamus, et tardius terminemus, praevenimus vigilia, prorogamus cum ad octavam diem festum protendimus; praeveniamus ergo et prorogemus ut ardentius quos debemus, recolamus; quaeque uno die minus possumus, reliquis diebus compensemus ».

Nec deest mystica ratio, cur Ecclesia octavas sit libenter amplexa, numerus enim octavarius mysteria continet. Gavantus in Praefatione ad Octavarium Romanum, plures commemorat, ita v. gr. quia in Arca Noe octo tantum personae salvae factae sunt, quia octo erant tabulae super quibus victimae immolabantur. Insuper, apud Hebraeos octavus dies erat dies circumci-

sionis, dies oblationis agnorum, dies expiationis Altaris, consecrationis Sacerdotum, et sanationis leprosorum.

Augustinus (*lib. I. de Serm. Dom. in monte, c. 3.*) ait: « Octava tamquam ad caput redit, quia consummatum perfectum ostendit ac probat. Hinc perfectam iustitiam Sanctorum vel consummatam sublimioris cuiusque mysterii perfectionem, octo dierum numero Sancta Mater Ecclesia veneratur ».

In sensu autem anagogico, octava denotat aeternam gloriam, qua fruuntur beati caelestis patriae cives; namque notandum est, septem hebdomadae dies, spatium vitae praesentis denotare, in qua Sancti repleti virtutibus et Sancti Spiritus donis fuerunt, iuxta illud Psalmistae: « Dies pleni invenientur in eis. » Octavus dies vero in praemium laboris superadditur, uti bene se exprimit Fortunatus (*lib. 4, c. 4*): « Celebretur per septem dies opus septiformis Spiritus, et octava die consummatio et glorificatio eiusdem operis ».

Sensu tandem tropologico, cum Heschio concludere possumus octavas celebrari, « ut doceamur debere nos exempla Sanctorum sequi et tempore vitae, quod septenario significatur, Deo placere, quousque ipso Deo octava demum die fruamur (*lib. 6, in Levit.*) ». Octava ergo, iuxta Patrum testimonium, aeternam animae et corporis glorificationem significat.

b) Quaenam vero relationes, inter festum et eius octavam intercedant, paucis his verbis concludemus. Octava aliud non est, nisi eiusdem festi extensio; singulis octavae diebus ipsa diei festi memoria recolitur: « Omnes dies octavae, ait Rodulphus (*prop. 23.*), pro una festivitate computantur ». Exinde sequitur eo no-

biliorem esse octavam, quo minus ab aliis festis impediatur. « Sicut primus dies significat nativitatem eorum (Sanctorum), scilicet qualiter nascuntur caelo et in societatem Angelorum et Sanctorum Patrum quorumque animae eorum a corporibus separantur; ita in octavis recolentes resurrectionem corporum congratulamur resurrectioni eorum (Durandus, *Ration. lib. VII, n. 42*) ».

II. Inquiritur utrum inspecto Brevi concessionis festi S. Ioachim Patris B. M. V., hic ius habeat ut cum feriatione celebretur, quocumque eiusdem ritus occurrente festo.

Antequam respondeamus, animadvertimus in *Ephemeridibus Liturgicis (Vol. XI, ann. 1896* pag. *233 et seq.*) iam indirecte quaestionem pertractatam fuisse a *Batavo*. Festum S. Ioachim Patris B. M. anno 1510 in Ecclesia introductum fuit a Papa Iulio II, deinde a S. Pio V expunctum a Breviario. Attamen Gregorius XIII restituit, et Gregorius XV ad meliorem formam eius Officium redegit. Agebatur hoc festum die 20 Martii, sed anno 1738 a Clemente XII translatum est ad Dominicam infra Octavam Assumptionis Deiparae ob rationem in Decreto allatam, quod huius extat tenoris: « Cum enixe ac saepius Sacra Caesarea Maiestas institerit, ut festum S. Ioachim, perinde ac S. Annae coniugis, esset in Ecclesia universali de praecepto, S. R. C. re mature, nec semel discussa, ita denique censuit annuendum *ut, ne Festa de praecepto multiplicentur*, debitus tamen honor Genitori Matris Dei non denegetur, festum eiusdem S. Ioachim a die 20 Martii ad Dominicam post Assumptionem B. V. eius Filiae transferatur; in eaque sub ritu duplici

maiori (hoc festum, una cum illo S. Annae ad ritum duplicem 2 classis evectum est Decreto S. R. C. Urbis et Orbis d. d. 1. Augusti 1879), ut et festum S. Annae coniugis sub eodem ritu deinceps celebretur. S. R. C. 20 Septembris 1738 in una *Urbis et Orbis* approbante SS.mo die 3. Octobris (Apud Cavalieri *tom. II. c. 31 decr. 1.* In collectione Gardelliniana non invenitur) ».

Apparet ergo ex Decreto festum S. Ioachim ad Dominicam diem appositum fuisse, *ne festa de praecepto multiplicarentur*, et consequenter si festum praefatum gaudet privilegio feriationis, hoc debet diei Dominicae, non proprio iuri. Huiusmodi est etiam cl. Cavalieri opinio, qui aliquid super eodem Decreto animadvertens ait: « et adeo, ut Urbanus VIII ad festorum moderationem progrediendum esse censuerit, haud putavit diem 20 Martii, in qua S. Ioachim festum recurrebat, indicendam esse festivam, sed magis festum S. Ioachim e die 20 Martii ad Dominicam post Assumptionem Deiparae esse transferendum, *eleganti admodum, ac industri modo parcens indictioni novorum Festorum de praecepto* etc. ».

Ad hanc ducunt conclusionem nonnulla S. R. Congregationis Decreta; ita ex. gr. die 22 Aprilis 1741 (apud Gardellini *n. 1110 ad 3*), S. Congregatio interrogata fuit: « Cum Dominica infra Octavam Assumptionis B. M. V. celebretur in regno Poloniae Festum S. Hyacinthi Patroni principalis duplex 1 classis cum octava, et eadem Dominica recenter sit assignata perpetuo a S. R. C. Festo S. Ioachim, possitne dictum Festum S. Ioachim licite celebrari 20 Martii, ut olim, cum hac Dominica nunquam de eo Officium

fieri posset, vel transferri in aliam diem non impeditam, vel in Dominicam ante Nativitatem B. M. V. nunquam impedibilem, cum Dominica post Octavam Assumptionis sit iampridem assignanda translationi S. Casimiri ? Et si fieret de S. Ioachim 20 Martii, utrum sit celebre ad populum, secundum Decretum nuper emanatum 20 Sept. 1738? Et eadem S. Congregatio respondit: Faciendum esse in Regno Poloniae in Dominica infra Octavam Assumptionis Officium de S. Hyacintho, assignata prima die officio S. Ioachim, *cum huius Festum non sit de praecepto*, neque eius Festum possit celebrari ante Dominicam infra Octavam Assumptionis ». Ergo ipsa S. Congregatio ait festum S. Ioachim non esse festum de praecepto.

Anno autem 1869 die 20 Martii, aliud datum fuit ab eadem Congregatione Decretum his verbis expressum (Gardell. n. 5430 ad 1): « An occurrente Dominica infra octavam Assumptionis B. M. Virginis die 16 Augusti, in qua celebratur Officium Dioecesis nempe S. Rochi Confessoris Patroni minus principalis, et Officium Ecclesiae universalis sub eodem ritu et dignitate, nempe S. Ioachim Patris B. M. Virginis, non obstante Rubrica generali de occurrentia Festorum et Decreto emanato spectante ad S. Ioachim, qui considerari debet ut Patriarcha, sicut declaratum fuit a S. R. C., potest ne ex inveterata consuetudine transferri Officium Dioeceseos, idest S. Rochi, et celebrari illud Ecclesiae universalis ? » S. R. C. respondit: « Praecedentia in casu convenit S. Rocho, translato Officio S. Ioachim ad primam diem liberam ».

Ex his ergo omnibus deduci legitime posse arbitramur, festum Patriarchae S. Ioachim non posse

considerari *ex se* tamquam festum de praecepto, ac proinde, ratio in casu allata ut festum S. Ioachim celebretur, non valet.

III. Tertio demum inquiritur, an festum sive fixum sive mobile gaudens octava, die sua et in tota octava impeditum, ius habeat ut in die octava celebretur, remoto quocumque alio festo eiusdem ritus? Respondemus *affirmative*. Ratio vero satis est patens; namque, ut iam superius vidimus, festum cum sua octava unum quoddam efficit, et consequenter tam festum, quam tota octava propria est Sancti cuius festum peragitur: quod si dies festus et sua octava impediatur, libera tamen remanente die octava, profecto hac die festum recolendum est, remoto quocumque alio festo eiusdem ritus. Ratio insuper ex hoc etiam evidens est, et primo intuitu dignoscitur, quia nempe octava non est nisi reiteratio festi, ergo propria est ipsa quoque eius Sancti. Haec porro conclusio a nonnullis confirmatur Decretis S. R. Congñis. Et sane, in *una ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Lusitaniae*, interalia dubia habetur etiam: « An adveniente die non impedita infra ipsam Octavam, aut in die Octava, Festum istud praeferri debeatin repositione alteri Festo altioris ritus, vel maioris dignitatis prius translato sine Octava celebrando, aut eius tempore iam finito, eo quod intra suam Octavam reputandum sit tanquam in die propria, ideoque minime subiacens Rubricis de translatione Festorum? » S. C. Respondit: « Super resolutione quarti dubii ex septem iam propositis in Congregatione die 14 Maii 1803, Ponente Eñio Litta: iuxta votum diei 13 Martii 1804, videlicet: Festum gaudens Octava, si transferri con-

tingat, et dies non impedita occurrat priusquam Octava finem habeat, in repositione praeferendum esse aliis festis, etiam maioris ritus, vel dignitatis prius translatis, quae tamen vel non gaudent Octava, vel post eam transferuntur ».

Forte hoc decretum non convenit perfecte nostrae thesi, quia deficit ratio ob quam festum gaudens Octava praeferri debeat in repositione alteri festo etiam altioris ritus, vel maioris dignitatis, eo quod tota Octava et consequenter etiam dies octavus est proprius Sancti de quo festum celebratur. Hoc autem penitius apparet ex alio Decreto in una *Panormitana* (n. 4594) ad 3 Quaeritur: « Die 6 Iunii est Festum S. Norberti Ep. et Conf. Patroni Principalis rit. I. class. cum Octava, die vero 12 dicti est S. Ioannis a S. Facundo Conf. Patron. Principalis eiusdem ritus. Accidit quandoque, ut die 6 Iunii occurrat Festum Pentecostes, ideoque dicta Festa Patronorum transferenda sunt ad primam diem non impeditam iuxta Rubricas; sed in dicto mense dies non impediti post Octavam Pentecosten sunt 15, 16, 17, 18, tunc de S. Norberto Octava iam elapsa est, non item de S. Ioanne a Sancto Facundo, ideo quaeritur: Utrum reponendum sit primo Festum S. Norberti, vel Festum S. Ioannis a S. Facundo, cum residuo Octavae, quia dies 15 est dies infra Octavam S. Ioannis a S. Facundo, et dies infra Octavam, et dies Octavae reputantur tanquam una dies? » Uti notat Gardellinius, si standum esset Rubricis oporteret respondere *affirmative* quoad primam partem; *negative* ad secundam; nempe festum quod fuit prius translatum reponendum esse in primam diem non impeditam; sed quia, prosequitur Gardellinius, « dum Ru-

bricae dispositae fuerunt, nec translationes tam frequentes erant, neque tot Festa decorabantur Octava: data equidem fuit regula generalis, sed Rubricae non omnes casus contemplatae fuerunt, qui contingere imposterum poterant ex adiectione Festorum et Octavarum. Ideo S. C. tuendis Ritibus praeposita, quae Rubricarum interpres est, iuxta diversas contingentias id declarat, quod forte non videtur sufficienter expressum, et iis, quae non fuerunt praevisa, opportune consulit. Talis est casus, qui in dubio proponitur, et decisus fuit prout in una *Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Lusitaniae* sub die (13) Martii 1804 ».

Hoc Decreto, uti iam vidimus, « in concursu duorum Festorum, quae gaudent Octava, et transferenda sint, illud in repositione praevaleat, quod licet posterius sit, tamen diem liberam habet infra suam Octavam ».

Ergo ex his Decretis concludere possumus, nisi directe, saltem indirecte, quod si festum gaudens Octava, impediatur die sua et in tota Octava, ius habeat ut in die Octava celebretur, remoto quocumque alio festo eiusdem ritus.

Sed quis forsan non satis erit contentus indirecta probatione, en ergo et directam: certa scientia novimus, nuperrime Sacram Congregationem Decretum confecisse, quo, nostram considerat quaestionem, et affirmativam exhibet resolutionem. In nova, quae paratur, collectione prodibit. Liceat ergo nobis concludere, festum aliquod sive fixum sive mobile gaudens Octava, die sua et per totam Octavam impeditum, ius habere ut die Octava celebretur, remoto quocumque alio festo eiusdem ritus. Unde tuto affirmari potest,

quod in nostro casu festum S. Laurentii, cum impeditum fuerit die sua et per Octavam, ius habet ut die ipsa Octava celebretur, et festum S. Ioachim ad primam diem liberam transferendum est.

QUAESTIONES ANNI 1895-96

XI.

1. *Quibusnam in casibus ius Episcopo dioecesano competat sedendi in Throno, seu antiqua seu praesenti disciplina, tam in latina quam in graeca Ecclesia, inspecta, et quando in primo subsellio chori?*

2. *Quaenam sint eiusdem Episcopi iura circa induendas vestes dum divinis officiis assistit, circa Throni usum, et associationem Canonicorum?*

3. *Quid iudicandum de singulis in casu expositis, et an bene se gerant Canonici, an potius Episcopus?*

CONCLUSIONES

Ex dissertatione R. D. D. Vizzini habita die 17 Iunii 1896; Epitomatore R.mo D. Hilario Passerini.

I. Thronus episcopalis, etiam Sedes et Cathedra vocatus, ad Religionis primordia refertur. Eusebius narrat, Saec. IV, Ierosolymis adhuc servatam S. Iacobi Apostoli, primi illius Civitatis Episcopi, Cathedram. Hic Romae in Vaticana Basilica, Apostolorum Principis Cathedram veneramur. Praeter commoditatem in docendo et auctoritatis argumentum, in sacris liturgicis

conventibus digniorem designabat Personam, caput nempe Presbyterorum et fidelium, ideo pluribus gradibus supereminebat. Quod plane et nomini congruebat, Ἐπίσκοπος enim idem significat ac superintentor. Sedes in abside veterum Templorum marmorea erigebatur. Iuxta Caeremoniale Episcoporum locus Sedis proprius varius est, pro diversa Altaris positione. Si hoc parieti adhaereat, Thronus e cornu Evangelii collocatur; si in medio Presbyterio sub Tribuna, ante illud in absidis centro. Chorus in primo casu e lateribus Altaris collocabitur, in altero e Throni lateribus, ita ut cum illo semicirculum efformet. Tribus gradibus constare debet; panno serico coloris paramentorum cooperietur. Baldachinus superimponetur quadratae formae, si tamen super Altare aliud extet nobilior aut saltem aeque nobilis, vel si Altare marmoreum habeat Ciborium.

In Ecclesiis Graecorum Thronus invenitur pro Episcopo in medio post Altare ubi sunt Presbyterorum sedes assistentium et concelebrantium cum illo. Cum vero Episcopus Eucharistiam fidelibus distributurus est, e Sanctuario exit et in Solio sistit, qui ipsius Christi Thronus censetur. In choro quoque Ecclesiae graecae prima sedes Episcopo quoque reservatur, post quem Lectores sedent, et e regione Presbyteri. Episcopus ius habet sedendi in Throno, qui ei ita proprius est, ut post consecrationem « tunc solum cum in eo sederit, Episcopatus apicem conscendisse censeatur » (Goar, *Ritual. Graec.*).

At semper, quaeritur, Episcopus in Throno sedere valet? Tam in Ecclesia graeca, quam in latina praeter Cathedram seu Thronum, Episcopo primum

Chori subsellium reservatur, quod evidenter indicat Episcopum haud semper ius habere in Throno sedendi. In Ecclesia graeca, e Missa S. Ioannis Crysostomi eruitur, usum Cathedrae Episcopo pertinere in S. Sacrificii celebratione. Extra illam, primam Chori sedem habet, quam Goar pariter Thronum vocat. In Ecclesia latina Caeremonialis Episcoporum praescriptionibus inhaerentes dicimus Episcopum ius habere sedendi in Throno « quando Vesperae et Missae per ipsum solemniter decantantur ». Notat tamen opportune De Herdt, hoc non debere tantum intelligi cum ipsemet Missarum solemnia celebrat et Vesperas, sed etiam cum iisdem solemnibus caeremoniis assistit. Cum autem Episcopus Missis non solemnibus assistit et Horis Canonicis, distinguendum est, iuxta diversas Chori et Altaris positiones. Cum Altare parieti adhaeret, Chorus est in medio Ecclesiae et Sedes Episcopalis a latere Evangelii, Episcopus *poterit ibi* (nempe in Choro), *in sede pro ipso ordinata residere* (Caer. lib. 1. c. XIII) quae est vel Sedes distincta a Throno et Choro, uti ex verbis: *ex consuetudine Ecclesiae*, vel primum Chori subsellium, uti patet ex Cap. 4. lib. 2 Caeremonialis, ubi dicitur *in suo loco seu stallo, panno aliquo vel tapete cum pulvinaribus ornato*. Id confirmatur a S. R. C. in *Oxomen.* 24 Iulii 1638; in *Cesenaten.* 29 Ian. 1656; et *Urbevetana* 3 Aug. 1737. Cum vero Altare a pariete distat, et Chorus circa Sedem Episcopalem in medio positam parieti adhaeret, tum Episcopus poterit in Sede supradicta tam in solemnibus, quam non solemnibus officiis adesse; ratio est quia Sedes seu Thronus quid unum cum Choro efformat. Potest Episcopus Thronum conscendere cum

expositum manet SSmum Sacramentum. Si S. R. E. Cardinalis assistat, huic Thronus competit, Episcopo non Cardinali celebranti Faldistorium, non celebranti quando Chorus est sub Tribuna in Presbyterio, dignior Chori pars. Praesente alio Cardinali, cum Episcopus quoque eadem fulget dignitate, si ille Legati a latere munere fungitur, sedent ambo, in casu Throni e cornu Evangelii existentis, in eodem loco et plano et sedibus aequalibus; in casu autem Throni in medio Chori positi sedebunt ambo in eodem, semper autem celebrans sedet in Faldistorio: si vero Cardinalis non fuerit Legatus, Episcopus Cardinalis, una cum eo in sedibus aequalibus sedere poterit *ab eadem parte Evangelii, ubi solet esse sedes Episcopalis, vel in digniore parte Chori, quando est sub tribuna.* Notetur honoratiorem locum extraneo semper dandum.

« Metropolitanus, absente Cardinali, habebit aliam Sedem ex opposito in cornu Epistolae, similiter ornatam, ut Sedes Episcopalis: alii vero Episcopi hospites sedebunt in digniori loco post Episcopum dioecesanum supra omnes Canonicos ».

« Nuntii apostolici, habentes in eo loco facultates legati de latere, sedebunt in alia Sede ornata, prout de Metropolitano dictum est, non tamen in Sede propria Episcopi ».

II. *a*) Quaenam sint Episcopi dioecesani iura circa induendas vestes, dum divinis Officiis assistit, nunc videbimus. Hae sunt: Rochetum, Cappa, Mozeta et generatim paramenta Pontificalia. Pontificalibus, paramentis utitur quando in Vesperis solemnibus officium facit vel tantum assistit (Cfr. Caer. Ep. *lib. 1, c. XV,*

n. 10; lib. 2, c. 2. n. 4.). Ita pariter cum solemniter celebrat ad Laudes (*ib. lib. 2, c. 7, n. 1*). Item ad Tertiam, Pontificaliter Missam celebraturus, et quando Missae solemni assistit ab alio celebratae in *solemnioribus festivitatibus* (*ib. lib. 2, c. 9, n. 1*).

Cappa induitur, 1) ad Vesperas, cum assistit non celebrans; 2) ad Completorium; 3) ad Matutinum et Horas minores; 4) ad Missas in *festis minus solemnibus* ab alio celebratas.

Mozetam sumit cum diebus ferialibus assistere cupit ad Vesperas et alias horas, nec non ad Missam Conventualem.

Episcopi iura circa Throni usum iam novimus ex iis, quae superius dicta sunt, tantum addimus illius usum non modo digniori, sed et inferiori Episcopo illum cedere posse, prout declaratum fuit a S. R. Congregatione. Circa associationem Canonicorum, haec de iure: « Cum Episcopus, rei divinae peragendae causa ad Ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent Canonici omnes in eorum ecclesiastico et Canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum accedere eumque cappa indutum . . . ex aula seu cubiculo, quod ad hoc destinaverit, ad Ecclesiam progredientem comitari et deducere (Caer. Ep. *lib. l, c. XV*) ». Hoc intelligitur de gravi obligatione, nisi obstet nimia domus Episcopalis ab Ecclesia distantia, quae, iuxta Catalanum et De Herdt ultra 200 passus computatur (*V. Decr. 22 Dec. 1629 in Thelesina*), et tunc ad Ecclesiae ianuam accedere tantum tenentur; et nisi Episcopus mozeta tantum indutus accedat, uti diebus ferialibus, quia tunc Canonici ex urbanitate ad Ecclesiae ianuam, et

duo ex iis tantum, comitabuntur (*S. R. C. in Ferentina, 12 Ian. 1647 etc.*). Si Episcopus accederet Officio iam inchoato, non totum Capitulum, sed tantum quatuor vel quinque Canonici obviam illi procedent, usque ad locum in quo cappam assumet. In reditu, uti in adventu se habebunt aut saltem ad atrium vel primam portam Palatii associabunt, cum nimia distantia non obest; hoc in casu sufficit eos ad Ecclesiae portam consistere, seu etiam paulum extra.

Si Episcopus Officio non finito exire de Ecclesia velit, domum comitabuntur aut ad locum ubi cappam deponit, tantum quatuor Canonici. Attamen si egrediatur inter unam et aliam Horam, quando ad Ecclesiae ianuam tantum comitabuntur, convenienter mora fiet, ut omnes cum eo procedant, quando autem domum usque eundum est, quatuor tantum Canonici comitaturi Chorum derelinquent, ceteris Officium prosequuturis. Tandem Episcopum exeuntem post Concionem infra Missam Conventualem habitam, tres tantum vel quatuor Canonici usque ad Ecclesiae ianuam comitabuntur.

III. Nunc ad singula in casu exposita respondendum. 1. Episcopus fere semper divinis officiis assistere cupiens in sua Sede semper locum sumit, contradicentibus quandoque Canonicis. Legem Caeremonialis iam tradidimus; in officiis non solemnibus, *si voluerit interesse, assistet in Choro* et non in Sede Pontificali. At dicitur in illa Cathedrali Thronus positus esse immobilis in principio Chori, quasi dicatur unum quiddam cum Choro ipso efformare, veluti in casu a Caeremoniali relato de Throno sub tribuna. Ubi eadem est ratio applicari certo potest eadem iuris dispositio,

unde contra Caeremoniale non esset, in casu illum locum semper sumere. 2. Episcopus tam ferialibus, quam festis non solemnibus diebus rocheto et mozeta indui peroptat graviter id ferentibus Canonicis. Diebus ferialibus nulla difficultas; diebus vero festivis minus solemnibus, Missae assistens cappam assumere debet, ita quoque generatim in aliis Officiis. 3. Canonici Episcopum associare recusant, ad usque saltem Ecclesiae ianuam, cum ille iam inchoato Officiò accedit aut non absoluto recedit. Distinguendum, si de omnibus Canonicis sermo sit, reprehendi non possunt, etenim abrumpere Officium nequeunt, sed si etiam de illis quatuor vel quinque, qui tenentur omnino, iniuste opponuntur. 4. Canonici tandem qui Episcopum comitari detrectant, ob aspera viarum, non sunt inquietandi si gravem reapse id incommodum ferat, quia si notabilis distantia (ducentorum passuum) et non modica pluvia (*S. R. C. 24 Maii 1664 in Ragusina)* causae sufficientes habentur, cur Canonici eo onere eximantur, ita pariter causa sufficiens haberi debet via non modice aspera.

Canonici igitur obsequium erga Episcopum libenter praestent, Episcopus vero utatur iure suo, sed memor sit S. R. Cong.nis moniti, « quod discrete se gerat in assistendo cum Cappa, et urbane pariter procedat cum Capitulo circa reassociationem (22 Aug. 1744 in *Melphiten.*) »

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Venetiis*. **De Missa votiva S. Iacobi Ap. in vigilia illius festi.** In vigilia S. Iacobi mai. Apostoli, occurente officio ritus semiduplicis, celebrari ne potest Missa votiva de eodem Sancto Apostolo?

Resp. Absolute loquendo, Affirmative; cum non illius festum, sed vigilia agatur, quae festum non constituit, sed praeparationem ad festum. Hoc quidem, stricto et antiquo iure inspecto. Verumtamen eiusmodi votivam Missam minus congruere tenendum est, cum eius agatur vigilia, de quo Missa fieret. Simile dubium propositum fuit S. R. Congni resolvendum: agebatur de Missa votiva Deiparae in vigilia Assumptionis illius. Data autem responsio fuit: « Ex quo Missa de vigilia praedicta sit de ipsa Bma Virgine, laudabilius videtur, ut celebret Missam de vigilia, in qua et universalis Ecclesiae ritui, et particularis oneris implemento consulatur (*Urbis, 3 Septembris 1661*) ».

Diximus nihilominus, *stricto et antiquo iure inspecto: stricto* quidem, quod votivam Missam indulget in semiduplici: *antiquo*, quatenus relatum Decretum illam non prohibebat. Sed impraesenti animadvertimus, et praefatum Decretum expunctum a Collectione fuisse, et aliter ac supra nobis argumentari licitum esse. Videlicet, quamvis vigilia non sit festum, sed praeparatio ad festum, nihilo tamen minus totus fere partium Missae de vigilia complexus idem obiectum spectat, sicut in ipso festo. Sane legas Missam

de vigilia Apostolorum, S. Mart. Laurentii, Assumptionis etc. perspectumque facile habebis, ita rem se habere. Inde sequitur, Missas Sanctorum votivas uti non licitas in relativis festis, sic neque licitas esse in eorumdem Sanctorum vigiliis. Ratio enim, ex qua Missa votiva in relativo festo prohibetur, quaenam est? Nonne quia in festo Sanctus cum officio et Missa, quae ipsi conveniunt, recolitur? Ergo, cum Guyeto inferimus, Missam votivam dicere de eo, cuius agitur festum, supervacaneum est atque insulsum; amplius enim Sanctus per Missam festi sui recolitur, quam per votivam (*Lib. IV, cap. XXI, quaest. 9*). Verum citatus auctor non solum id asserit de Missa votiva in die festo, sed etiam infra illius octavam, idque ob eamdem rationem. Tandem idem extendit etiam ad vigiliam festi, et quidem ex eiusdem rationis identitate, dicens: « Itidem de vigilia Assumptionis, cuius Missa, licet festiva non sit sed ferialis, et in ea dicatur Praefatio communis, *quia tamen tota est de B. Virgine*, alia perperam votiva assumeretur *(loc. sup. cit.)*. » Iam nunc satis patet, quod de Assumptionis vigilia praedicatur a Guyeto, applicari toto iure posse ad vigilias Sanctorum. Consequenter concludere merito possumus, in vigilia S. Iacobi Ap. Missam votivam de eo non esse dicendam, sed de ipsamet vigilia, si quis iure uti desiderat, quod in semiduplici Rubricae tribuunt.

II. *E Republica Mexicana.* **De Paramentis ex metallo inaurato.** Paramenta plura apud nos adhibentur, quae ex metallo confecta sunt, atque inaurata: licetne eorum usus? Cuiusnam coloris censenda?

Resp. 1. Huiusmodi fortasse paramentorum genus,

materiam quod attinet ex qua conficiuntur, quid novitatis praeseferre potest lectoribus nostris. Nihilominus haud novum est in Republica Mexicana, cum certiores facti simus, dicta paramenta, uti casulas, stolas, manipulos, dalmaticas et pluvialia, esse antiquissimae inventionis. Eiusmodi stamen construitur ex filis subtilioribus metallicis inauratis eo ferme modo, quo fila texuntur ex serico, aliave materia. Exempla sunt apud nos in fimbriis vel aureis vel argenteis, quae saepe adhiberi solent pro ornatu vestium, ipsarumque casularum, pluvialium etc. in eorum extremis oris. Discrimen in eo consistit, quod hae fimbriae ex auro generatim sunt vel argento, stamina vero, de quibus est quaestio, sunt ex filis metallicis, inauratis tamen. Inquiritur itaque, an ex eiusmodi materia confici casulae possint.

Dici fortasse potest, Rubricas nonnisi panneam materiam respicere; verumtamen dubitari non potest, quin materiam quoque auream vel argenteam spectent, abstractione etiam facta a quibuscumque filis e vegetali seu animali materia provenientibus, sine quibus persaepe fimbriae solent confici. Iam nunc casulae, dalmaticae aliaque paramenta esse posse ex auro vel argento nemo inficias ibit: quid autem si ex metallo inaurato conficiantur? Profecto, quodcumque metallum pro calicibus, si a cuppa abstrahas speciali de causa, uti et pro patena, Sacrificium altaris non dedecet, dummodo sit inauratum. Quare ergo prohibitum dicendum erit, si ad tenuissima fila redactum pannique instar intextum, eiusdem Sacrificio Altaris pro paramentis sacerdotalibus inserviat? Obiicere fortasse poteris, paramenta ex auro vel argento ideo esse permissa, quia

pretiosa sunt; atqui de iisdem ex aere, ex cupro aliisve metallis similibus id praedicari nequit. Sed responderi potest, inter metallum aureum aut argenteum et metallum deauratum aut deargentatum quandam intercedere proportionem, sicut inter sericum et aliam materiam panneam, quae ex serico non est, sed ex exteriori parte idem sericum ostendit. Iam nunc, sicut paramenta ex materia non serica, quae sericum ab exteriori parte demonstrant, sunt permissa; ita et permissa credimus paramenta, quae licet ex auro vel argento non sint, nihilominus exterius aurum vel argentum monstrant. Eiusmodi sunt autem paramenta ex metallo deaurato, quae oculis ex auro confecta apparent, et aurum revera continent. Porro si licet pro paramentis pannus, qui non est ex serico, sed sericum exterius monstrat, a fortiori licebit metallum non aureum, sed deauratum, cum aurum pretiosius sit serico. Cum itaque optimae congruitatis rationes dictis paramentis faveant, et de reliquo nulla lex illa prohibeat, concludendum iudicamus, esse licita.

2. Sed alia hic fit quaesito super colore, pro quo dicta inaurata paramenta metallica inservire queunt. Respondemus autem, pro iisdem inservire posse coloribus, pro quibus paramenta ex filis aureis contexta inserviunt. Cumque *paramenta ex auro contexta*, vi Decreti in *Syren.* d. d. 5 Dec. 1868 ad V, inservire possint, *praesertim in Ecclesiis pauperioribus*, pro coloribus albo, rubeo et viride, sequitur paramenta ex metallo inaurato pro iisdem tribus coloribus adhiberi posse. Haec quidem, salvo meliori iudicio.

BREVIORA RESPONSA

Pro. ' ono-aere. 1. Super Tabernaculo vetitum est ponere reliquias Sanctorum; sed crucem prohibitam non credimus, dummodo in medio altaris inter candelabra locum habeat, uti lex praecipit: opposita praxis reprobanda.

2. Inclinatio profunda post intonatum *Tantum ergo* agenda est ad verba *Veneremur cernui*, idque ex lege, quae, uti patet, optimae rationi respondet.

3. Sonitus campanulae tempore Missae, praeterquam ad *Sanctus* et ad Elevationem, tolerari potest ad *Domine non sum dignus*, atque ad eadem verba in communione extra Missam ex Decreto *Ord. Min. S. Franc. de Observ. d. d. 14 Maii 1856 ad XI.* Idem credimus teneri posse circa sonitum ad verba *Hanc igitur*, per quam fideles monentur de consecrationis, qui in proximo est, actu Missae solemniori: ita in pluribus Ecclesiis, etiam in Italia, fieriipsimet sumus testes. Denique idem habetur sonitus etiam in nonnullis Italiae, et peculiariter exterarum regionum Ecclesiis, ad verba *per ipsum, cum ipso etc.* et fortasse alii insequenti licet parvae, SS. Hostiae elevationi respondet: adeo ut etiam eiusmodi campanulae sonitus, ubi viget, tolerandum videatur.

4. Consuetudo ex qua Sacerdos aspergit populum aqua benedicta, gradiens per naves Ecclesiae, ubi viget servari potest ex Decreto *in una Sancti Pauli de Minesota* ad II, d. d. 22 Mart. 1862.

5. Organa, diebus festis, excipiendis exceptis, vi Caeremonialis Episcoporum, in Missis cantatis et Vesperis, adhiberi possunt: ita etiam in aliis rerum adi-

unctis adhiberi semper possunt in Ecclesiis et Oratoriis publicis, maxime in Benedictione. Neque ubi aliquid lex non prohibet, licet prohibere auctoritati privatae.

6. Nota laus « Dio sia benedetto » optime potest locum habere post datam cum Venerabili Sacramento benedictionem, atque etiam post privatas Missas, imo illius recitationi Leo Pp. XIII indulgentiam iam adnexam pro his casibus specialibus ampliavit.

CAEREMONIALE

PRO MISSA ET VESPERIS PONTIFICALIBUS AD FALDISTORIUM

(*Cont. V. n. 10, pag. 671*).

Pars Secunda

DE VESPERIS.

CAPUT II.

De Pluvialistis Cantoribus in Vesperis Pontificalibus ad Faldistorium.

Duo Presbyteri qui Cantorum officium in Vesperis ab Episcopo ad faldistorium celebratis exercere debent, una cum Assistentibus in Sacristia superpelliceum et pluviale induunt, adiuvantibus clericis, et, biretum in manibus gestantes, ante Episcopum veniunt primus ad dexteram primi Assistentis et alter ad sinistram alterius Assistentis, videlicet, omnes recta linea.

Reverentia Imagini praecipuae Sacristiae et Episcopo facta, incedentes post Assistentes, capite cooperto, ad Altare procedunt, habens primus Cantor alterum ad suam sinistram. In ingressu Ecclesiae caput denudant et pri-

mus, accepta a Caeremoniario aqua benedicta, eam alteri porrigit, ambo se signant et caput cooperiunt. Cum presbyterium ingrediuntur, denuo caput denudant et ad latera Assistentium accedentes, cum his ante medium Altaris in *plano* genuflectunt Cruci et, dum Assistentes ad faldistorium accedunt, ipsi, faciem ad invicem vertentes se salutant et « ad sedilia in plano chori disposita hinc inde contra Altare » pergunt (1) (videlicet primus Cantor in cornu Epistolae et alter in cornu Evangelii), ante quae, facie ad Altare versa, stantes, expectant Episcopum, quem venientem salutant. Cum Episcopus in faldistorio sederit et ipsi sedent, caput cooperiunt, ibique permanent usquedum Episcopus sacra paramenta sumpserit (2).

Ad nutum Caeremoniarii, Episcopo mitra per Assi-

---

(1) Cantores quoties ad sedendum pergunt, vel surgunt, ita se gerant, ut faciem ad invicem vertant.

(2) Si Episcopus, in casu de quo supra (Cap. I. Pars. II), in Sacristia paramenta capiat et deponat, Cantores, dum ipse sacris induitur vestibus, superpelliceum et pluviale assumunt. Episcopo parato, ante eum, in manibus biretum gestantes, veniunt, cui faciunt reverentiam una cum Assistentibus. Dein locum permutant, dum idem faciunt Assistentes, quo tempore Episcopus surgit. Tunc omnes, recta linea, inclinationem Imagini praecipuae Sacristiae faciunt et Cantores ante Episcopum et Assistentes incedentes, capite cooperto ad Altare procedunt.

In ingressu Ecclesiae, ut supra, se signant aqua benedicta. Cum presbyterium ingrediuntur, caput detegunt et, ad latera Assistentium ante iufimum Altaris gradum procedentes, in *plano* genuflectunt Cruci, Episcopum ad faldistorium comitantur, quem omnes simul salutant, et reliqua peragunt ut supra.

In fine, benedictione impertita, postquam Episcopus cum Assistentibus in planum descenderit, ibi genuflectunt Cruci, salutant chorum et, locum permutantes, eo ordine et modo quo venerant, in Sacristiam redeunt, ubi detecto capite, ad latera Assistentium, simul cum Episcopo reverentiam faciunt Imagini et, postquam Episcopus sederit, eum salutant et in loco, quo acceperant, deponunt pluviale et superpelliceum.

stentem imposita, detecto capite surgunt et accedentes in medium Altaris genuflectunt, ante Episcopum veniunt, cui, una cum Assistentibus, reverentiam faciunt, ibique retro Episcopum remanent usque ad intonationem primae Antiphonae, se signantes ad *Deus in adiutorium etc.* et caput inclinantes versus Crucem ad versiculum *Gloria Patri etc.* Cantorum primus, sicut ei a Caeremoniario monstrabitur, « expleto.... versiculo *Sicut erat in principio etc.* et *Alleluia* vel *Laus tibi, Domine, etc.* » accedens ad latus dexterum Episcopi, eum salutat et « praeintonat illi Antiphonam primi Psalmi », qua ab Episcopo repetita, denuo eum salutat et ad dexteram alterius Cantoris redit, cum quo ad medium Altaris ante infimum gradum accedit, et, intonato primo Psalmo, ambo genuflectunt Cruci et reverentia ad invicem facta, ut supra diximus, ad scabella accedunt, ubi sedent et caput cooperiunt. Et sic remanent sedentes usque ad Capitulum, nisi quatenus (si chorus adsit) pro intonatione Antiphonarum surgunt, ut mox dicetur. Cum dicitur versiculus *Gloria Patri etc.* in fine cuiuslibet Psalmi; ad *Sit nomen Domini benedictum,* si dicatur Psalmus *Laudate pueri*; ad nomina *Iesu,* vel *Mariae,* vel *Sancti,* cuius festum agitur, si forte in Antiphonis nominentur, caput detegant.

Circa finem primae Antiphonae, si adsit chorus, Cantores, detecto capite, surguut, accedunt in medium, genuflectunt Cruci et ante digniorem chori veniunt, cui, facta capitis inclinatione, praeintonant secundam Antiphonam (1). Qua repetita, iterum eum salutant, in medium redeunt, ubi, intonato secundo Psalmo, genuflectunt Cruci, et, reverentia ad invicem facta, pergunt ad sedendum, ut diximus.

Quod idem in fine cuiuslibet Psalmi observent, praeintonando aliis de choro « ceteras Antiphonas.... ab utraque parti chori per ordinem incipiendo a dignioribus ».

(1) Circa praeintonationem Antiphonarum, utrum, scilicet, haec peragenda sit a primo Cantore vel a singulis per vices, servetur laudabilis diversarum Ecclesiarum consuetudo.

Advertant autem quando transeunt ante Episcopum ut ei reverentiam faciant.

Expletis Psalmis, dum repetitur quinta Antiphona, Cantores, detecto capite, surgunt, accedunt ante medium Altaris, ubi se sistunt ad latera Assistentium, cum quibus, facta genuflexione Cruci, ante Episcopum veniunt, quem omnes simul salutant. Episcopo ad Altare converso, ad nutum Caeremoniarii, primus Cantor, eodem loco stans post Episcopum, cantat Capitulum. Quo finito, praeintonat Episcopo, modo ut supra, Hymnum, et facta ei reverentia, alteri Cantori se adiungit cum eoque ante medium, Altaris accedit, ambo genuflectunt Cruci, et, reverentia ad invicem facta, recedunt ad loca sua, ubi stantes, manibus iunctis, permanent, donec perficiatur Hymnus. Si dicatur Hymnus *Veni, Creator Spiritus* vel *Ave Maris Stella*, Cantores, ante medium Altaris procedentes, genuflectunt in infimo gradu per integram primam stropham; dein surgunt, genuflectunt Cruci et, ut supra, ante sedilia recedunt.

Hymno expleto, Cantores « accedentes ad medium chori ante Altare », in manibus biretum gestantes, « cantant simul versum voce altiori », genuflectunt Cruci, ante faldistorium pergunt et primus Cantor praeintonat Episcopo Antiphonam ad *Magnificat*, qua repetita, una cum altero in medio genuflectit Cruci et ad sedendum pergunt. Absoluta antiphona, antequam inchoetur Canticum, detecto capite, surgunt, et, facta in medio genuflexione, ante Episcopum veniunt, quo salutato, locum permutantes accedunt ad latera Assistentium, videlicet, primus Cantor ad dexteram primi Assistentis et alter ad sinistram alterius Assistentis. Ad intonationem Cantici *Magnificat*, una cum Episcopo et Assistentibus se signant et omnes, recta linea, ante medium Altaris accedunt, ibique Cruci genuflectunt in infimo gradu, et, reverentia ab utraque parte chori facta, locum permutant, videlicet primus Cantor ad dexteram alterius, ante Episcopum et Assistentes incedentes, procedunt ad Altare

SS.mi Sacramenti thurificandum, et caput cooperiunt postquam e presbyterio discesserint.

Cum ingrediuntur Sacellum, in quo SS.mum Sacramentum asservatur, caput detegunt et ad latera Assistentium una cum Episcopo genuflectunt in *plano*, ibique remanent stantes dum ab Episcopo thurificatur Altare. Advertant autem ut, thurificatis Cruce et Reliquiis, si adsint, faciem ad invicem vertant, quam ad Altare rursus convertunt statim thurificato Altari. Cum Episcopo et Assistentibus in *plano* genuflectunt et eodem ordine quo venerant, capite cooperto, ad Altare maius redeunt (1). Quod cum ingrediuntur, caput discooperiunt et ad latera Assistentium, salutato ab utraque parte choro, ante medium Altaris accedunt et cum Assistentibus in infimo gradu genuflectunt Cruci. Ibique stantes assistunt, iisdem caeremoniis, prout ad Altare Sacramenti, servatis, ad thurificationem Altaris maioris. Quo thurificato, cum Assistentibus denuo in infimo gradu genuflectunt et, salutato choro prius in parte Evangelii et postea in parte Epistolae, Episcopum comitantur ad faldistorium. Se sistunt ad latera Assistentium, facie ad Episcopum versa, quem salutant ante et post thurificationem. Tunc secundus Cantor, facta in medio genuflexione, ante suum sedile accedit, ibique stans, suo tempore, in manibus gestans biretum, accipit thurificationem a primo Cantore. Episcopo a primo Assistente thurificato, primus Cantor accipit thuribulum et pergit ad thurificandam eam partem chori ubi adest dignior, thurificans singulos duplici ductu et cum inclinatione ante et post, si Canonicos; alioquin, unico tantum ductu et unica simul omnibus facta inclinatione ante-

(1) Si thurificetur aliud Altare, ut iam in cap. I, p. II, diximus, eo modo se gerant Cantores quo dicemus de Altari maiori. Et transeuntes, si occurrat, ante Altare maius, tunc Cantores, ad latera Assistentium, capite detecto, facie versa ad Altare, una cum his genuflectunt, et, rediens primus ad alterius dexteram, ambo denuo caput cooperiunt.

quam primum thurificet et postquam ultimum thurificaverit. Deinde, facta in medio genuflexione, transit ad thurificandam alteram chori partem eodem ordine ac modo. Sic thurificatis omnibus Canonicis, vel quibuscumque qui in primo ordine sedeant, thurificat ceteros de choro, si adsint, prius ab eadem hac parte et postea ab altera. Deinde pergit post Episcopum, competenti distantia, ibique, duplici ductu pro singulis, cum inclinatione ante et post, thurificat Assistentes per ordinem, qui ad eum tunc convertuntur. Deinde vertens se ad alterum Cantorem, eum similiter duplici ductu thurificat, et, reddito thuribulo acolytho, qui eum comitatus est, redit *per breviorem* ad sedile suum, ubi, biretum in manibus tenens, thurificatur duplici ductu ab eodem acolytho, qui postea clericos inferiores et populum thurificat.

Ad versiculum *Gloria Patri etc.* ad *Magnificat* caput inclinant Cruci; ad *Sicut erat etc.* sedent et caput cooperiunt. Dum repetitur Antiphona Cantici, caput discooperiunt, surgunt, et, facta in medio genuflexione, ante Episcopum veniunt, quem una cum Assistentibus salutant. Ibi permanent usque ad conclusionem primae Orationis; ad *Iesum Christum* caput Cruci inclinant, et statim in medium Altaris accedunt, ibique stantes, si aliae Commemorationes faciendae sint, cantant versiculos competentes, et in fine, postquam Episcopus dixerit *Dominus vobiscum* et responsum fuerit a choro *Et cum Spiritu tuo*, cantant altiori voce et in tono competenti *Benedicamus Domino.*

Quo dicto, genuflexione facta, ante Episcopum veniunt, eum salutant et, ut diximus ad *Magnificat*, locum permutantes ad latera Assistentium accedunt, cum quibus et Episcopo, facta prius choro reverentia in cornu Epistolae et postea, cum in medio pervenerint antequam ad Altare se vertant, in cornu Evangelii, una cum Assistentibus genuflectunt Cruci in infimo gradu, ante quem stantes remanent usque ad *Benedicat vos*, tum genuflexi benedictionem accipiunt. Qua ab Episcopo impertita, sur-

gunt et cum Assistentibus genuflectunt iterum Cruci in infimo gradu, et choro prius in parte Evangelii et postea in parte Epistolae salutato, comitantur ad faldistorium Episcopum, cui ad latera Assistentium faciunt reverentiam. Dein in medium Altaris accedentes, genuflectunt Cruci et ad sedendum pergunt, dum Episcopus paramenta deponit. Episcopo sacris paramentis exuto, cum de faldistorio surgit, et ipsi, discooperto capite, surgunt eumque de Altari discedentem salutant.

Episcopo de Altari discesso, biretis in manibus gestantes, ad nutum Caeremonairii, ante Altare veniunt; se sistunt ad latera Assistentium et omnes simul Cruci genuflectunt in *plano* et chorum ab utraque parte salutant. Locum permutant et procedentes post Assistentes, ut venerant, de Altari discedunt, caput cooperientes postquam e presbyterio discesserint, redeunt in Sacristiam; ubi ad latera Assistentium, capite nudato, reverentiam faciunt Imagini et Episcopo et deponunt, adiuvantibus clericis, ubi acceperant, pluviale et superpelliceum (1).

(*Continuabitur*).

---

(1) Si in aliqua Ecclesia adsit consuetudo, ut in solemnioribus festis quatuor officium Cantorum peragant, in omnibus sequantur eadem, quae pro duobus statuimus. Advertant tantum ut primus et secundus dum pergunt ad Altare et redeunt, in casu quo Episcopus paramenta ad Altare capiat, procedant immediate post Assistentes; dum stant, recta linea, sive ante Episcopum sive ante Altare debent esse medii inter alios duos Cantores. Dum autem procedunt processionaliter cum Episcopo incedunt immediate post ultimos duos Cantores et ante Episcopum cum Assistentibus.

Advertant autem qui remanent sedentes, quod, dum alii duo surgunt vel redeunt pro intonatione Antiphonarum, eos salutare debeant, caput discooperientes.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Novembri propositae.

PROPOSITIO.

An Diaconus et Subdiaconus in Missa solemni, necnon Presbyteri assistentes in Vesperis, genuflectere teneantur, quotiescumque ad medium Altaris accedunt, ab eo recedunt, vel ante illud pertranseunt?

Quid de inferioribus Ministris, iisdem in casibus, et in Missa privata?

SOLUTIO.

Quamvis pacifica res non sit, quia Rubricae in multis silent, in pluribus deficiunt decreta, et auctores inter se non semper concordant, non tamen dubium est ut, *generaliter loquendo* singuli ex propositis Ministris genuflectere teneantur, quandocumque ad medium Altaris accedunt, ab eoque recedunt, vel ante illud directe pertranseunt. Sed ut magis adaequate et rectius respondeamus, nobis placet per partes rem declarare.

1. Pars.

Quaeritur imprimis an *Diaconus et Subdiaconus* in Missa solemni, necnon *Presbyteri assistentes* in Vesperis, genuflectere teneantur, quandocumque ad medium Altaris accedunt, ab eoque recedunt, vel ante illud transeunt. Ad quod respondeo distinguendo Missam et Vesperas, prout nempe solemniter celebrantur, vel ad Altare ubi non asservatur Eucharistia, vel ad Altare ubi reconditur Sacramentum, vel ad Altare ubi exponitur aut in Tabula residet SSmum, quia in uno non sicut in altero se gerunt Ministri Sacri et Presbyteri assistentes.

1. hypothesis : quando in Altari non asservatur Eucharistia

a). Ad Missam quod attinet, omnia in duabus regulis comprehendemus.

Prima Regula est, quod ante Consecrationem et post

Consummationem, Diaconus et Subdiaconus toties Cruci genuflectant, nisi tamen sint Canonici ecclesiae cathedralis vel exempti a consuetudine aut privilegio, quoties ex uno loco, qui non sit Altare accedunt ad eius medium, vel a medio Altaris pergunt ad alium locum, qui pariter non sit Altare, et de uno latere transeunt ad alterum.

Hoc deducimus principium: 1. ex Missali, Tit 4, n. 7, ubi infra incensationem Diaconus et Subdiaconus declarantur *semper* Cruci genuflectere debere, ad distinctionem Celebrantis, qui Cruci tantum caput inclinat, si in tabernaculo non sit Eucharistia, dum genuflectere debet, teste eodem titulo n. 4 et 6, si in eo recondatur Sacramentum; 2. ex Rituali, Tit. 6, cap. 3, n. 10, ubi item Diaconus Cruci genuflectere debet infra defunctorum absolutionem, quamvis Officians, tumulum circumeundo cum eo, faciat dumtaxat Cruci profundam inclinationem, dum e contra genuflecteret si transiturus esset ante Sacramentum; 3 ex Ritu servando, Tit. 6, n. 4, qui genuflexionem Subdiacono praescribit, sine distinctione Altaris Sacramenti vel non, quando vadit e medio Altaris ad locum ubi canitur Epistola, et redit inde ad medium Altaris; 4. ex Missali, Tit. 7, n. 9, qui item genuflexionem imperat Subdiacono, quin ulla notetur differentia inter Altare SSmi. et quodlibet aliud, quando e medio Altaris pergit ad Credentiam, et quando e Credentia, Calice interim deposito super Altare et Patena insuper accepta, iam ad medium ante Altare pervenit in suum locum retro post Celebrantem; 5. ex Caeremoniali Episcoporum, lib. 1, cap. 18, n. 3, ubi legimus quod « quoties ipsi Canonici transeunt directe ante Altare vel ante Episcopum, caput et humeros profunde inclinant; Beneficiati autem et caeteri de clero genuflectere debent transeundo tam ante Altare quam ante Episcopum », ita ut omnes — exceptis Canonicis ecclesiae cathedralis et aliis ex consuetudine aut privilegio, teste Gardellini in decreto 4595 ad 1, et 4827 ad 3 — genuflectere debeant, quoties directe ante Crucem Altaris maioris transeunt, eo magis, quod item ante Episcopum praescribitur: unde, si in Parasceve Domini genuflexio specialiter imperatur, intelligendum est de Canonicis tantum et aliis qui alio tempore non

genuflectunt; 6. ex decreto *in Strigonien.* 30 Aug. 1892 ad 12. Quum enim praescribatur a Caeremoniali Episcop. ut omnes, exceptis Canonicis ecclesiae cathedralis, unicum genuflectant Cruci Altaris maioris, quaestione deinceps exorta utrum haec genuflexio facienda sit etiam in aliis ecclesiis, seu capellis publicis, ubi in Altari maiori haud asservatur SS. Eucharistia, Congregatio Rituum respondit: *affirmative, sed in actu functionis tantum*, idest, quoties functionem liturgicam adimplent.

Quousque autem urgendum est hoc principium? Hic haerent aquae. Alii, ut Belgii et Galliae auctores, satis generaliter multiplicarunt nimis genuflexiones, sicut olim inclinationes, ante declarationem Congregationis, exigebant supra modum. Caeteri, et praesertim praxis romana, non ad genuflexionem obligant, nisi quando Rubricae illam praescribunt, aut quando Celebrans in pari casu caput Cruci inclinare teneretur. Quae ultima sententia magis nobis arridet, quia Ecclesia non semper hunc vel illum praecipit actum quia sic faciendum est, sed saepe sic faciendum est quia hunc modum praecipit Ecclesia, et ideo optandum foret ut pro genuflexionibus Congregatio faciat, quod 12 Nov. 1831, n. 4669 ad 28 fecit pro inclinationibus Interim putamus quod si, praeter casus in Rubricis expressos, consuetudo existeret saepius genuflectendi aut nullam reverentiam faciendi vel se tantum inclinandi, et generalis esset in una dioecesi, non nisi generaliter mutanda foret, consulta prius Congregatione aut saltem interveniente Episcopo, quia alias unus genuflecteret, alius se inclinaret, et alius se inclinaret, et alius nihil faceret: quod tunc confusio intolerabilis melius vocaretur quam reformatio.

His positis autumamus vi huius principii genuflectendum esse a Diacono et Subdiacono in Missa solemni: 1. quando e sacristia veniunt ante infimum Altaris gradum, ut ibi cum Celebrante faciant confessionem; 2. ante et post incensationem Crucis, et quoties infra Altaris incensationem de uno latere ad alterum transeunt ante Crucem; 3. quando sive ad *Gloria in excelsis*, sive ad *Credo*, sive ad Bursam in Altari asportandam, e medio Altaris pergunt ad scamnum, vel e scamno redeunt ad Altare, ut notat ipsa Rubrica Tit. 6, n. 7; 4. quando a

loco remotiore extra Altare veniunt in medio, et a medio proficiscuntur in locum ab Altari diversum, ut est locus Epistolae et Evangelii cantandorum, vel credentia ad quam e medio Altaris vadit Subdiaconus ante Offertorium, et a qua, Calice interim deposito super Altare et Patena accepta, redit in medium ante Altare post Celebrantem. Quod valet etiam pro Diacono, quando ab Altari vadit ad Chorum pro Incensatione dummodo per medium transeat, et insuper quando suum occupat locum post Celebrantem ut ipse incensetur, quia iam in his casibus transit a medio Altaris ad locum qui non est Altare et vice versa, vel ab uno latere pergit in alterum per medium transeundo; 5. in infimo gradu ante medium Altaris, quando transferentes, Subdiaconus Missale ad cornu Evangelii, Diaconus librum Evangeliorum super Altaris medium, transeunt ante Crucem; 6. ad *Te igitur* et ad *Quam Oblationem* Canonis, non a latere Celebrantis, ut praescribunt plures contra paxim romanam, sed quando Diaconus transit post Celebrantem in medio, teste Martinucci lib 2, cap. 4, n. 175 et 182, et post ablutiones, quando item transeunt, Subdiaconus ad cornu Evangelii, et Diaconus Missale deferens ad cornu Epistolae; 7. quando Subdiaconus, Calice in credentia reposito, occupare debet Altaris medium post Diaconum, et non sistere in cornu Epistolae ubi adhuc adesse potest Diaconus post Celebrantem, quia in ultimo casu non genuflectit, quatenus medium Altaris non attingit; 8. in fine Missae, quando ante ultimum gradum stant ad redeundum in sacristiam, et in hoc recessu sicut in primo accessu genuflectunt in plano, alias semper in suppedaneo vel in aliquo Altaris gradu.

Non e contra genuflectere debent: 1. in suppedaneo, ante thuris impositionem, quando Celebrans ad verba *quorum reliquiae* osculatur Altare; quia neque dici possunt ad medium Altaris accedere, cum illud ab initio Missae occupent, neque ab eo discessisse, quia gradus ascendendo tenent semper medium una cum Celebrante. Itaque praxis romana est ut item ad *Gloria in excelsis*, ad *Credo* et *Sanctus*, non genuflectant, quia iam in medio Altaris prius stantes, nequeunt deinceps

dici ad illud accedere, et ideo credimus cum Martinucci, lib. 2, cap. 4, a veritate alienam sententiam eorum, qui genuflexionem in his casibus declarant obligatoriam; 2. ante discessum a cornu Epistolae, quando ad *Kyrie* et *Graduale* vadunt in scamno ad sedendum, quia tunc non e medio Altaris proficiscuntur, ut aiunt Levavasseur, De Conny, Bourbon, contra Bauldry et Baldeschi, qui inclinationem tantum imperant, quia non recedunt a medio Altaris, dum Merati et Martinucci genuflexionem praescribunt, quia ab Altari discedunt in remotiorem locum; 3. ante descensum, pro cantu Evangelii, e suppedaneo in medium ante Altare, quia tum Diaconus tum Subdiaconus, eundo a suppedaneo ad imum Altaris, non idcirco Altare relinquunt, et itaque nonnisi cum aliis clericis genuflectere debent, quando a medio pergunt ad cantum Evangelii; 4. quando fertur Evangelium ad Celebrantem osculandum ita ut, osculato Evangelio, facta tantum Celebranti parva inclinatione, ut dicitur in lib. 1, cap. 10, n. 4, et lib. 2, cap. 8, n. 46, Caeremonialis Episcop., et nulla praevie Altari acta reverentia, descendat Subdiaconus in planum, et reddito Libro, expectet donec redeat Diaconus in medio Altaris retro post Celebrantem, ut cum eo genuflectat. Ita Levavasseur et Martinucci, qui magis videntur esse consentanei Caeremoniali, quam De Herdt et alii docentes genuflexionem a Subdiacono faciendam esse, antequam e suppedaneo descendat, et non in infimo gradu ante Altare; 4. post *Oremus* Offertorii, dicente Martinucci, lib. 2, cap. 4, n. 138, quod « Diaconus nullam faciens genuflexionem (1) ascen-« det ad dexteram eius (Celebrantis); Subdiaconus autem, « facta genuflexione, perget ad abacum »; 6. ad *Ite Missa est*, teste Piller in suo Manuali Rituum, Part. 2, sect. 2, art. 5, ubi legimus Diaconum, quin a medio recedat aut genuflectat, per suam dexteram se totaliter ad populum vertere

---

(1) Iuxta praxim Urbis Diaconus genuflectit, saltem ratione concomitantiae

Redactio.

et cantare *Ite Missa est.* Ratio est quia nec Rubrica nec Baldeschi hanc genuflexionem indicant, et reapse necessaria non est, cum Diaconus a loco suo non recedat, sed tantum severtat.

Quidquid sit, nemo est qui non videat quam optabilis foret inter varias sententias authentica Congregationis declaratio, ut cessent istae disputationes.

Secunda regula est, quod a Consecratione usque ad Consummationem, Diaconus et Subdiaconus, quotiescumque de uno latere Celebrantis ad alterum vadunt, genuflectere debeant, non per medium transeundo, sed utrobique unde recedunt et quo adveniunt, dum si e medio post Celebrantem pergunt ad latus Celebrantis, et vice versa de latere Celebrantis recedant in medium retro post illum, iam nonnisi unam faciunt genuflexionem, et quidem semper in loco a quo procedunt.

Hoc secundum generale principium quod, ad differentiam primae regulae, respicit Diaconos et Subdiaconos, etiamsi forent Canonici, eruitur: 1. ex Missali Tit. 9, n. 4, ubi legimus paulo ante *Pater Noster,* quod « Diaconus, facta Sacramento genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, et cum Celebrante adorat »; inibi enim notantur expresse duae genuflexiones, quae in pari casu praecipiuntur quoque a Baldeschi et Martinucci; 2. ex eodem Missali, ubi ad *Pater Noster* « Diaconus vadit retro post Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione ubi stat » (Tit. 9, n. 4), et ubi ad *dimitte nobis* idem « facta ibidem genuflexione, vadit ad dexteram Celebrantis (Tit. 10, n. 8), sicut et « Subdiaconus, facta itidem genuflexione, revertitur ad Altare », et paulo infra « deposito velo, genuflectit et descendit retro post Celebrantem »: quae omnia ad unam tantum obligant genuflexionem, et semper quidem in loco unde recedunt Ministri; 3. Post *Agnus Dei,* si pax detur, « Subdiaconus, facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem; Diaconus vero... accipit Pacem... postea Sacramento in Altari adorato, vertit se ad Subdiaconum... et similiter dat ei Pacem » (Tit. 10, n. 8): quae verba adhuc perfecte quadrant cum principio supra enuntiato.

Hinc genuflectere debent utrobique ad latus Celebrantis, et non in medio: 1. post Consecrationem Calicis, Diaconus quando a dextera Celebrantis transit ad sinistram, idem quando paulo ante *Pater Noster* a sinistra transit ad dexteram, et unus et alter, quando post *Agnus Dei*, Pace omittenda, mutant inter se loca, quae iuxta Celebrantem occupare debent; 2. quando post sumptionem Sanguinis, hostiae sunt in Tabula Altaris sive fidelibus distribuendae sive in Tabernaculo recondendae, et quando post *Indulgentiam*, item mutant loca ut, Celebrante ad fideles converso, Diaconus sit ad eius dexteram, et Subdiaconus ad sinistram, et non post reditum ad Altare, quia finita Communione, retro post Celebrantem loca mutarunt, ita ut semper incedant Diaconus ad dexteram, et Subdiaconus ad sinistram.

Genuflectunt e contra tantum in loco unde recedunt: 1. Diaconus Celebrante dicente *Pater Noster*, Diaconus et Subdiaconus ad *dimitte nobis debita nostra*; 2. quando ad *libera nos quaesumus* Subdiaconus revertitur retro post Celebrantem et ad *Pax Domini* redit ad sinistram Celebrantis; 3. quando idem, Pace danda, denuo vadit post Celebrantem, ubi Pacem expectat; 4. Diaconus, quando accepta Pace, illam ferre debet ad Subdiaconum, et Pace data, antequam ad Altare redeat (1) iuxta

(1) Genuflexio eodem in loco, ubi pacem Diaconus dedit Subdiacono, minus probanda videtur. 1. Quia optimum cui innititur, principium, difficilis est applicationis in casu. Principium est Diaconum, uti et Subdiaconum, genuflectere debere in loco e quo recedunt quando *e latere Celebrantis eunt in medium*; ergo Diaconus genuflectet in casu, uti optime ponitur, ante pacem dandam. Sed quomodo applicatur principium positum ad genuflexionem post pacem datam, cum Diaconus non sit ad latus Celebrantis? 2. Genuflexio ista neque fieret a latere Celebrantis, quia inde recessit: neque in medio facienda, quia esset contra principium positum, Ergo genuflexio ista fieret contra omnem consuetudinem, et non probatur.

Ergo multo magis congruit, ut Diaconus, qui vix a latere Celebrantis, genuflexione facta, recessit, ad latus alterum redeat, ibique iterum genuflectat iuxta romanam praxim. *Redactio.*

Celebrantem, ut docet De Herdt n. 328 contra plures, qui genuflexionem imperant in suppedaneo, quando iam ad latus Celebrantis est. Unde, ut iam diximus supra, optandum foret ad maiorem cultus unitatem ut ipsa Congregatio dirimat controversias in hac parte, eo magis quod pleraque sic facienda sunt quia ita vult Ecclesia.

b). Si ad Vesperas deveniamus, in his ad differentiam Missae Presbyteri assistentes, etiamsi Canonici non forent, genuflectere solum tenentur, quando accedentes ad medium Altaris, ab eoque recedentes, aut ante illud transeuntes, non coniunctim cum Celebrante incedunt, ita ut numquam genuflectant, si sint Canonici, et amplius, licet non Canonici, si una cum Officiante Crucem salutent.

Hoc clare sequitur: 1. ex Caeremoniali Episcop. lib. 1, cap. 18, n. 3, et ex S. R. C. decreto 26 Dec. 1875, n. 5637 ad 3, quae a genuflexione dispensant Canonicos cathedralis ecclesiae sive titulares sive honorarios, quando ius habent ad sua Insignia, quanquam ea non haberent *de facto*, 2. ex eodem Caeremoniali et eadem Congregatione, ubi legimus Presbyteros assistentes in Vesperis non eodem modo quo Canonicos a genuflexione dispensari, cum hi absolute dispensantur, illi vero tantum quando cum Officiante simultanee faciunt Cruci reverentiam. Siquidem iuxta Caeremoniale lib. 2, cap. 3, n. 3, « presbyteri parati cum canonico celebrante surgunt, profunde Altari caput humerosque inclinant. Si vero SS. Sacramentum in eo asservatur, denu genuflectunt » quia, si in casu Celebrans ipse genuflectere debet, quomodo exempti forent Assistentes. Item iuxta decretum 22 Dec. 1612, n. 467, Beneficiati et Clerici Basilicae S. Petri genuflectere debent « *nisi incedant eodem ordine et gradu cum Canonico parato Celebrante* » et datur ratio quia « alias dissonans videretur et discordans, quod unus vel duo genuflecterent, alius vero non ».

Hinc Cruci caput inclinant Presbyteri assistentes: 1. quando e Sacristia cum Celebrante accedunt ad Altare; 2. quando post *Aperi* ab Altari cum Celebrante recedunt in suas sedes; 3. quando ab Altari denuo venunt cum Celebrante pro benedictione incensi et infra totam incensationem Altaris; 4. quan-

do ad sedem Officiantis revertuntur cum eo, et officio finito, pergunt ad Altare ut simul in Sacristiam intrent. In aliis casibus, ubi sine Officiante incedunt, semper genuflectunt, nisi aliunde sint ipsi Canonici.

Quare ista differentia inter Vesperas et Missam, ubi Presbyteri assistentes saepissime caput Cruci inclinant, dum Diaconus et Subdiaconus semper et signanter ad incensationem, nisi sint Canonici, genuflectere debent? Ratio, ait Martinucci lib. 2, cap. 2, n. 11, afferri posset quod eadem ac Celebrans induti sunt veste in Vesperis, non autem in Missa, et incedentes eodem ordine et gradu, alii non debent aliter quam alii salutare.

2. *hypothesis: quando in Altare reconditur Sacramentum.*

a). Si agitur de Missa, praeter casus ubi Celebrans ipse genuflectit (nam Ministri semper genuflectunt cum Celebrante, praeterquam Subdiaconus tenens librum ad Evangelium, et Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt *Tit. 17, n. 4*), Diaconus et Subdiaconus, etiamsi hac vice Canonici forent, genuflectere tenentur, quandocumque accedunt ad medium Altaris, ab eo recedunt, vel ante illud transeunt, et quidem in sensu eodem quem supra exposuimus, agendo de genuflexione facienda ubi non asservatur Eucharistia.

Sufficiant in confirmatione huius principii revocare Tit. 2, n. 1; Tit. 2, n.2; Tit. 3, n. 1; Tit. 4, n. 6 etc, ubi Celebrans semper genuflectere dicitur, si in Altari fuerit Tarbernaculum SS. Sacramenti. Enimvero, ubi superior genuflectit, ibi non est ratio cur eius Ministri non genuflectant, eo magis quod res expresse indicatur Tit. 17, n. 4 supra citat., et itaque ne bis eadem repetamus, autumamus Diaconum et Subdiaconum, sine exceptione ulla, teneri in Missa ad easdem genuflexiones, quas facere debebant in prima hypothesi, si non essent Canonici; et nemo hic, quamquam Canonicus, dispensatur ab eis tam ante Consecrationem et post Consummationem, quam a Consecratione usque ad Consummationem. En sola differentia.

b). Si agitur de Vesperis, Presbyteri assistentes, etiamsi forent Canonici, semper genuflectere debent, quotiescumque accedunt ad medium Altaris, ab eo recedunt, vel ante illud pertranseunt.

Verba Caeremonialis iam citati sunt decretoria, et nullam patiuntur exceptionem: « Presbyteri parati cum Canonico Celebrante surgunt, profunde Altari caput et humeros inclinant. *Si vero SS. Sacramentum in eo asservetur, denuo genuflectant* » (lib. 2, cap. 3, n. 3), et ad *Magnificat*, Officians « vadit ad Altare cum dictis Presbyteris paratis ordine quo venerunt, et faciunt Altari profundam reverentiam, *aut si super eo sit SS. Sacramentum genuflectunt ante infimum gradum* ».

Hinc ad Vesperas, prorsus diversa est regula hic sequenda, et regula proposita in casu ubi Altare non continet Sacramentum. Insuper, ad differentiam Missae, ubi Diaconus et Subdiaconus infra eius celebrationem numquam in *pavimento* genuflectunt, excepto primo ingressu et ultimo recessu ab Altari, in Vesperis Presbyteri assistentes genuflectunt *in plano* vel *infimum gradum*, ut ait Caer. Episcop., quando etiam ad Altare pro incensatione veniunt ad *Magnificat*. Ratio huius distinctionis, ait Levavasseur, est quia post longam absentiam quinque Psalmorum ad sedem suam cantatorum fit proprie quasi novus ingressus ad Altare, dum in Missa vix absentes ab Altari, exspectant solum finem cantus, sive ad *Kyrie*, sive ad *Gloria*, sive ad *Prosam* et *Credo*, et ideo non fit proprie novus accessus ad Altare, sed est quasi parenthesis ubi, Missa in Altari continuanda, tantisper pausantur. Quidquid sit, inibi genuflectendum est semper, etiam quando in prima hypothesi erat caput tantum inclinandum.

3. hypothesis: quando in Altari SSmum apparet discoopertum.

a). In Missa, regula est ut Diaconus et Subdiaconus genuflectant: 1° quandocumque ad medium Altaris accedunt, ab eoque recedunt, sive e medio Altaris ad alterutrum latus eius vadunt aut ab alterutro latere Altaris in medium redeunt; 2. quotiescumque e medio retro post Celebrantem ubi stant, ad latus Celebrantis transeunt, vel a latere eius in medium re-

deunt; 3. quandocumque ante Altaris medium transeunt, nisi de uno latere Celebrantis eant ad alterum. In primo casu genuflexio fit in medio; in secundo fit in loco unde recedunt; in tertio, quando transeunt ab uno latere Celebrantis ad alterum, fit utrobique unde recedunt et quo perveniunt, numquam autem in medio post Celebrantem.

Hoc generale principium constat: 1. ex Rubr. gen. Missalis. Si enim « quando Sacramentum in Altari discoopertum apparet, (Sacerdos) genuflectit quoties ante illud transit in medio Altaris, et quandocumque in Ordine Missae et Ritu servando in celebratione Missae notatur, quod debeat genuflectere (Tit. 17, n. 2) », iam multa habemus certe declarata pro Ministris paratis, cum ex eodem Titulo, n. 4 « *ministri semper genuflectunt cum Celebrante,* praeter quam Subdiaconus tenens librum ad Evangelium. — »; 2. ex Rubrica in Coena Domini, ubi legimus: » Sacerdos autem genuflectit, quandocumque accedit vel recedit a medio Altaris, vel transit ante Sacramentum in Calice reservatum »: quippe si Sacerdos ita agere debet, quanto magis Ministri, qui sunt inferioris gradus, saltem eodem modo genuflectere tenentur; 3. ex Rubrica in Parasceve, ubi « Sacerdos incensat oblata et Altare more solito, genuflectens ante et post, et quandocumque transit ante Sacramentum »; 4. ex decreto 12 Nov. 1831, n. 4669 ad 51 et 53, ubi genuflexio utriusque genu imperatur tam in accessu quam in discessu ab Altari, et quidem *in plano,* iuxta Caeremoniale Episcop. lib I, cap, 12 n. 9. dicens: « Ante SS. Eucaristiam Episcopus genuflectens prius in plana terra... orabit, et surgens iterum genuflectet'ut prius; 5. ex Missali Tit. 9, n. 4, ubi ante parvam elevationem « Diaconus, facta Sacramento genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, et cum Celebrante adorat », et ex omnibus Rubricis, quas antea attulimus pro genuflexionibus a Consecratione usque ad Consummationem.

Hinc 1. advenientes cum Celebrante ad Altare ante infimum gradum, facta prius utroque genu reverentia Sacramento, alternatim recitant *Introibo,* et confessione facta, sine genuflexione ascendunt in suppedaneum, ubi cum Celebrante

genuflectunt uno genu; 2. Altari a Celebrante osculato, denuo genuflectunt cum Celebrante ante benedictionem incensi quia haec functio, sicut *Dominus vobiscum, Orate, fratres*, peragitur non in medio Altaris, sed humeris aliquantulum conversis ad cornu Evangelii, cum e contra, thure imposito, non se ad Altare revertentes, ipsi cum Celebrante statim sine genuflexione in supremum gradum descendunt, et in ora suppedanei tantum genuflectunt utroque (quod in pari casu servatur semper): ita De Herdt, Piller, Lerosey, Martinucci et plerique; 3. Regressi ad Altare, genuflectunt uno genu (quod iam praeter exceptionem praecedentem notatam semper locum obtinet), et fit de more incensatio, nisi excipians Crucem Altaris, quae non incensatur (S. R. C. 29 Nov. 1738, n. 40 8. ad 5) et Celebrantem, qui *in plano* incensatur, vel praecavere debet, si adsit consuetudo illum incensandi ut alias in suppedaneo, ne terga Sacramento vertat (S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 4669 ad 52); 4. ad *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Sanctus*, genuflectunt antequam ascendant ad latera Celebrantis, quin adveniendo iterent genuflexionem; et pariter genuflectunt antequam descendant a lateribus Celebrantis ad locum suum retro post Celebrantem, quamvis Sacerdos genuflectat statim pro *Dominus vobiscum*, teste Martinucci; 5. ad cantum Epistolae Subdiaconus se gerit ut de more; sed Diaconus ad cantum Evangelii, deferens librum super Altare, genuflectit et in infimo gradu et in suppedaneo, deinde finito a Celebrante Evangelio, non denuo genuflectit pro benedictione incensi, quia tunc nemo vel attingit medium Altare vel ab eo recedit, sed genuflectit tantum post benedictionem a Celebrante receptam et in suppedaneo et in infimo gradu antequam pergat ad locum Evangelii. Pro osculatione autem libri a Celebrante, res non aliter se habet quam in aliis Missis, et proinde in suppedaneo non genuflectit Subdiaconus, at in infimo gradu retro post Diaconum et Celebrantem, iuxta Martinucci et alios; 6. ad bursam super Altare asportandam, Diaconus genuflectit in infimo gradu et suppedaneo, et Corporali explicato, iterum genuflectit in suppedaneo, Subdiaconus vero ad translationem Calicis agit sicut in aliis Missis, quia nec in

medium venit nec a medio recedit; 7. ad incensum post Offertorium, benedictione eius peracta, Diaconus una cum Celebrante statim ad Altare reversus genuflectit, et incensatis Oblatis, iterum genuflectit, ut in Parasceve declarat Rubrica deinde fit incensatio Sacramenti, Altaris, et Celebrantis sicut ante Introitum, sed Diaconus et Subdiaconus, quando incensantur, genuflectunt ante et post eorum respectivam incensationem; 7. post *Sanctus*, ait Martinucci lib. 2, cap. 7, n. 40, usque ad Communionem perfectam, Ministri genuflexiones peragent a lateribus Celebrantis, praeterquam ad illa verba *Dimitte nobis debita nostra*; 8. post ablutiones faciunt genuflexiones in medio, quia iam non vadunt amplius ad latera Celebrantis, sed Subdiaconus componit Calicem et Diaconus stat ad Missale pro Communione. Ad *Ite Missa est*, Diaconus genuflectit ante et post, sicut Subdiaconus post, quia in uno et altero casu debent a medio recedere; 9. benedictione recepta neuter genuflectit, id est Diaconus qui in suo loco sistit, et Celebrans et Subdiaconus, qui a medio non recedunt pro lectione ultimi Evangelii facienda. In fine Missae vero genuflexio fit et in suppedaneo et utroque genu *in plano* ante infimum gradum.

Quibus dictis, superest ut recognoscatur inter varias disputationes quae videri possunt apud Merati Tit. 14, Cavalieri Tom. 4, cap. 8, §. 30, Gardell. in Clement. §. 30, De Herdt Levavasseur passim, nos humiliter dedisse sententiam nobis magis placentem, attento generali principio; sed quam melius esset, si Congregatio loqueretur.

b). Ad Vesperas, ne quaestionem in longum nimis trahamus, dicemus Presbyteros assistentes ad easdem regulas astringi quas in Missa, et notare sufficiet, quod tamen, ad differentiam Missae, genuflectere debeant utroque genu non solum in primo ingressu ad Altare et ultimo recessu, sed post *Aperi* ante Vesperas, et ad reditum ante Altare pro *Magnificat*, iuxta dicta in secunda hypothesi, id est in plano ante infimum gradum; in reliquis genuflectunt in suppedaneo vel ininfimo gradu, sicut in Missa ante SSmum expositum. Auctores in hac parte non discordant, quia Caeremoniale expressius loquitur.

2. *Pars.*

Ad secundum quaesitum: quid de inferioribus Ministris in iisdem casibus et in Missa privata, tria tantum breviter reponemus.

a). In Missa solemni sicut et in Vesperis, sive in Altari Eucharistia asservetur sive non, Ministri inferiores, Acolythi scilicet, Caeremoniarius, et Thuriferarius genuflectunt absque ullo dubio, quotiescumque ad medium Altaris accedunt, ab eo recedunt vel ante illud transeunt; si enim ad hoc tenentur generaliter Diaconus et Subdiaconus una simul cum Presbyteris assistentibus, a fortiori Ministri inferiores. Sola differentia est quod illi aliquando caput tantum inclinare debeant, et paucis casibus exceptis, genuflectant in gradibus Altaris, dum hi autem *semper* genuflectant, et quidem *in plano* quatenus non eiusdem sunt ordinis et gradus ac Superiores.

Hinc Caeremoniarius genuflectit cum omnibus Ministris ante infimum gradum in primo accessu Altaris; deinde quoties Celebrans e scamno redit ad Altare; quando Subdiaconum eomitatur ad cantum Epistolae; quando venit cum Acolythis in medio Altaris; antequam eatur ad locum Evangelii, et post eius cantum redit cum eis ante medium Altaris: quando ad finem Praefationis ab Altari vadit in Sacristiam et reducit Acolythos cum intorticiis ad Altare; quando pergit ante *Pater noster* ad sinistram Celebrantis, genuflectens ante ascensionem suam cum Diacono, et in suppedaneo deinde cum Celebrante; quando ad *Pax Domini* recedit a latere Celebrantis, et transit ante medium Altaris, et comitatur Subdiaconum ad Pacem dandam, et in fine Missae. — Non genuflectit e contra, quando ascendit cum Thuriferario per gradus laterales Epistolae ad varias benedictiones incensi, et quando vadit cum Diacono ad credentiam, quin deinde comitetur eum ad Altare pro Corporali explicando, teste Caeremoniali Episcop. lib. 1. cap. 9, n. 3, quia non progreditur usque ad medium Altaris.

Eadem regula sequenda est pro Thuriferario et Acolythis, qui dumtaxat genuflectere tenentur, quando in eodem casu si Diaconus et Subdiaconus essent, genuflectendum eis foret, nisi excipias Acolythos, ubi per cantum Evangelii nunquam ge-

nuflectere debent, et quando pariter ampullas vini et aquae ad Ministros superiores offerunt, quia non attingunt medium Altaris.

b). Ad altare ubi SSmum manet discoopertum, tam in Missa solemni quam in Vesperis. Ministri inferiores 1. genuflectere debent, quotiescumque ad hoc in praecedentibus dictum fuit eos teneri, et cum additamento illo, quod genuflexio fiat utroque genu ad primum accessum et ultimum ab Altari recessum, et quando ab Altari vadunt in Sacristiam ad preparandum thuribulum aut intorticia, vel a Sacristia redeunt ad Altare cum thuribulo vel intorticiis; in reliquis genuflectunt uno genu iuxta decretum 12 Nov. 1831, n. 4669 ad 51; 2. genuflectere debent Caeremoniarius et Thuriferarius in plano, antequam ascendant gradus laterales pro benedictione incensi ad Introitum, Evangelium, et Offertorium. Ita omnes auctores, ait Levavasseur Part. 7, n. 102; 3. modo generali, quandocumque in tali vel tali casu, si in eodem essent Diaconus et Subdiaconus, genuflectendum ab eis foret, et proinde omittenda est genuflexio ad oblationem Ampullarum vini et aquae, quia iam non accedunt ad medium Altaris nec ab eo recedunt; sed in Vesperis genuflectunt utroque genu in accessu et ultimo recessu, et quando a medio Altaris vadunt in Chorum et a Choro redeunt in medium Altaris, ad instar Ministrorum superiorum, qui ita se gerunt post *Aperi* antequam recedant in suam partem, et ad *Magnificat* quando Altare petunt pro benedictione incensi.

c). In Missa privata, Minister genuflectere debet, quandocumque ante medium Altaris transit, uti etiam in primo accessu et ultimo recessu, sine ulla exceptione, et quando, bireto in loco convenienti deposito, vadit ante medium transeundo, ad cornu Evangelii ubi faciet cum Celebrante Confessionem, vel accedit ad cornu Epistolae infra Graduale ut librum transferat, vel transferens librum ad cornu Evangelii per medium transit, et ita singulis vicibus per totam Missam (1).

(1) Inferes, probandam non esse consuetudinem inclinandi pro genuflectendo ante Altare; namque si Ministri aut superiores

Item ante et post **elevationem, ubi accedit** ad medium Altaris pro **genuflexione,** (2) **non autem ante et post** ministrationem Ampullarum, quia **in nullis Missis hoc praescribitur, nec in** medium **venit, nec a medio** recedit.

Pro quaestionis coronide, dicamus 1. has genuflexiones semper esse faciendas *in plano*; 2. non differre ad Altare ubi asservatur Eucharistia vel non, sed 3. ad Altare ubi manet SSmum discoopertum, primam et ultimam in initio et fine Missae fieri debere utroque genu, alias unico genu.

Non negamus in pluribus alios aliter quam nos sentire posse, sed sententiam quam defendimus, humiliter subiciimus ut magis conformem praxi romanae et Rubricis, parati Congregationi obedire in omnibus, si rem aliter definiat.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Romana.
Curè de Lannes (Diocèse de Langres).

---

aut inferiores in solemni, et hi etiam in cantata et lecta Missa tenentur genuflectere, vere non datur ratio Ministrum inferiorem ab hac genuflexione dispensandi in privata. Inclinatio enim fit per privilegium, quo non gaudet Minister inferior; ergo.

(2) Binam hanc genuflexionem probare non possumus, quia nulla est clerico necessitas, imo nec congruit, ut pergat pro genuflexione ad medium Altaris; sed tantum ascendit superiorem gradum, ut planetam sustineat, et postea, quin item in medium eat, redit in locum suum.

Redactio.

QUAESTIO SOLVENDA

pro mense Ianuario 1898.

Sacerdos Missam agens pro solemni post illam Benedictione impertienda populo, Hostiam alteram maiorem super altari extra Corporale positam consecrare obliviscitur. Quaeritur: 1. Quid de dicta Hostia iudicandum et agendum? 2. Quid facere debeat Sacerdos in casu?

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta *Patriarch. Antioch., Vicesgerens.*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph, in Vico a S. Prisca, 8. (*in Col. Aventino*)

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE
SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI

XII.

Civitas quaedam die 12 Octobris recolit festum quoddam sub ritu dup. maiori cum feriatione. Porro iuxta Decreta, festa localia, quae cum feriatione celebrantur, et ipsi Regulares celebrare tenentur. Iam nunc in illa civitate tres sunt diversae Regularium Communitates: quarum prima, Capuccinorum, in proprio calendario dictum festum non habet; imo eadem die celebrat festum S. Seraphini sub ritu dup. II cl.: alia, Benedictinorum, habet quidem, sed ritu semiduplici: tertia, Carmelitarum excalceatorum, idem pariter festum celebrat, sed sub ritu superiori, nempe II cl. cum toto officio proprio. In civitate vero festum agitur cum officio de communi, exceptis lectionibus II noct. et Missa, quae propria sunt. Hinc variae exoriuntur quaestiones, seu circa ritum quo Regulares praedictum festum celebrare debeant, seu circa qualitatem officii ab iisdem recitandi, seu circa modum eiusdem officii disponendi, quod attinet Benedictinos, qui, uti omnes norunt, aliam a Romani officii formam habent. *Quaeritur:*

1. *Ad quae festa localia Regulares teneantur, et quibus de causis?*
2. *Quid Fratres Capulati agere in casu debeant?*
3. *Quid Benedictini?*
4. *Quid Carmelitae excalceati?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. D. Ioannis Ferrari, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam die 7 Iulii 1897; acta Epitoma per R.mum Dom. Chalcedonium Mancini e C. M.

I. Inquiritur in parte prima huius quaesiti, ad quae festa localia Regulares teneantur. Regulares, sint vel non Ordinario loci subiecti, utantur vel non Breviario Romano, tenentur: 1. Ad omnia festa celebranda, seu Officia peculiaria proprii Ordinis. 2. Ad Officia Titularis et Dedicationis propriae Ecclesiae. 3. Ad alia Officia, quae ratione Corporis seu insignis Reliquiae, vel ratione specialis concessionis, aut legitimae consuetudinis recitari solent in Ecclesiis suae residentiae. (*V. Decr. 3. Iunii 1682*). 4. Ad Officium Patroni principalis loci in quo morantur, et Patroni item principalis, si adest, Regni vel Provinciae. 5. Ad Officia Dedicationis et Titularis Ecclesiae Cathedralis, si in Civitate episcopali sedem habent. 6. Tandem ad Officia festorum de praecepto quoad forum in loco in quo inhabitant, ex Decreto S. R. C. diei 28 Aprilis 1866,

Decretum hoc datum fuit in *Patavina* ad IV. huiusque est tenoris: « An (Regulares teneantur) ad Officio festorum Dioecesis, de praecepto quoad forum ? » Et Sacra Congregatio respondit : « Affirmative, et dentur Decreta ». Haec porro sunt nunc Congregationis *Clericor. excalc Ss. Crucis et Pass. D. N. I. C.* d. d. 26 Martii 1859, aliud *Einsidlen* ad dubium 5 ad Tit. X. de translatione festorum, d. d. 5 Maii 1736.

Ad alia Officia vel festa recolenda Regulares non tenentur, imo nec celebrare possunt, nisi adsit immemorabilis consuetudo, vel peculiare Apostolicae Sedis Indultum, vel Ordinis statutum ab apostolica auctoritate approbatum.

Quoad ritum, haec notanda sunt: festa Titularis et Dedicationis propriae Ecclesiae, iuxta generalia Decreta Regulares celebrare debent sub ritu duplici primae classis cum octava; festa Titularis Ecclesiae Cathedralis et Patroni Civitatis seu loci sub ritu pariter duplici primae classis, sed sine octava; festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis sub ritu duplici secundae classis et sine octava; festum ratione insignis Reliquiae, sub ritu duplicis minoris tantum, nisi ex indulto potiori gaudeant privilegio.

Cetera omnia festa celebrabunt prout in Calendario adnotatur sive proprio, pro festis et officiis Ordinis, sive dioecesano pro festis, quae feriatione gaudent.

Secundo inquiritur quibus de causis ad festa quaedam localia Regulares teneantur. Ad quaestionis dilucidationem, liceat quasdam liturgicas observationes praeponere. Divinum officium, quod recitationem Breviarii nec non S. Sacrificii celebrationem complectitur, a S. Pio V, ad tollendam varietatem orandi, sub unica formula redactum fuit, data Constitutione « Quod a nobis », anno 1568; sed declaravit praefatus Pontifex, non esse suae intentionis abolere illa Breviaria, quae ex institutione, vel legitima consuetudine ducentos annos superarent. Unde Regulares Ordines vetustiores, ex tali Pontificis privilegio, retinere potuerunt antiquas divini officii formulas. Sixtus V autem inter cetera Regularium privilegia, et illud confirmavit, re-

tinendi nempe proprii Ordinis Breviarium. Quoad Calendarium vero, a dioecesano exempti fuere, verumtamen ab omnibus omnino festis eiusdem dispensari non potuerunt. Patronus, maxime si de principali agatur, semper afficit locum. Urbanus Pp. VIII, regulas indicens circa Patronorum electionem, voluit, ut praeter devotionem, aliae quoque concurrerent rationes convenientiae inter Sanctum et locum pro quo eligeretur, uti v. gr. si fuerit illius Civitatis Episcopus, si moratus diu ibi fuerit, si ibi natalem seu extremum diem obierit, si in illum populum specialis protectionis signa coelitus ostenderit et similia. Hinc sequitur, quod si Regulares in illo loco degentes sese a communi more et exultatione abstinerent, cum populus Ecclesiam et divina officia frequentat in honorem Sancti, cui tam addictus se sentit, causam praebere facillime possent scandali et indignationis. Huc accedit, quod, cum praecipuus loci Patronus recolendus sit sub praecepto etiam audiendi Sacrum, fideles Regularium Ecclesiam adeuntes fraudati quodammodo manerent, dum S. Sacrificio adstantes honorare intenderent suum Patronum, de quo tamen nulla inibi memoria fieret. Valde ergo opportune his provisum fuit.

Quod autem respicit obligationem Regularium celebrandi festa Titularis et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Dioecesis intra fines Civitatis Episcopalis si in ipsa morantur, ex eo procedere dicenda est, quod Regulares ipsi recognoscere debeant illius Ecclesiae dignitatem et supereminentiam prae ceteris omnibus Dioecesis, veluti matris et Capitis aliarum. Et quia pluribus aliis festis et Officiis particularibus, uniformitatis causa cum toto Ordine, detinentur, liturgica

disciplina eos non prohibuit ab integritate cum respectivo corpore, ideoque ad illa tantum festa adegit, quae potissima sunt in Cathedrali, Tituli nempe et Dedicationis eiusdem. Huc accedit quod fideles etiam ad Templa Regularium confluentes illis diebus, fraudari non debeant exhibitione rationabilis obsequii in Sanctos Titulares vel in ipsam Ecclesiam Cathedralem. Sed et quoad ritum aliquam patiuntur praedicta festa differentiam, quia Dedicatio Cathedralis sub ritu tantum duplici secundae classis et sine octava a Regularibus colenda est, et illius Titularis sub ritu duplici primae classis, sed pariter absque octava.

Per se demum patet, qua de causa Regulares ad Officia seu festa Titularis et Dedicationis Ecclesiae propriae Conventus teneantur. Cum agatur de lege universali, ex qua quicumque stricte addicti sunt alicuius Ecclesiae servitio, de praecipuis illius festis, quae sunt nimirum Titulus et Dedicatio, si sit consecrata, memoriam facere debent sub ritu duplici primae classis et cum octava, absque ulla distinctione, sint nempe saeculares sint Regulares, constituant Capitulum aut communitatem vel non, legitime sequitur quod ad eam observandam etiam Regulares teneantur, sunt enim in casu stricte addicti illius Ecclesiae servitio.

II. Nunc videamus quid Fratres Capulati agere in casu debeant. Civitas N. die 12 Octobris recolit festum quoddam sub ritu duplici maiori cum feriatione. Porro iuxta Decreta, uti superius vidimus, festa localia, quae cum feriatione celebrantur, et ipsi Regulares celebrare tenentur. Iam nunc Religiosa Communitas Capuccinorum, in proprio Calendario dictum festum non habet: imo eadem die celebrat festum S.

Seraphini sub ritu duplici secundae classis. Superius diximus Regulares teneri ad Officia, quae sub duplici praecepto recoluntur in loco, sed non sumus perscrutati, sub quibusnam conditionibus. Nunc ergo opus est Decreta, quae citavimus, expendere, in quibus casus nostri resolutionem inveniemus. Primum, quod adduximus, nullam clausulam affert; sed ad alia se refert, alterum citat tertium, quod limitationem ponit: « Quando occurrit festum aliquod in Dioecesi, quod sit de praecepto quoad forum, Regulares debent de eo Officium facere; nisi apud ipsos occurrat eadem die aliud festum, quod sit eiusdem classis, ritus et maioris dignitatis ». Quid vero dicendum, si agatur de ritu et classe potioribus? A fortiori deducere necesse est et hunc casum limitationem ponere. Unde recte agunt Fratres Capulati in casu die 12 Octobris festum celebrantes S. Seraphini, eo quod festum locale, quamvis de praecepto, ritu gaudet duplici maiori, festum vero Religionis duplici secundae classis.

III. Quid Benedictini agere debent, cum in proprio Calendario habeant festum, quod in Civitate sub duplici praecepto recolitur, sed ritu inferiori, nempe semiduplici? Facilis responsio: cum sese in casu conformare debeant Civitati in praefato festo celebrando, eumdem ritum sequentur, quem ipsa Civitas illi tribuit; namque si, nisi illud haberent, sumere cogerentur, cum aliquo proprii Calendarii incommodo, valde facilius poterunt ritum elevare ut uniformiter cum Civitate agant.

IV. Carmelitarum excalceatorum Communitas, in casu, idem pariter festum celebrat, sed sub ritu superiori, nempe secundae classis et cum toto Officio

proprio: quid illis agendum? Quoad ritum, dicimus eos nullimode opponi spiritui Decretorum, proprium Calendarium sequentes, quia reipsa Officium festi de praecepto in loco faciunt, nec aliquid inconveniens accideret si in loco transferendum esset, ob occurrens aliud festum, quia festivitas exterior cum praecepto in foro semper maneret immobilis illa die, et si Fratres Carmelitae ad translationem non cogerentur, nullum detrimentum festi inducerent, sed potius emolumentum. Quoad vero Officium, quod nempe totum proprium habent, non esse illis recedendum autumamus; ratio est, quia finem legis aeque consequuntur, et differentia, quae exoritur, ad maius ornamentum festi attinet, magis enim Sanctum honorant, potiori utentes indulto. Nec obstare dicendum est Decretum in *Ianuen.* d. d. 15 Septembris 1668, quo, pro Patribus Ordinis Minorum Observantium illius Reformatae Provinciae, ad octavum dubium: « Se, nel far noi l' Uffizio dei Santi dei Vescovati permessoci dalle nostre Costituzioni confermate dalla Santa Sede Apostolica, dobbiamo recitarne quelle lezioni proprie, che dicono tutti gli altri, della Diocesi, come concesse da codesta Eñia e Sagra Congregazione de' Riti.... ovvero diversificare dalle altre Chiese, e Religioni, con recitarle del comune? », responsum fuit: « Eaedem, quae recitantur ab aliis, approbatae tamen a Sede Apostolica, dummodo commode haberi poterunt »; etenim hic agitur de recitandis lectionibus propriis loci, quia deficiunt in Breviario seu proprio Ordinis aliae propriae, et sumendae fuissent de Communi; in casu autem nostro, propriae lectiones inveniuntur apud Ordinem Regularem, unde iam satis finis legis obtinetur agendi

nimirum de Sancto illius loci, quinimo magis adhuc honoratur, totum enim Officium proprium est, dum illud Civitatis est de Communi, exceptis lectionibus secundi Nocturni et Missa.

Demum circa modum Officii disponendi, quod attinet Benedictinos, qui, uti omnes norunt, aliam a Romani Officii formam habent, dicendum, Decretum pro uniformitate celebrationis illius festi non posse extendi ad formam officii, quae integra pro quibuscumque, legitime alia utentibus, remanere debet, sed intelligi tantum de uniformitate celebrationis festi. Unde praedicti Monachi Lectiones et alia propria illius festi aptabunt, uti fas est, ad proprii Instituti formam.

QUAESTIONES ANNI 1895-96

XII.

1. Quibusnam, iure vel privilegio, competat Presbyter assistens in Missa, et quemnam praeseferat sensum Rubrica Missalis de Ritu celebr. Miss. *Tit. VII, n. 11?*

2. Quomodo, recto sensu liturgico Decretisque perpensis, considerandus sit Presbyter assistens in Missa non pontificali, an videlicet ut Cappellanus, minus dignus Diacono et Subdiacono, an ut vere Presbyter assistens, illis dignior?

3. Quid de diversitate caeremoniarum rituumque ut in casu, et utri caeremoniarum magistro ratio faveat?

CONCLUSIONES

Ex dissertatione R. D. P. Cucchi, habita die 8 Iul. 1896, Epitomatore R.mo P. A. Baravelli.

I. Ex iure proprio, Presbyter assistens solis competit Episcopis in officiis Pontificalibus, *dum actu Pontificalia exercent.*

Presbyter assistens in casu eligitur dignior e Capitulo aut e Clero Ecclesiae. In Episcopi assistentia ad solemnia officia datur item Presbyter assistens, qui primus erit Canonicus post Dignitates. Ad Missam Episcopi privatam valde conveniens est, ut dentur duo vel tres Cappellani, ipsi assistentes ac ministrantes, Sacerdotes vel forte ministri in sacris, unus saltem Diaconus, quippe cui datur calicem cooperire et discooperire.

Ex privilegio, Presbyter assistens tribuitur etiam Praelatis Episcopo inferioribus, uti ex. gr. Abbatibus mitratis, inter reliquos Praelatos superioribus, iuxta Constitutionem praesertim Alexandri VII.

Negatur proinde absolute aliis quibuslibet: Ita ex Constitutione data pro Protonotariis Apostolicis *ad instar a* S. M. Pio Pp. IX, quae incipit: *Apostolicae Sedis officium*, die 29 Augusti 1872, ubi, n. XV, legitur: *non Presbytero assistente utantur*; et n. XXII: « Quae supra .... decreta sunt a ceteris etiam Romanae Curiae Praelatis, quibus ex Constitutionibus

aliisve specialibus Indultis Apostolicis privilegium Pontificalium competat erunt adamussim servanda ». Et ita pluries statuit confirmavitque S. R. Congregatio.

Haec tamen quandoque in casibus particularibus concessit Canonicis, praesertim Dignitatibus, usum Presbyteri assistentis, sed tantum ex singulari privilegio, ac fere semper pro immemoriali consuetudine probata, vim privilegii habente, quatenus legitimo indulto ab origine inniti putabatur, vel ex interpretatione Rubricae.

Exceptiones vero eiusmodi, haud profecto universales, legem confirmare videntur, quae saepe a S. R. Congne in suo robore retenta est, prouti patet ex responso diei 28 Iul. 1876 in *Iacen.* ad Dubium III: « An in eadem Dioecesi tolerari queat ut passim a quocumque fere Sacerdote solemniter celebrante, Presbyter assistens cum pluviali adhibeatur? » Ad quod S. C. rescripsit: « Negative et abusum esse eliminandum ».

Exceptionem constituit assistentia Presbyteri pluviali parati ad primam Missam Neosacerdotis, solemniter celebratam, ab ipsa S. R. Congne approbata sub die 1. Decemb. 1882, sed cum limitatione, ut infra dicemus.

Denique verba Rubricae Gen. Missalis, Tit. VII, n. 11, *nisi alius Sacerdos assistat*, pauca quidem, generalia ac nimis vaga videntur, ut illis inniti valeat certa legis aut Rubricae interpretatio ad rem; tacent enim *quis* assistat, et *quibus* praerogativis praeditus, et ad *quaenam* officia, et *qua* ratione assistat. Unde concludi posse videtur, ibi, et Tit. VIII, n. 8, sermonem esse de casibus in quibus Sacerdos illa assi-

stentia, prout *privilegiatus* uti potest, ita ut interpretatio verborum, *nisi alius Sacerdos assistat*, haec sit: « Nisi Celebrans, quamvis ei non competat usus Pontificalium, iuxta Constit. Alexandri VII, tamen ex indulto aut legitima consuetudine utatur alio Sacerdote assistente cum pluviali ». Ita, salvo meliori iudicio, si quod efformari contingat ex Decreto in *Vicentina* d. d. 1. Dec. 1882 ad 1., ubi, in expositione dubii, de illo assistente praedicatur debere assistere cum superpelliceo tantum, et in responsione declaratur ex consuetudine immemorabili, posse cum pluviali. De quo tamen Decr. nos eamdem, quam supra de Rubrica, interpretationem facimus.

Duae oppositae in specie sententiae pluribus argumentis innituntur, pluribus nihilominus difficultatibus sunt obnoxiae. 1. Si Presbyter assistens considerandus sit ut proprie talis et dignior Diacono et Subdiacono, nulla amplius aderit reservatio seu exceptio pro Presbyteri assistentis usu, ac proinde quod plerisque non Episcopis lex interdicit, dabitur eis ex indulto sive ex consuetudine admissa: negabitur de iure, de facto tribuetur. 2. Recentiores praeclarissimae Constitutiones Romanorum Pontificum Pii VII ac Pii IX perperam datae viderentur, finem suum minime assecuturae. 3. Restrictiones vel limitationes adiectae a S. R. Congñe, per Decreta aliquando indulgent, ut Praelato vel Sacerdoti non Episcopo detur in solemnioribus officiis Presbyter assistens, satis ostendunt mentem S. C. haud fuisse, ut in casu, huiusmodi assistentia aequiparetur assistentiae Presbyteri datae in Pontificalibus Episcoporum. Exemplo sit Decretum in *Vicentina* d. d. 1. Decemb. 1882, quo ad dubium: « An

Presbyter assistens cum pluviali Canonico solemniter celebranti se gerere possit more Presbyteri assistentis Episcopo solemniter celebranti, an vero debeat assistere dumtaxat ad librum? », respondit: « Negative ad primam partem; ad secundam partem, ubi sit consuetudo immemorabilis, posse cum pluviali assistere ad librum ». Sed praeterquamquod limitatio hic ponitur quoad caeremonias ceteras proprias Assistentis Episcopo, limitatur etiam pluvialis usus; et sane dicitur: *ubi sit consuetudo immemorabilis*, illud posse adhiberi; etenim, si non adsit talis consuetudo, agendum illi ut mero Cappellano, absque pluviali et cum superpelliceo tantum, prout Rubricae Missalis permittunt. Ergo non videtur considerandus plus quam simplex Cappellanus, iuxta priorem sententiam. Id etiam confirmari videtur ab eodem Decreto, ad 2. partem, quae assistentiam respicit ad primam Missam simplicis Sacerdotis. Respondit sane S. eadem Cong̃tio, Presbyterum assistentem cum pluviali *tolerari posse, dummodo assistat tantum ad librum*; tolerat igitur quasi exceptionem, non probat quasi legem, et praecise sub conditione, ne aliud agat assistens, nisi *assistentiam ad librum*. Ac re quidem vera, si iste aliquid magis insigne praestiterit, veluti *Patrinus* aut *Doctor* Neocelebrantis praestabit quasi ex necessitate, quia et ipse Sacerdos est, non ex officio assistentis proprio. At, haec innituntur magis literae resolutionum S. Cong̃nis quam ipsarum spiritui, ac recto sensui liturgico. Decreta reipsa nil aliud voluerunt, nisi actiones ipsius Assistentis limitare: ut non videatur Assistens, qualis datur pro Episcopis, nullimode vero eius dignitatem minuere. Rectus sensus vero omnino requi-

rit, ut cum ipse Sacerdos sit et reipsa ut talis administret, non sit considerandus inferior Diacono et Subdiacono. Ergo concludendum est, talem Assistentem considerandum esse ad instar Presbyteri assistentis in Pontificalibus, ut dignior Diacono et Subdiacono. Hi enim tantum ministrant, ille vero sacrae actioni invigilat eamque dirigit; ex eo enim quod ad librum attendere debet, hoc praecise deducitur, quod nempe, ut ibi indicatur, omnia secundum ordinem fiant. Officium huiusmodi Assistentis extra Episcopi Pontificalia probatur quale clar. Gavantus describit in Caeremoniali Cler. Reg. S. Pauli, ubi assignatur Assistens Praeposito Generali in Missa solemni; qui non dicitur proprie Assistens, sed aliqualem vicem gerens *Assistentis*, stans *ad librum*. Ac reapse nihil fere aliud ipsi attribuitur, nisi circa librum, pro cuius lectione praeindicanda ac veluti dirigenda, nunquam deserit Celebrantis latus. De cetero non ipse thurificat Celebrantem; thurificatur vero ipsemet a Diacono ante Subdiaconum: pacem non recipit a Celebrante immediate, verum a Subdiacono, qui prius dederat Clero in Choro; sedet, quando assidendum sit, non prope Celebrantem, sed super simplici scamno ipsi parato, facie versa ad Altare, etc. Concludit auctor: « Neque ideo ministris proprie inferior probatur; namque, nedum ipse Sacerdos esse debet, sed professione Senior, ideoque praecedentia pollens super Diaconum atque Subdiaconum ». Quod cum nostra sententia apprime concordat.

III. Dionysius, in casu, in altera Missa, superpelliceo indutus, ante Subdiaconum in processione ad Altare procedit, dum thus exhibetur Altari, pluviale induit. Hoc novum est, quod nempe aliquis ex Mini-

stris seu assistentibus, sacra actione iam inchoata paramenta assumat, arbitrarium et indecorum. Sed neque probandum quod in altera Missa peregit, quia stolam sub pluviale adhibere nequibat, neque ad dexteram Celebrantis procedere; primum, quia adsunt Decreta in contrarium, alterum quia Celebrans est ipso dignior in casu ideoque dexteram assumere debet. Neque dicas Assistentem dexteram tenere, eo quod Diaconus procedat a sinistris, Celebrante medio inter eos, quia id esset contra Rubricas, quae iubent ut Sacri Ministri procedant unus post alium, non enim agitur de Missa Pontificali.

In prima Missa thus a thuriferario recepit post Ministros. Id profecto fuit contra illius dignitatem, iam enim vidimus superiorem debuisse considerari Ministris ipsis. Unde bene actum est in secunda Missa, in qua thus statim post Celebrantem a Diacono recepit.

Quoad osculum pacis, iuxta Gavantum, ut superius vidimus, bene se gessit primus Caeremoniarius; sed videtur in hac praxi quaedam ordinis inversio, unde praeferendum esset, si Presbyter assistens pacem a Celebrante recipiat, ut alter Caeremoniarius praecepit; sed neque probandum quod ipse Celebrans singulis Ministris pacem immediate donet, prout faciendum est in Missa Pontificali.

Quoad demum genuflexionem ad benedictionem, dicendum, Dionysium sese conformare debuisse aliis Ministris, ita ut, si illi privilegio ditati fuissent non genuflectendi, ad instar Praelatorum, et ipse genuflectere non debuisset.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Bono-aere*. **De modo exponendi Sacramentum.** In functione, quae dicitur « Benedictio » hunc apud nos sequimur agendi modum. Praegrande habetur Tabernaculum, uti propemodum Romae in Basilica S. Mariae Maioris: intra illud ingens circuit cylindrus duos habens loculos, in quorum altero extat statua, in altero Ostensorium cum Sacramento. Paulo ante functionem vir laicus pergit retro altare, cylindrum vertit, et dum statua absconditur, SS̃mum Sacramentum apparet. Sacerdos Officium agens illi thus adhibet, canitur aliqua laus in eiusdem Sacramenti honorem ac deinde *Tantum ergo*. Orationi *Deus qui nobis* additur altera de B. Virgine: Sacerdos iterum post orationem, thus Sacramento adhibet, et laicus vertit denuo cylindrum, unde fit ut abscondatur Sacramentum, iterumque statua appareat. Ita tota functio absolvitur: quid iuris?

Resp. Dictus modus exponendi SS̃mum Sacramentum dignus est ut reprobetur atque eliminetur. 1. Quia Tabernaculum est locus soli Eucharistiae recondendae destinatus. In eo proinde praeter Eucharistiam nil aliud esse debet aut potest inclusum, non imago ulla, non statua, sit sanctorum, sit Deiparae, sit etiam ipsius Christi. Id exigit reverentia in maximum Sacramentorum, in quo sub panis speciebus continetur vere, realiter et substantialiter Christus totus. Hinc Tabernaculum ab omni alia re vacuum esse lex praescribit Ritualis Romani (*Tit. IV, cap. 2 n. 6*). Neque sacrorum oleorum vasa, neque reliquias qua-

scumque, *neque aliquid aliud* recondere in eo licet. iuxta legem a S. C. Episc. et Regul. confirmatam *(3 Mai 1693)*. Hoc quidem de loco, ubi SS. Sacramentum recondi debet. Quid autem iudicandum de Tabernaculo in casu, quod et pro throno adhibetur, ut Eucharistia solemniter exponatur adoranda? Argumentum mirum in modum crescere nemo non videt: adeo ut statua, de qua in casu, sit prorsus extra locum sibi debitum, et una cum Ostensorio, quamvis aliqua divisione ab illo separata, stare nec possit nec debeat.

2. Modus, ipse quo Sacramentum fidelium adorationi exponitur, et ipse reprobationem meretur, et sustineri non potest. Iam artifex quidam exquisierat a S. R. Tribunali, utrum admitti posset usus cuiusdam machinae, cuius ope elevaretur et deponeretur Ostensorium. At responsum fuit ab Emis Patribus unanimi suffragio: « Negative *(Taurinen. 7 Iul. 1877)*. » Item iam antea in una *Lisbonen.* proposita fuerat alia similis petitio circa consuetudinem iam inductam, SS. Sacramentum in quibusdam festivitatibus exponendi *praevio aliquo machinismo ad hoc specialiter constructo.* Emi vero Patres: *Exposita consuetudo omnino abolenda*, responderunt. (*23 Apr. 1875*). Ratio autem, praeter alias, haec est praecipua, quia ut almum Sacramentum propriis manibus a Sacerdotibus vel Diaconis saltem elevetur dignitas illius exigit et maiestas. Hac de causa ritus appositos, et peculiares venerationis actus Ecclesia statuit et determinavit in Sacramenti expositione, qui onmino servandi sunt.

3. Denique quid modus iste Sacramentum exponendi significat, nisi quemdam locum, qui theatro potius est

dignus, quam domo Dei? Quomodo seria, imo sacra, ludo vertere licebit? Decet maiestas in universis Ecclesiae ritibus ac caeremoniis, ineptiae vero dedecent. Quid autem, cum de ritu agatur directe erga ipsam sacratissimam Hostiam persolvendo, quae utpote verum Deum hominemque continens, principale totius Liturgiae venerandum tremendumque obiectum constituit? Caveant sacri ministri cultus, ne sacra profanis, seria ludis misceant.

Quod thurificationem attinet statim ac expositum sit Sacramentum, nihil animadvertendum habemus; est enim primum adorationis signum Sacramento debitum, peracta, rite tamen, expositione. — Quod vero spectat Orationem de B. Virgine, Orationi de Sacramento additam, licet prohibita dici nequeat, nescimus quid in casu significet, cum nullae preces praecedant, quae B. Virginem respiciant. Hocque in casu consultius esset eam, dictis antea relativis versiculis, post praefatas preces decantare, quam Orationi de Sacramento addere. Alteram incensationem post Orationem probare non possumus, quippe quae infra *Tantum ergo*, hoc est post incoeptam stropham *Genitori Genitoque* fieri solet, seu ex Caeremoniali Episcoporum (*Lib.II, cap. XXXIII n. 26*), seu ex probatis auctoribus, seu ex praxi Ecclesiarum. — Siluimus hucusque de viro laico, vertente, tam pro expositione quam pro repositione, cylindrum. Id vero quam indecorum sit, et a sacris ritibus absonum, vix innuendum; actus enim, licet indirecte, Sacramenti expositionem et repositionem tangit. Sed defectus est in forma throni, seu machinae singularis et contra legem, quam reprobandam eliminandamque diximus et demonstravimus.

Tandem quod intolerabile videtur, est absolutio functionis, quin cum Sacramento benedicatur populus fidelis. Hanc enim benedictionem lex Caeremonialis habet, eamque exigit Decretum *Delegationis Apostolicae Peruvianae* (*15 Apr. 1880*) aliaque plura, ac fert quoque praxis omnium Ecclesiarum. Quare ergo tanto honore Sacramentum, tantaque utilitate privare fideles? Sed res, uti patet, a substantiali supernotato defectu pendet; ergo iterum concludimus abusum istiusmodi esse omnino reformandum.

CAEREMONIALE

PRO MISSA ET VESPERIS PONTIFICALIBUS AD FALDISTORIUM

(*Cont. V. n. 11, pag. 711*).

Pars Secunda

DE VESPERIS

CAPUT III.

De Episcopo in Vesperis Pontificalibus ad Faldistorium.

Episcopus, rocchetto et mantelletto indutus, cum Cruce pectorali, hora indicta, adest in Sacristia et sedet sede sibi praeparata. Ad nutum Caeremoniarii de Sacristia pluvialistae discedunt, surgit Episcopus detecto capite, et, cauda a suo familiari expedita (1), inclinationem immagini praecipuae Sacristiae facit et, cooperto capite,

(1) Si vero in Ecclesia adsit, ut iam in Missa notavimus, consuetudo ut Episcopus caudam ad Altare expediat, potest servari.

manibus iunctis, ad Altare pergit. In ingressu Ecclesiae, capite nudato, signat se aqua benedicta a Caeremoniario sibi porrecta. Cum presbyterium ingreditur, caput detegit, salutat chorum (si adsit) et, ubi pervenerit ante Altare, Cruci reverentiam facit et genuflexus super pulvino, in infimo gradu posito, orat aliquantulum. Surgit et, rursus reverentia Cruci et choro facta, ad faldistorium accedit et sedet versis humeris ad Altare, biretum tradit primo Assistenti, dein osculatur Crucem, mox ab eodem ei sublatam, et, mantelletto deposito, biretum iterum recipit et caput cooperit. Antequam capiat amictum, biretum primo Assistenti consignat, et muniens se signo Crucis, sacra paramenta accipit, adiuvantibus Assistentibus, debitis servatis Caeremoniis. Innuente Caeremoniario, Episcopus, deposita mitra, surgit de faldistorio et per latus suum sinistrum (ut iam diximus in Cap. IV, part. I) convertitur ad Altare, et « dicit secreto *Pater Noster etc.* et *Ave Maria etc.* integre; et tenens sinistram manum infra pectus, dextera aperta facit sibi Crucis signum a fronte ad pectus, cantans intelligibili voce *Deus in adiutorium meum intende*. Et pro unoquoque verbo tangit manu primo frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, ultimo dexterum et in fine iungit manus ante pectus..... Cum chorus cantat Versiculum *Gloria Patri etc.*.... caput inclinat versus Crucem super Altari usque ad Versiculum *Sicut erat etc.* ».

Quo expleto versiculo cum *Alleluia* vel *Laus tibi Domine etc.* Episcopus cantat antiphonam primi Psalmi, a primo Cantore sibi praeintonatam; et incepto primo Psalmo sedet et accipit mitram auriphrygiatam. Et sic remanet sedens usque dum repetita fuerit antiphona post quintum Psalmum. Cum dicitur versiculus *Gloria Patri etc.* in fine cuiuslibet Psalmi; ad *Sit nomen Domini benedictum*, si dicatur Psalmus *Laudate pueri*, et ad nomen *Iesu*, si dicatur, caput inclinat versus Crucem; ad nomina vero *Mariae*, vel *Sancti*, cuius festum agitur, si in antiphonis nominentur, inclinat caput, illud

vertendo vel non versus Altare, iuxta regulam in capite IV, Part. I traditam (1).

Postquam repetita fuerit antiphona post ultimum Psalmum et Assistentes cum Cantoribus ante faldistorium pervenerint, ad nutum Caeremoniarii Episcopus surgit cum mitra et ad Altare se vertit, et stans assistit ad cantum Capituli. Postea, responso *Deo gratias*, accepta a Cantore praeintonatione Hymni, sedet et mitram deponit. Statim surgit, iterum ad Altare severtit et praeintonationem Hymni repetit, et stat quousque perficiatur Hymnus, cum versiculo et responsorio. Si fuerit Hymnus *Veni, Creator Spiritus*, vel *Ave, Maris Stella*, Episcopus, statim, eo intonato, genuflectit ante faldistorium super pulvino et genuflexus permanet usque ad finem primae strophae (2).

Cantato responsorio, et praeintonata a primo Cantore antiphona Cantici *Magnificat* ac Episcopus eam repetit et statim sedet. A primo Assistente accipit mitram pretiosam et more solito imponit, benedicit incensum ab eodem Assistente ministratum. Ad intonationem Cantici surgit Episcopus cum mitra et facto sibi Crucis signo, medius inter Assistentes accedit ante medium Al-

(1) Si Episcopus, in casu de quo supra (Cap. I, Pars II), in Sacristia paramenta capiat et deponat, tum in loco sibi praeparato haec accipit iisdem caeremoniis, ut ad Altare. Omnibus sacris paramentis indutus, facta Imagini Sacristiae reverentia, medius inter Assistentes ad Altare procedit, signans se in ingressu Ecclesiae aqua benedicta, a primo Assistente porrecta. In medio presbyterii salutat chorum (si adsit) ab utraque parte, et procedens ante infimum Altaris gradum, cum mitra reverentiam Cruci facit et ad faldistorium accedit, ubi sedet, mitram deponit et alia peragit ut supra.

In fine, benedictione impertita, facta in *plano* reverentia Cruci et choro in Sacristiam redit, ubi, salutata Imagine, sedet et deponit sacra paramenta.

(2) In Hymno *Veni, Creator* Caeremoniarius aufert Episcopo pileolum, quem denuo imponit post primam stropham.

taris, ubi reverentiam facit Cruci et choro ab utraque parte et pergit, manibus iunctis, ad Altare SS.mi Sacramenti thurificandum. Ante eius infimum gradum deponit mitram et pileolum et una cum Assistentibus et Cantoribus in *plano* genuflectit. Altare ascendit, illud osculans in medio, positis hinc inde manibus extensis, et accepto thuribulo a primo Assistente, genuflectit et thurificat Altare, ut explicatur in Caeremoniali Episcoporum (1). Thurificatis Cruce, et Reliquiis inter candelabra, si adsint, alternatim cum Assistentibus recitat Canticum, *Magnificat* (2). Thurificato Altari, in cornu Epistolae thuribulum tradit primo Assistenti, et, ad medium Altaris reversus, recitat versiculum *Gloria Patri etc.*, caput Cruci inclinans, cui Assistentes respondent *Sicut erat etc.* Quo finito, quin genuflectat, per latus Evangelii, ne terga tabernaculo vertat, descendit in *planum*, ubi, simul cum Assistentibus et Cantoribus genuflectit. Dein reassumptis pileolo et mitra, eodem ordine, manibus iunctis, ad altare maius redit (3), in medio presbyterii chorum ab utraque parte salutat et ante infimum Altaris gradum accedens, deposita mitra, Cruci reverentiam facit: Altare conscendit, quod in medio osculatur, accipit, ut supra, thuribulum et thurificationem Altaris peragit more solito. Reddit thuribulum in cornu Epistolae primo Assistenti ibique ab eodem accipit mitram pretiosam, et facta in medio Altaris una cum Assistentibus capitis inclinatione, descendit in *planum*, ubi denuo reverentiam facit Cruci et choro prius in cornu Evangelii et postea

---

(1) Lib. I. Cap. XXIII.

(2) Ubi viget consuetudo recitandi *Magnificat* ad Altare chori, potest servari.

(3) Si thurificetur aliud Altare, ut iam in Cap. I. Par. II. diximus, eodem modo Episcopus se gerat uti dicemus de Altari maiori. Et transiens, si occurrat, ante Altare maius, tunc Episcopus facie versa ad Altare, cum mitra Cruci reverentiam facit.

in cornu Epistolae, et ad faldistorium redit, ubi stans cum mitra thurificatur a primo Assistente triplici ductu. Thurificatione accepta, sedet, deponit mitram et surgens ad Altare se vertit et stat usque ad finem Cantici. Ad *Gloria Patri etc.* caput Cruci inclinat. Ad versiculum *Sicut erat etc.* denuo sedet et accipit mitram pretiosam. Repetita Cantici antiphona « deposita mitra, surgit et stans versus Altare, ex libro » ab acolytho sustentato « cantat versiculum *Dominus vobiscum*, deinde *Oremus* et mox Orationem competentem, manibus iunctis » cum sua conclusione. Si aliae Commemorationes faciendae sint, post singularum responsorium, cantat *Oremus* et Orationem, quarum post ultimam dicit conclusionem.

Deinde repetit *Dominus vobiscum*; et, cantato a Cantoribus *Benedicamus Domino*, sedet et accipit mitram pretiosam. Ad nutum Caeremoniarii de faldistorio surgit, chorum in parte Epistolae salutat et postea, cum in medio pervenit, antequam ad Altare se vertat, in parte Evangelii, deinde cum mitra reverentia Cruci facta, Altare conscendit, illud in medio osculatur et benedictionem impertit eodem modo, quo in Missa latissime explicavimus. Qua impertita, facta Cruci reverentia, descendit in *planum*, ubi denuo Crucem et Chorum prius in cornu Evangelii et postea in cornu Epistolae salutat et ad faldistorium accedit, in quo sedet et ab Assistentibus sacris paramentis exuitur. Quibus depositis, mantellettum assumit, osculatur Crucem pectoralem, quae a primo Assistente imponitur et ab eodem biretum accipit. Innuente Caeremoniario de faldistorio surgit, ante Altare salutat Crucem, et genuflexus super pulvino in infimo gradu, orat aliquantulum ut in principio. Denuo surgit et iterata reverentia Cruci et choro, in Sacristiam, cooperto capite et manibus iunctis, redit, ubi, nudato capite, reverentiam Imagini facit, et a suo familiari ei cauda alligatur.

INDEX
CAPITUM ET ARTICULORUM CUIUSQUE MATERIAE
HUIUS XI TOMI

Archaeologia Sacra

De Coemeteriis Veterum Christianorum quae Romae extant

Coemeteria Minora.

PAG.

XVI. *In Via Appia.* Coemeterium Balbinae . . . 261
In Via Ostiensi. Coemeterium Lucinae 262
Coemeterium Commodillae. 263
In Via Portuensi. Coemeterium ad Ursum Pileatum 264
Coemeterium ad Insalsatos 265
In Via Aurelia. Coemeterium Octavillae . . . 266
Coemeterium Calepodii . ibi
Coemeterium Ss. Processi et Martiniani . . ibi
In Via Flaminia. Coemeterium S. Valentini . 267
In Via Cornelia. Coemeterium Vaticanum . . 268
Index Coemeteriorum Urbis Romae . . . . ibi

Dubiorum Liturgicorum solutio scientifica

Ex Hala. De interpretatione Decr. *Aucto* circa Missas

PAG.

de Requie 30
E Verona. De festo S. Bartholomaei Ap. pro utentibus Calend. Urbis, ubi colitur die 24 Augusti 31
Ex Hollandia. De intelligentia Decr. *Ruthenen.*, 22 Maii 1896 78
Ex eodem loco. De sensu vocis *Solemniter* in Decr. Gen. *Orationum* et *Sequentiae* in Missis Defunctorum . 80
Ex eodem loco. De Calendario Communitatis sequendo pro Missa in Paroecia . 82
E Galliis. De Paramentorum colore in quibusdam peculiaribus festis 83
E Nola. De duplicatione Litaniarum in process. Rogationum 85
E Verona. De off. votivo Ss. Petri et Pauli a Communitate B. recitando, licet extra Urbem degat . . 87
E Galliis. De generali benedicendi facultate Sacerdotis propria 89
E Gallia. De obligatione legendi Prophetias in Missis Sabb. Sancti et Vig. Pentecostes 90
Ex eodem loco. De interpre-

PAG.

tatione Decr. circa Modulationem Cantus in Missa 92
Ex eodem loco. De Stola in Vesp. coram SSmo exposito 93
E Dioec. Septempedana. De obligatione Decretorum particularium 160
Ex eodem loco. De Commem. praecedentis omittenda, *Desponsatione* cum sequenti *S. Familia* concurrente . 161
E Gallia. De concursu inter duo festa secundaria . . 162
Ex eodem loco. De trium festorum occursu . . . . ibi
E Friburgo in Helvetia. De quodam concurrentiae casu ibi
E Galliis. De voce *Alleluia* in Missa votiva SS. Cordis Iesu 164
E Bohemia. De Missis de Requie priv. pro die obitus non transferendis . . . 166
Ex eodem loco. De doxologia *Iesu, tibi sit gloria,* ratione off. vot. commemorati 167
E Pechino in Sinis. De *Regina Coeli* dicenda pro *Angelus Dñi* in Sabb. Sancto ad meridiem . . . 168
E Bohemia. De festo Dedicationis secundario . . 242
E Laude Pompeia. De quibusdam usibus circa funera 245
E Gallia, Belgio et Hollandia. De Oratione imperata in sua dioecesi, a Sacerdote in alia dioecesi celebrante, non recitanda . 250
Ex Anglia. De Octava Angelorum Custodum in Decr. *Urbis* inclusa 252
Ex eodem loco. De quodam Versu mutando ad Commemorationem in off. semid., si sit idem ac in suffragiis 253
E Galliis. De festo impedito in illius die octava celebrando 298
Ex Etruria. De quibusdam dubiis super communione Ordinandorum 299
E Senogallia. De Rubricae mutatione circa semiduplicia quaedam concurrentia 301
Ex Hollandia. De conformitate Missae cum officio in Collegiis, quorum Professores sunt Regulares 303
Emendatio Solutionis dubii super Communionem Ordinandorum 341
E Bohemia. Quorumdam dubiorum *(V. Ephem. vert. an. n. 4)* resumptio . . 342
E Gallia. De quadam obscuritate in specimine Calendarii pro anno 1898 . . 347
E dioec. Abulensi in Hispania. De excessu in computatione dierum pro Missa diei obitus impedita . 348
E Senogallia. De intonatione *Veni, Creator* flexis genibus a Pontifice in Ordinatione Presbyteri facienda 353
E Galliis. De non omittendo *Flectamus genua* in Sabb. Quatuor Temporum Pentecostes ad Ordinationem 354
Ex Urbe. De altari in quod Sacramentum transferri et reponi debet fer. V in Coena Domini 355
Ex Oppido Vicario. De Sym-

PAG.

bolo dicendo, eiusque de causa, in Missa propria S. Theresiae 448

Ex eodem loco. De duobus festis eadem die perpetuo occurrentibus 449

Ex Urbe. De qualitate Imaginum tegendarum tempore Passionis 451

E Pedemontio. De concurrentia quorumdam festorum 454

Ex Oeniponte in Austria. De duobus Patronorum festis a Regularibus recolendis 457

E Gallia. De qualitate 2ae aut 3ae Orationis in Missa vot. de Ss. Apostolis et de S. Ioseph 462

Ex Urbe. De quibusdam ordinis Episcopalis actibus non exercendis ab Episcopo Titulari 463

E Dioec. Carnutensi. De supplendis Presbyteris ad S. Oleorum consecrationem, per Ministros Episcopi . 467

E regione Belgica. De anniversariis Defunctorum late sumptis 530

Ex eodem loco. De modo genuflectendi ad *Incarnatus* pro Sacerdote sine Ministris Missam canente . 533

E Verona. De Missa unica extra officium die festo in paroecia 534

Ex eodem loco. Super Missa de festo transferendo . . 537

Ex Oppido Vivario in Hispania. De Symbolo S. Athanasii in Octava SS. Trinitatis non omittendo. . 538

E Bruxellis. De imaginibus personarum cultum non habentium super altaribus 584

E Civit. N. in Gallia. De concurrentia Octavae festi Ss Petri et Pauli, cum Oct. SS. Cordis Iesu Ecclesiae Titularis 585

Ex eodem loco. De genuino sensu Decr. circa *Orationes* et *Sequentiam* in Missis de Requie 586

Ex Oppido Zabarcos in Hispania. De Crucis signo ad verba *Initium* vel *Sequentia S. Evangelii* . . 587

Ex Austria. De anniversariis dubia quaedam . . 649

E Galliis. De paramentorum colore in Vig. Conceptionis Deiparae 657

E Venetiis. De Missa vot. S. Iacobi Ap. in Vig. ipsius festi 700

E Republica Mexicana. De Paramentis ex metallo inaurato 701

Ex Bono Aere De modo exponendi Sacramenti et cum eo populum benedicendi . 743

Ad quaedam dubia liturgica

Breviora Responsa

I. Pro Civit. N. in Belgio . 32
II. Pro eodem loco . . . 33
III. Pro Oeniponte . . . 34
IV. Pro Merano . . . . ibi
V. Pro Friburgo . . . . ibi
VI. Pro Bavaria . . . . ibi
VII. Pro Baltimora . . . 35
VIII. Pro Dioecesi Taurinensi ibi
IX. Pro Polonia 36

PAG.

X. Pro Austria 38
XI. Pro Londino . . . . ibi
XII. Pro Lovanio . . , . ibi
XIII. Pro Civit. N. in Gallia 93
XIV. Pro eodem loco . . 94
XV. Pro Verona . . . . ibi
XVI. Pro Gallia 95
XVII. Pro Placentia . . . 170
XVIII. Pro eodem loco . . ibi
XIX. Pro Ora divite in America centrali . . . . . ibi
XX. Pro eodem loco . . . 171
XXI. Pro Civit. Calceatensi. ibi
XXII. Pro Curenna . . . 256
XXIII. Pao eodem loco . . 257
XXIV. Pro eodem loco . . ibi
XXV. Pro eodem loco . . ibi
XXVI. Pro eodem loco . . ibi
XXVII. Pro Senogallia . . ibi
XXVIII. Pro Barcinone . . ibi
XXIX. Pro Venetiis . . . 258
XXX. Pro eodem loco . . ibi
XXXI. Pro Gallia . , . 259
XXXII. Pro eodem loco . 260
XXXIII. Pro Portu Divite . 305
XXXIV. Pro eodem loco . ibi
XXXV. Pro eodem loco . 306
XXXVI. Pro Senogallia . . ibi
XXXVII. Pro eodem loco . 307
XXXVIII. Pro eodem loco . 308
XXXIX. Pro Baiona . . ibi
XL. Pro eodem loco . . ibi
XLI. Pro eodem loco . . ibi
XLII. Pro eodem loco . . ibi
XLIII. Pro Aretio in Thuscia 309
XLIV. Pro Hollandia . . ibi
XLV. Pro Rossia , . . . 310
XLVI. Pro Parisiis . . . 311
XLVII. Pro Africa . . . ibi
XLVIII. Pro Galliis . . . 313
XLIX. Pro Dioec. Engolismensi 358
L. Pro Senogallia . . . . ibi
LI. Pro Derthona 359

PAG.

LII. Pro Dioecesi Septempedana . . . . , ... ibi
LIII. Pro Ebroicis . . . 360
LIV. Pro Agrigento . . . 361
LV. Pro Curenna . . . ibi
LVI. Pro Legione in Hispania . . . . ibi
LXVII. Pro eodem loco . 470
LVIII. Pro Oppido Vivario . 471
LIX. Pro Valentia in Hispania 472
LX. Pro Brixia . . . . ibi
LXI. Pro Arequipa . . . 541
LXII. Pro Civit. N. in Pedemontio 542
LXIII. Pro Ebroicis . . . 543
LXIV. Pro Galliis . . . 544
LXV. Pro Oppido Vivario . 545
LXVI. Pro Labaro . . . 589
LXVII. Pro Dioec. Pacensi in Hispania 590
LXVIII. Pro Oppido Zabarcos in Hispania 591
LXIX, Pro Longobardia . 592
LXX. Pro Oppido Zabarcos in Hispania 661
LXXI. Pro Ebroicis in Gallia 662
LXXII. Pro S. Iacobo de Cuba . . . . ibi
LXXIII. Pro Oppido Vivario Segobricensi . . . . . ibi
LXXIV. Pro Bono-Aere . 704

Caeremoniale

pro Missa et Vesperis Pontificalibus ad Faldistorium

Ratio huius publicationis . 290
Pars I. De Missa. Monitum 291
Cap. I. De Presbytero assistente in Missa Pontif. ad Faldistorium 292

PAG.

II. De Diacono . . 473
III. De Subdiacono . 546
IV De Episcopo . . 593
Pars II. De Vesperis
Cap. I. De Pluvialistis assistentibus 671
II. De Pluvialistis Cantoribus 705
III. De Episcopo . . 746

Decreta SS. Congregationum
Ex S. Rituum Congregatione.

Geneven. De concurrentia Vesperarum 5
Romana. De Altari Expos. SS. Sacr. Fer. V. in Coena Dni 6
Bellevillen. De Ecclesia cui Titulus *S. Infantia Iesu* . 7
De Missa priv. de Requie in Oratoriis Praelatorum . 65
Montis Albani. De quibusdam Litaniis in oratoriis et Ecclesiis 66
De officio et Missa Beatorum vel Sanctorum introducendis 125
Romana. De Missis privatis de Requie 129
De Canonizazione BB. Petri Fourier et Antonii Zaccaria 191
Mediolanen. De festis S. Ioseph et Annunt. B. M. V. 193
» De officio Defunctorum a Clericis recitando in Quadrag. . . . 194
Ritus servandus in Coronatione Imaginis B. M. V. 367
Mexicana. De off. parvo B. M. V. idiomate hispano recitando 561
Baren. De praecedentia in processionibus 562

PAG.

Romana. De Missa SS. Cordis Iesu 563
» De Sodalibus Confraternitatum in processionibus cum Sacr. . . . 565
Nicoteren. et Tropien. De Ecclesia Cathedr. innovata . 681

Ex S. Congregatione Concilii

Engolismen. De recitatione priv. officiorum votivorum 627
Mediolanen. De baptismo foetus in utero 628

Ex S. Congreg. Indulgentiarum

De Laude « *Dio sia benedetto* » Decretum 187
Societatis Div. Salvatoris. De Scapulari B. M. V. de Monte Carmelo 629
Mediolanen. De Benedictione Apostolica per Parochos . 630
De indulg. plenaria primae Feriae VI mensis extendenda 678

Ex Suprema Congr. Inquisitionis

De absolutione a Censuris speciali modo S. Pontifici reservatis 625
De dispensatione aetatis pro Ordinatione 678
De Episcoporum auctoritate in Conciliis 127
De validitate Ordinationis . 186

Ex Sacra Congregatione de Propaganda Fide

De Titulo in Ordinandis . 59
De quasi-paroeciis in Statibus Foederatis 679

PAG.

Ex Sacra Congregatione Episcop. et Regular.

De Clericis Universitates Gubernii frequentantibus . . 53

Ex S. Indicis Congregatione De Prohibitione et censura librorum

Leo PP. XIII 173
Decreta Generalia Tit. I. De prohibitione librorum . . 177
Cap. I. De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris . ibi
II. De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium S. Script. ibi
III. De Versionibus vernaculis S. Scripturae 178
IV. De Libris obscenis ibi
V. De quibusdam specialis argumenti libris . . . . . . ibi
VI. De Sacris Imaginibus et Indulgentiis 179
VII. De libris liturgicis et precatoriis . . 180
VIII. De Diariis, foliis et libellis periodicis ibi
IX. De facultate legendi et retinendi libros prohibitos . . ibi
X. De pravorum librorum denunciatione 181
Tit. II. De Censura librorum 182
Cap. I. De Praelatis librorum censurae praepositis . . . . . ibi

PAG.

II. De Censorum officio in praevio librorum examine . . 183
III De libris praeviae censurae subiiciendis . . . . ibi
IV. De Typographis et Editoribus librorum 184
V. De poenis in decretorum generalium transgressores statutis . . . . . . ibi

Expositio Novissima

Rubricarum Breviarii Romani

N. 10. De 9ª lectione quando fit commem. de Festo trium lectionum, Continuatio . 8
N. 11. De ordine Commemoration. 101
Continuatio . 196
Tit. X. N. 1. De Translatione festorum 198

Quaestiones

Academiae Liturgicae Romanae

I. Super Rubricis Breviarii Romani 11
II. Super Rubricis Breviarii Romani 66
III. Super Rubricis Breviarii Romani 130
IV. Super Rubricis Breviarii Romani 202
V. Super Rubricis Breviarii Romani 270
VI. Super Rubricis Breviarii Romani 329

PAG.

VII. Super Rubricis Bveviarii Romani 417
VIII. Super Rubricis Breviarii Romani 513
IX. Super Rubricis Breviarii Romani 565
X. Super Rubricis Breviarii Romani 633
XI. Super Rubricis Breviarii Romani - 682
XII. Super Rubricis Breviarii Romani. 729

Quaestiones Anni 1895-96

I. De exterioribus Episcoporum vestibus pro sacris obeundis functionibus. . . 25
II. De Cruce pectorali Episcoporum 96
III. De functionibus pontificalibus in Ecclesiis non subiectis 148
IV. De benedictionis Candelarum, Cinerum, Palmarum et Fontis . . . 214
V. De venerationis signis Episcopo debitis in liturgicis actibus 284
VI. De communione et de ordine pacis pro Diacono et Subdiacono Episcopi celebrantis 435
VII. De Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum 525
VIII. De Mitra pro Abbatibus 580
IX. De Auctoritate Pontificalis Rom. eiusque Appendicis 642
X. De iure sedendi in Throno pro Episcopo dioecesano 693

PAG.

XI. De Presbytero assistente in Missa. 736

Quaestiones

solvendae earumque solutiones

Monitum 51
1. An liceat exponere inter candelabra Altaris non tantum Reliquias Sanctorum, sed etiam SS. Crucis, Spineae Coronae D. N. I. C. e lateribus Crucis Altaris 229
2. Quonam sensu, *stricto* ne an *lato*, Rubrica dicit (Tit. XI. n. 9), feriam non posse concurrere, in ordine ad primam commemorationem faciendam concurrentis officii, post Orationem diei ad Vesperas, iuxta Decr. 5. Febr. 1895 . 237
3. Quinam sit sensus verborum, quae Episcopus, post factam Ordinationem, dirigit ad Neo-Subdiaconos et Neo-Diaconos, hoc est: « (*dicite*) Nocturnum *talis* diei » 313
Elucidatio super verba «*dicite Nocturnum talis diei*» 370
4. Si Pyxis a Celebrante purificari debeat, quandonam id illi erit agendum, ante ne an post sumptionem Sanguinis iuxta Rubr. Missalis rectumque sensum liturgicum? 363
5. Quinam sit finis linteoli vel disci metallici fidelium, mento supponendi pro communione et quaenam inde

PAG.

consectaria derivanda pro praxi 482
Ad praefatam solutionem appendix 494
6. Qua de causa Minister in Missa priv. osculetur vi Rubricae ampullam vini, et an ampullam aquae osculari quoque debeat. Et num inferiores in privata, et Superiores Ministri in cantata Missa, osculari toties dictas ampullas debeant, quoties eas, aut cum iis ministrant Celebranti . . 603
7. Quomodo Diaconus Ostensorium dare debeat Sacerdoti pro benedictione, et ab eo illud recipere . 613
8. De Symbolo in Missa S. Ioseph 664
9. An Ministri in Missa solemni, nec non Presbyteri assistentes in Vesp.; genuflectere teneantur, quotiescumque ad medium Altaris accedunt, ab eo recedunt, vel ante illud pertranseunt et quid de Ministris inferioribus, iisdem in casibus, et in Missa privata 712

Argumenta Varia

Naevuli in opere *Enchiridion Liturgicum* delendi . 39
Censura cuiusdam Calendarii in Gallia redacti pro anno 1897 45
Leo PP. XIII. De Archiconfratern. B. M. V. sub invocatione Opiferae et de aliis Sodalitatibus illi aggregandis 51
Monitum 65
De obligatione quarumdam Liturgicarum Functionum in Paroeciis, dissertatio . 108
Continuatio 152
De Octavae Corp. Christi privilegio provehendo . . . 117
Praenotanda Calendariis locorum praemittenda . . 121
Leo PP. XIII. Viro clarissimo Petro Piacenza . . . 124
Monitum 172
Epistola Emi Card. Aloisi ad Comitem Ioannem Acquaderni 189
Declarationes 214
Specimen Kalendarii Universalis Eccl. pro anno Dñi 1898 219
Super decr. *Petrocoricen.* 13 Iulii 1883. Animadversiones 323
Continuatio 383
SS. D. N. Leonis PP. XIII. Epistola Encyclica de praesentia et mirifica operatione Spiritus Sancti in Ecclesia 399
De Parochorum iuribus in sepultura cadaverum quaestiuncula 507
Excusatio 553
Leonis PP. XIII. Litterae apostolicae de privilegiis Americae Latinae . . . 554
Nuncium 560
Tabellae dierum quibus Missae votivae permittuntur 622
Leo PP. XIII. Emo Cardinali Oreglia 624
E Vicariatu Urbis circa Piam Adsociationem a Sacra Familia 631

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM QUAE IN HOC XI TOMO CONTINENTUR

(N. B. Numerus lectorem ad paginam remittit)

A

Abbates, quaenam *Mitrae antiquitas, eiusque usus* in Abbatibus, 581 — quotuplex, iuxta Caerem. Episcoporum, *Mitrae distinctio,* et quaenam Abbatibus, illius privilegio fruentibus, competat, 582 — quid *iudicandum de functionibus,* quas pontificali more in pluribus Ecclesiis Abbas exercet, 583.

Absolutio pro Defunctis, nisi adsit Episcopus *fiat a Celebrante* 45 — vide *Benedictiones.*

Acolythi, de acolythis cum funalibus in Missis *diebus ieiuniorum,* 40 — de acolythis cum candelabris, *dum deponitur SS. Sacram.* 257.

A Cunctis, haec oratio, in Missis vot. SS. Ap. Petri et Pauli, *immutanda est* cum oratione *Concede,* 462 — in Missa vot S. Ioseph dicitur *A cunctis,* sed in ea *reticetur nomen S. Ioseph,* 463.

Agnes (S), vide *Concurrentia.*

Alleluia, de voce *Alleluia* in Missa vot. SS. Cordis Iesu, 164, 346.

Aloisius (S) Gonzaga, de celebratione festivitatis S. Aloisii *iuxta Decr. Benedicti XIV* casus, 513 — quinam *genuinus sensus Decreti* et *qua de causa* tam singulare concessum fuerit privilegium, 514 — Patres Societatis Iesu, prout in casu, festum S. Aloisii cum off. et missa *sub ritu dupl. 1ᵃᵉ cl. cum octava* celebrare

valent, 522 — die 21ª Iunii celebrare debent Off. et Missam *de festo S. Aloisii* sub ritu dupl. 1ae cl. cum octava, Dominica vero 2ª Iulii *festum dumtaxat exterius* cum *Missa tantum solemni* si occurrat dupl. 1ae cl., *cum Missis etiam privatis* si occurrat *duplex maius* seu inferius, *ibid.* — in Eccl. Confraternitatis, de qua in casu, celebrari debet hoc festum, *absque Officio sed cum Missa solemni et missis privatis* iuxta Decretum, 524.

Alphonsus (S) De Ligorio, de ipsius festo recolendo, *quando impeditur die sua*, 308.

Altare, in quo fer. V. et VI. Mai. Hebd. SS. Sacram. publicae adorationi exponitur, *repraesentat institutionem Sacram.* et *Dominicam sepulturam*, 6 — de eodem Altari, 355 — vide *Episcopi*, *Consecratio.*

America latina, vide *Privilegia.*

Ampullae pro Missa, vide *Minister in Missis privatis.*

Angeli Custodes, dies oct. festi Angelorum Custodum includitur in Decr. *Urbis d. d. 22 Maii 1896*, 252.

Anna (S), vide *Octava.*

Annuntiatio B. M. V., vide *Festa*

Anniversarium, de Missa *quum dies anniv. impeditur*, 47 — hoc verbum Anniversarium *dupliciter accipi potest*, 358 — de defunctorum anniv. *late sumptis*, 530 — utrum haec anniv. celebrari possint *in dupl. min. vel mai.*, 532 — de anniversariis dubia quaedam, 649,

Antherus (S), vide *Repositio.*

Antiphona, quid *de ratione et antiquitate commemorationum* Sanctorum in Officio, 330 — quinam *sensus et spiritus* huius loci Rubricarum, ut in casu, 334 — quomodo ergo *antiphonae in casu variandae*, ut perfectius attingatur Rubricarum finis, 339.

Antonius (S) Zaccaria, dies propria eius festi est 5ª. *Iulii*, 543.

Appendix ad Pontificale, vide *Pontificale Romanum.*

Aspersio aquae benedictae, servari potest consuetudo populum aspergendi in Dominicis *gradiendo per naves Ecclesiae*, 704 — vide *Functiones Liturg. pro Paroeciis.*

Assistentia solemnis Missae, cum peragi nequeat sine actuum exercitio, qui iurisdictionem significant, nulli alii competit, *nisi Episcopo dioecesano vel aliis Praelatis iurisdictione fruentibus,* 217 — *fieri nequit* ab Episcopo Titulari, 218.

Aucto, de interpretatione Decr. *Aucto* circa Missas *de Requie,* 30 — de computatione dierum pro Missa *diei obitus* impedita, 348.

Aurea (S) vide *Octava.*

B

Baculus pastoralis, vide *Pontificale Romanum.*

Baldachinum, vide *Hastae Baldachini, Imagines.*

Baptismus, de foetus *in utero existentis* baptismo, 628.

Barnabas (S) Ap., de *eius maiori dignitate personali* prae aliis Sanctis eiusdem ritus, 345.

Bartholomaeus (S) Ap., de eius festo *pro utentibus Calendario Urbis,* ubi colitur die 24 Aug., 31.

Benedictio Apostolica, de apostolica benedictione danda *per Parochos redeuntes in Paroecias e romana peregrinatione,* 630.

Benedictio in Missa, si in choro adsunt *Sacerdotes et clerici et distinctio adest in subselliis,* Sacerdotes *inclinationem,* clerici *genuflexionem* facere possunt, 35.

Benedictiones, utrum *omnes Sacerdotes sine indulto* benedictiones in Appendice Rit. Rom. contentas *peragere valeant,* 89 — benedictiones Palmarum, Fontis, Cinerum, Candelarum et absolutio pro defunctis, *Ordinarius tantummodo absque Missa* peragere potest, 214 — praefatae benedictiones et Missae, quae eas sequuntur, *peragi debent a prima Capituli dignitate,* eaque impedita *a secunda et ita successive,* 217 — sed si Canonicis *placuerit Episcopum invitare,* possunt, sed hic *Missam et benedictiones, et absolutio-*

nem etiam peragere debet, 218 — vide *Formula, Functiones Liturg. pro Paroeciis.*

Breviarium, ministrantibus Missae *Breviarium prae manibus habere* non convenit, 40.

C

Cadavera, V. *Parochus.*

Caeremoniale pro Pontificalibus ad faldistorium, *ratio publicationis* huius Caeremonialis 290 — eius *partitio,* 291 — De Missa, monitum, *ibid.* — de *Presbytero assistente* in Missa Pontif. ad faldistorium, 292 — de *officio Diaconi* in hac Missa, 473 — de *officio Subdiaconi,* 546 — de *officio Episcopi,* 593 — De Vesperis, 671 — de *Pluvialistis assistentibus* in Vesp. Pontif. ad faldistorium, *ibid.* — de *Pluvialistis Cantoribus,* 705 — de *Episcopo* in istis Vesp. 746

Calendarium, Communitatis Calend. sequi debet Sacerdos exterus celebrans in paroecia, *cui deserviunt Regulares,* 82 — de *duplici editione* Cal. Romani, 308 — Sacerdos quicumque, quoad Missae celebrationem alicui Oratorio addictus, *ad Calend. tenetur eiusdem Oratorii,* si sit *publicum,* 553 — vide *Lectiones, Locus, Regulares.*

Campanae, vide *Sonitus Campanae.*

Canonici, vide *Benedictiones, Cauda, Chorales, Commem. Omn. Fid. Def., Episcopi, Thronus Episcopalis.*

Cantus, de interpretatione decreti *circa cantus modulationem* in Missa, 92.

Cauda, Episcopus dioec. et Canonici *iūs non habent impediendi caudae explicationem* in Titulari, 152 — vide *Vestes Episcopales.*

Censurae, de censurarum absolutione, 625.

Cereus, nulla lex *cereum accensum a clerico deferendum praescribit,* dum Communio fidelibus ministratur, 35.

Chorales, quomodo se gerere debeant quoad Missas, *quae in aliis altaribus fiunt,* 40.

Clerici, de Clericis *Universitates Gubernii* studiorum causa frequentantibus, 53 — vide *Benedictio in Missa.*

Coemeteria, Coemeteria Minora veterum Christianorum Romae extantia, 261 — de Coemeterio *Balbinae* in Via *Appia, ibid.* — de Coemeterio *Lucinae* in Via *Ostiensi,* 262 — de Coemeterio *Commodillae,* 263 — de Coemeterio *ad Ursum Pileatum* in Via *Portuensi* 264 — de Coemeterio ad *Insalsatos,* 265 — de Coemet. *Octavillae* in Via *Aurelia,* 266 — de Coemet. *Calepodii, ibid.* — de Coemet. *SS. Processi et Martiniani, ibid.* — de Coemet. *S. Valentini* in Via *Flaminia,* 267 — de Coemet. *Vaticano* in Via *Cornelia,* 268 — Index Coemeteriorum Urbis Romae, *ibid.*

Color, de paramentorum colore in *quibusdam peculiaribus festis,* 83 — de colore paramentorum *pro Assistentibus ad honorem Episcopo* in exequendo *Mandato,* 545 — in funeribus solemnioribus *Pallium altaris nigri coloris,* Conopeum *violacei* adhiberi potest, 663 — vide *Paramenta, Vestes Episcopales, Vigilia Conceptionis.*

Commemoratio Centenaria, Redemptionis aut Nativitatis D.ni Com. centenaria a *S. R. C. non expedire statuitur,* 190.

Commemorationes, *Ordo servandus* quum plures faciendae sunt Commemorationes, 101 — Commem. *locum tenet officii, ibid.* — Regula *in mensuranda nobilioritate festorum,* inservit *pro ordinandis Commem.,* 102 — *quomodo Commem. ordinandae* post Breve « *Nullo unquam* » *ibid.* — rationes *emanationis* praedicti decreti, 103, quare decretum *omnino silet de dupl. 2. cl.,* 104 — de *quonam impedimento* loquatur S. R. C. in hoc decr., 105 — quae Commem. facienda sit in Vesp., 106 — quaenam *Commem. maior,* quaenam, *minor,* 196 — de die infra oct. *ante ferias Adventus, ibid.* — de S. Maria fiat *ante festum simplex* in

Sabb. occurrens, 197 — de festo simplici fit Commem. *ante Suffragia, ibid.* — Communes Commem. *de Cruce, S. Maria et S. Iosepho, ibid.* — et ante Commem. *Tituli ac Patroni Eccl.*, 198 — vide *Antiphona, Desponsatio, Octava.*

Commemoratio Omn. Fidel. Def., quid de huius Comm. *antiquitate*, officio potissimum inspecto, 526 — *de genuino sensu Rubricae* Caerem. Episcoporum, collatae cum S. R. C. decretis *circa anticipationem Matutini die 2ª Nov.*, 528 — Episcopus prohibere nequit cantum Matut. Defunctorum *post Vesp. Omnium Sanctorum* in Cathedrali vel in Collegiatis, *si legitima adest consuetudo,* prout in casu, 529.

Commemoratio Omn. Summ. Pontif., omnibus Dominicis impeditis, in *primam diem liberam* celebrari potest, 311.

Communio, de quibusdam dubiis *super Ordinandorum Communione*, 299 — Sacerdos Communionem extra Missam ministrans *absque ministro,* Confessionem ipse faciat *stans inclinatus ante gradus Altaris,* 589 — vide *Cereus, Episcopi, Pontificale Rom. Vestes Sacrae.*

Concilia Plenaria seu Provincialia, vide *Episcopi.*

Concurrentia, concur. duobus festis secundariis *praecedentia competit digniori* 162 — de quodam *concurrentiae* casu diebus *15. et 16. Febr.* huius anni,; *ibid.* de concurr. Octavae *festi primarii S. Mauritii M.* in Pedemontio cum *festo S. Agnetis,* 454 — concurr. festis *SS. Spinae* et *S. Familiae* Vesperae *dividendae sunt,* 694.

Consecratio, de *obligatione consecrandi* singulas Eccl. Cathedr. et Colleg., *discrimina* inter Consecrationem et simplicem benedictionem, 95 — de consecr. Altaris mai. *Ecclesiae renovatae,* 663 — Ecclesia consecrata manet, *si tota simul crusta disiecta fuit,* 681 — vide *Episcopi.*

Cor Iesu (SS.), quomodo ordinandae Vesp. *die 24 Iunii* ubi *die 25ª* fit de SS. Corde Ecclesiae *Titulari*, 34 —

Externa solemnitas huius festi *ab Ordinariis transferri potest* cum privilegio *Missae propriae de SS. Corde, quibusdam positis exceptionibus*, 363 — de *Missa vot.* SS. Cordis Iesu, 536 — vide *Indulgentia, Octava.*

Coronatio Imaginis B. M. V., *ritus servandus* in hac coronatione, 367.

Corpus Christi, vide *Octava.*

Cotta, vide *Parochus.*

Credo, vide *Regulares, Symbolum in Missa.*

Crux, de Cruce *acu facta* in Corporalibus, 42 — vide *Ministri, Reliquiae, Signum Crucis.*

Crux pectoralis pro Episcopis, de eius *antiquitate*, 96 — nulla lex adest *circa eius formam*, 98 — nihil in Caeremoniali Ep. praescribitur *quoad Reliquias in ea includendas, ibid.* — *quando* ab Episcopis adhibenda, 99 — de usu illius *cooperiendae extra loca iurisdictionis* et de eius usu *extra sacras functiones, ibid.*

Cyrillus (S.) Alexandrinus, de die assignanda pro eius festo, *si impediatur die sua*, 308.

Cyrillus et Methodius (Ss.), vide *Occurrentia.*

D

Decreta Conciliorum, pro decretis Concil. *plenariorum* vel *provincialium* vide *Episcopi.*

Decreta particularia, de eorum obligatione, 100.

Dedicatio Ecclesiae, Regulares occurrente anniv. *Dedic. Eccl. Ordinis* cum altero *Eccl. Cath., hoc translato, illud celebrare tenentur*, 94 — de festo Dedic. *secundario* pro regno *Bohemiae*, 242 — Dedic. festum Omn. Eccles. *in Ecclesiis consecratis est primarium*, in aliis *secundarium*, 312 — Dedic. Omn. Eccl. si celebretur in aliqua dioec., *eadem die nulli Eccl. per-*

mittitur celebratio festi suae Dedic., 543 — vide *Lectiones, Officium, Vesperae.*

Dementes, qui sibi mortem inferunt, quomodo considerandi *pro ecclesiastica sepultura*, 472, 592.

Deo gratias, vide *Offertorium.*

Desponsatio, *omittenda est commem. Desponsat.* cum seq. *S. Familia* concurrentis, 161.

Diaconus, vide *Caeremoniale, Episcopi, Ministri, Minister in missis priv., Presbyter assistens, SS. Sacramentum.*

Dies, quaenam *dies assignata* pro festo recolendo, quaenam *mutata, natalitia* vel *quasi natalitia,* dies *propria* et *non propria*, 450 — vide *Festum, S. Margarita a Cortona, Repositio.*

Discus metallicus pro Comm., vide *Linteolum.*

Dispensatio aetatis pro S. Ordinatione, quae datur a S. C. de Prop. Fide *pro defectu aetatis unius anni,* ad Regulares etiam extenditur, 678.

Dominica, de off. *Domin. infra oct. Nativ. Domini* transferendo, 471 — vide *Commemorationes.*

Doxologia, de dox. « *Iesu, tibi etc.* » ratione off. vot. *commemorati*, 167 — de dox. in *hymno Vesp. festi praeced.*, quando de festo subsequente, quod propria dox. gaudet, *fit tantum commem.*, 342.

Duplex, vide *Commemorationes, Octava, Translatio festorum, Vesperae.*

E

Ecclesia, quibus modis polluatur, 310.

Episcopi, in Missa priv. ex indumentis pontificalibus *Crucem pectoralem* et *annulum tantum* assumere possunt, 36 — in Conc. sive *plenario* sive *provinciali* legitime coadunati, *vera potestate legislativa* potiuntur, 127 — decreta dictorum Conciliorum, *a S. Sede in forma communi sive specifica confirmata,* vim habent etiamsi *in statuta dioec. non fuerint incor-*

porata ibid. — quinam *Episcopus Ordinarius*, quinam *Titularis*, 148 — cuicumque Episcopo *prohibetur Pontificalium usus in aliena dioec.* absque Ordinarii licentia, *ibid.* — Episcopus cogere nequit Canonicos *ad inserviendum habitu chorali cum privatim celebrat*, nisi sit *superpelliceum* vel *Rochetum cum superpell.*, 151 — quaenam generaliter *venerationis signa externa* inferiores semper praestiterint *in liturgicis actibus* Episcopo et *quibus de causis*, 284 — quid super singulis in casu expositis, iuxta Caerem. Episcoporum Rubricas, censendum et in praxi tenendum, 286 — quodnam de iuribus, quibus se frui tenet Episcopus Petrus, iudicium ferendum, 289 — in Eccl. Latina et Graeca *consuetudo erat in Missa solemniori communicandi Ministros* cum Episc. celebrante: in praesenti tantum *in Eccl. graeca servatur*, 436 — *osculum pacis* in omnibus Liturgiis habetur, quamvis non omnes *in uno eodemque loco Missae illud ponant*, 438 — *quo ordine* dari debeat, quando Ministri in Pontificalibus Missis *non communicant*, 439 — quibusnam ex disceptantibus ratio faveat, quidque in praxi tenendum, 441 — Episcopi Titulares *altaria consecrare nequeunt*, nisi agatur de consecr. lapidis *pro suo priv. Oratorio*, 463 — vide *Assistentia solemnis Missae*, *Benedictiones*, *Caeremoniale etc.*

Et incarnatus est, vide *Genuflexio.*

Evangelium, in fine Missae *nunquam legitur Evang. Vigiliae,* cuius homilia in off. *omissa fuit,* 359.

Exequiae, *de pluribus exequiis peragendis,* si plura eadem die sepelienda sunt cadavera, 171 — vide *Parochus.*

Exorcismi usus publice fieri nequit, nisi *de venia Episcopi,* 90.

Expectatio partus B. M. V., Expect. festum *transferri potest*, si impeditum, et *reponi die 30 Dec.* nisi sit agendum de Dominica, 310.

Expositio, vide *SS. Sacramentum.*

F

Faldistorium, vide *Caeremoniale pro Pontificalibus ad Faldistorium*.

Familia (Sacra), dubia varia circa *piam adsociationem a S. Familia*, 631 — vide *Concurrentia, Desponsatio*.

Feria, quonam sensu, *stricto* an *lato* Rubrica dicit Tit. IX. n. 9 *feriam non posse concurrere*, in ordine ad primam commem. faciendam concurrentis officii, *post orationem diei ad Vesperas*, iuxta generale decr. 5 Febr. 1895, propositio quaestionis, 237 — verba Rubricae *stricto sensu intelligenda sunt*, probatur ex *ipsa Rubr.*, 238 — probatur *ex decretis*, 239 — demum *ex melioris notae Liturgistis*, 240 — vide *Commemorationes*.

Festum, festum *S. Ioseph* Sponsi B. M. V. et *Annuntiat. Deiparae* diebus 19. et 25 Martii etiam feriis sextis Quadrag. occurrentibus in Liturgia Ambrosiana, prouti fit in Romana, *celebrari statuitur*, 193 — *genuinus sensus* verborum *festum* et *dies propria*, 271 — dies *propria* generatim loquendo *una tantum esse potest*, 272 — peculiares causae, quae dantur, *ut festum duos dies vere proprios habeat, ibid.* — Festa *secundaria octava decorari queunt*, 39 — vide *Commemorationes, Concurrentia, S. Margarita a Cortona, Missa priv. de Requie*.

Flectamus genua, omittendum non est in *Sabb. Quatuor Temporum Pentec.* ad Ordinationem, 354.

Fons baptismalis, vide *Functiones Liturgicae in Paroeciis*.

Formula, nulla requiritur pro benedictione *rosariorum, Numism.* etc. pro indulgentia applicanda, sed *sufficit ea manu benedicere*, exceptione facta *Rosar. S. Dominici* et *Coron. B. M. V. a doloribus dictae*, 170.

Fragmenta, vide *Linteolum*.

Franciscus (S.) Salesius, de die assignando pro eius festo *si impediatur die sua*, 308.

Functiones Liturgicae in Paroeciis, Aspersio aquae benedictae in Dominicis *pro paroeciis omnibus non est praeceptiva*, sed praescribitur tantum in Ecclesiis *Cathedr.* et *Collegiatis*, 108 — Eccl. Parochiales *ex iure positivo tenentur* ad Benedictionem *Cereorum, Cinerum* et *Palmarum*, 111 — Paroeciae, sufficienti ministrorum numero praeditae, *tenentur solemniter peragere Missam fer. V. in Coena D.ni, Missam Praesanctificatorum* fer. VI. in Parasc., *Benedictionem Ignis, Cerei, Fontis* in Sabb. S., secus has functiones *minus solemniter* peragant, 112 — *quando desunt omnino clerici*, facultatem petatur ab Episcopo *celebrandi solam Missam fer. V.* et ab aliis dispensantur parochi, 115 — omnes paroeciae *tenentur ad Benedictionem Fontis* in Vig. Pentec., *ibid.* — de Processionibus *S. Marci* et *Rogationum*, 152 — earum *obligatio generalis*, 153 — utrum haec obligatio afficiat Parochos, *qui nullum Clerum habent, ibid.* — de Processione et expositione *in Solemnitate Corp. Chr.* 155 — generaliter sunt *praeceptivae, ibid.* — Missam cum cantu, *die 2ª Nov.* in Commen. Omn. Fid. Def. *non est praeceptiva*, nisi pro *Cathedr.* et *Colleg.*, 156 — sic et *absolutio post Missam*, 157 — Parochi non tenentur *ad tres Missas celebrandas* in Nativ. D.ni, 158.

Functiones Sacrae Maioris Hebd., in Ecclesiis Monialium *ut peragi valeant servata forma Parvi Ritualis S. M. Bened. XIII*, a S. R. C. facultas expetenda est, non vero pro Benedictionibus Candelarum, Cinerum et Palmarum, 361 — vide *Functiones Liturgicae in Paroeciis.*

Funera, de quibusdam usibus *circa funera*, 245 — quid funus, 259 — vide *Color.*

G

Genuflexio, facienda est *ad salutationem Oleorum* Fer. V. in Coena Dni, 359 — de modo genuflectendi ad *Incarnatus* pro Sacerdote *sine Ministris* Missam canente, 533 — vide *Benedictio in Missa, Lotio manuum, ministri, SS. Sacramentum.*

Georgius (S.) M., si eius festum impediatur die 23 Apr., *recolatur in illius die octava* sub ritu istius festi proprio, 298.

Gloria in excelsis, vide *Vigilia Conceptionis.*

H

Hastae Baldachini, Moniales, et si in propria Eccl. Baldachini hastas *deferre non possunt,* 311.

Hostia, vide, *Linteolum.*

I

Iacobus (S.) Ap., in vig. S. Iacobi occurrente officio ritus semidupl., *celebrari potest Missa vot. de eodem Sancto,* 700.

Imagines, *quaenam tegendae* tempore Passionis, 451 — Imagines et Reliquias Ss. *sub Baldachino deferre vel exponere non licet,* 541 — de imaginibus personarum *cultum non habentium* super altaribus, uti ex. gr. puella *Bernadette ad pedes B. M. V. de Lourdes,* 584 — vide. *Prohibitio librorum.*

Impositio Manus in Confirmatione, vide *Pontificale.*

Inclinatio, capitis inclinatio ad *nomina Sanctorum,* quorum festa celebr., *non habet locum in Missa Vigiliae,* 312 — facienda est in Missa quum *nominatur in*

Canone Sanctus, *de quo fit festum*, 360 — de capitis inclinatione *pro Clericis e choro egredientibus*, 589 — inclinatio *profunda* fieri debet ad versum « *Veneremur cernui* », 704.

Indulgentia, festis adnexa, vi Decr. *transfertur semper cum externa solemnitate*, 171 — de indulgentia adnexa piae laudi « *Dio sia benedetto* » a S. P. Leone XIII, 187 — Plenaria indulgentia Confraternitatibus SS. Cordis Iesu *concessa prima Fer. VI cuiuslibet mensis, omnibus fidelibus extenditur*, 678 — vide. *Numisma*.

Indumenta Episcopalia, vide *Episcopi*.

Innocentes Ss., quid de *origine* eorum festi in utraque Ecclesia, ac de *singularitate ritus* huius festi in Ecclesia latina *extra Dominicam*, 12 — utrum *Reliquia insignis* sit causa sufficiens, ut Ecclesia illam possidens *specialem dicti festi Rubricam negligat*, 20 — quid pro praxi ut in casu tenendum, 24.

Institutores, (Ss.,) de eorum *nomine* ad litteram N. in oratione « *A Cunctis* » quoad Regulares, 42.

Instrumenta Passionis, horum instrumentorum officia, quae fiunt alicubi *a fer. IV. Cinerum ad Dom. in Palmis, transferri nequeunt post Pascha*, 545.

Inventio Corp. S. Stephani, vide *Symbolum in Missa*.

Ioachim (S), vide *S. Laurentius*.

Ioseph (S), vide *Festum*.

Ioseph (S), de Cupertino, de Eius festo casus, 130 — de *Lectionum origine* in officio et praesertim *de Scriptura*, utraque Ecclesia inspecta, 131 — quare *initia Librorum S. Scripturae omitti nunquam debeant*, 142 — pro quo ex duobus consilium dantibus, ut in casu, ratio pugnet, 143 — quomodo resolvendum dubium Redactoris Calendarii *circa ordinem Vesperarum*, ut in casu, 146.

K

Kalendarium, Kalendarii Univ. Eccl. *specimen* pro anno 1898, 219.

Kyrie eleison, *Christe eleison*, de harum invocationum *repetitione* in Litaniis *Sanctorum*, 312.

L

Laurentius (S), de occurrentia festi *S. Laurentii* cum festo *S. Ioachim* casus, 682 — quibus de causis *Ecclesia octavam instituerit*, 684 — quaenam relationes intercedant inter *festum* et *diem octavam*, 686 — utrum, inspecto Brevi concessionis festi S. Ioachim, hic ius habeat *ut cum feriatione celebretur*, quocumque eiusdem ritus occurrente festo, 687 — an festum sive *fixum* sive *mobile octava gaudens*, die sua et in tota octava impeditum, ius habeat *ut in die octava celebretur, remoto quocumque alio festo* eiusdem ritus, 690.

Laus "Dio sia benedetto„ optime recitatur post Benedictionem cum Venerabili, 705 — vide *Indulgentia*.

Lazarus (S.) Resuscitatus, lectiones 2ⁱ. noct. in eius festo *esse debent de 2°. loco*, 257.

Lectiones, de lectionibus « *Igitur Eleazarus* » et « *Mortuo itaque* » in mense Oct., 347 — die oct. Dedic. lectiones 1ⁱ. noct. *sunt ut in die festo*, 362 — vide. *S. Ioseph a Cupertino*.

Leonardus (S.), lectiones 1ⁱ noct. in festo *S. Leonardi* sunt « *Beatus vir.* »

Libri, vide. *Prohibitio librorum*.

Linteolum, de usu *linteoli vel disci metallici* fidelium mento supponendi pro *Communione*, propositio quaestionis, 482 — in primaevis saeculis *qua ratione* fideles Communionem recipiebant, 483 — quo tempore *linteoli*

usus inolevit, et qua de causa, — 485 de eius *forma,* de *modo* quo est utendum, de eius *qualitate,* 486 — an discus *sit tolerandus vel laudandus,* 489 — quaenam *conditiones requirantur,* ut usus disci *nil optandum relinquat,* 492 — consectaria derivanda pro praxi, 493 — *finis* linteoli, 494 — de *disco metallico,* 501 — consectaria, 554.

Litaniae, prohibitae per Decr. S. R. C 6 Martii 1894 et 28 Nov. 1895, *neque recitari neque cani possunt* in Ecclesiis a pluribus coniunctim *etsi sine interventu Ministri Eccl. qua talis,* 66 — de Litaniarum *duplicatione* in processione *Rogationum,* 85 — Litaniae *concini,* possunt ita dispositae, ut *duae, tres vel quatuor invocationes concinantur* ac dein *semel* addatur « *Ora pro nobis* » 311 — vide. *Kyrie eleison.*

Locus, ad quem pertinet Calendarium, et cui conformis vel non Missa praescribitur in Decr. Ruthenen., est ille, *in quo quis celebrat,* 78.

Lotio Manuum, quinam genuflectere debeant *ad lotionem Manuum Episcopi,* 41.

M

Manus, de *modo tenendi manus* in sacris functionibus, 39 — pro impositione manus, vide *Pontificale Romanum*

Margarita (S.), a Cortona, de die octava *S. Margaritae,* quando de ea agitur die 22 Febr. *sub ritu dupl. 1^ae^. cl. cum octava,* casus, 270 — genuinus sensus verborum *festum* et *dies propria, natalitia,* vel *quasi natalita,* 271 — an idem festum datis peculiaribus causis *duos dies vere proprios habere possit,* enumerantur peculiares istae causae, 272 — Prima causa *adiectio unius diei* in anno intercalari seu bissextili, 273 — Secunda causa *est occursus festi Annuntiat. B. M. V.* cum diebus strictiori sensu *aliturgicis,* 275 — Tertia *libertas a S. Sede concessa* diversam con-

suetudinem retinendi in celebratione festi *S. Bartholomaei Ap.* die 24 aut 25 Augusti, 277 — Quarta *peculiare privilegium,* quo gaudet aliqua particularis Ecclesia, 278 — Opinio *P. A. A Carpo* et opinio quam sustinet *Cavalieri;* momenta utriusque opinionis, *ibid.* — difficultas iudicandi inter duas opiniones, 280 — locorum consuetudines servari possunt, 283

Maria SS., in Praefat. Missae B. M. V. *sub titulo de Misericordia « Et te in festivitate » dicendum est,* 359 — de *ritu festi* B. M. V. sub titulo *« della Salve »* in civitate *Alexandriae,* 542 — vide *Repositio.*

Matutinum, de *hora* recitationis privatae Matutini, 323 — S. R. C. per decr. in *Petrocoricen. quaestionem dirimere noluit,* 324 — utrum *satisfaciat* qui Matut. cum Laudibus seq. diei *hora 2ª. post meridiem recitat,* 325 — *quinam probati auctores,* ad quos S. R. C. remittit, 326 — concluditur *verbis Tetami* haec prima pars, 327. — Pars altera controversiae *agit de validitate huius recitationis* hora 2ª. post meridiem. 383 — probati auctores censentur, *qui benigniorem sententiam admittunt,* 384 — omnes auctores in eo conveniunt, quod *Matut. diei seq. dici potest post Vesperas,* 385 — tempus Vesperarum etiamsi anticipetur *est semper initium diei ecclesiastici,* 387 — tempus pro Matut. cum Laud. recitatione, aliud est *facultativum* aliud *obligatorium, ibid.* — quaedam *Suaresii notae* circa verba D. Thomae « *dies incipit a Vesperis,* 388. — Certa lex est « *Officium esse onus diei,* 391 — concluditur *validam esse recitationem,* hora 2ª. post meridiem, *ibid.* — Pars tertia *agit. de liceitate 392* — *lex* Conc. Lateran. praescribit. *ut divinum Officium nocturnum et diurnum* studiose et devote recibretur, *ibid.* de Matut. hora in *antiquitate* et *aetate nostra,* 393 — quaenam est lex, quae obligat *ad Matut. non recitandum* hora 2ª. post meridiem 394 — qui Matut. hora 2ª. post merid. recitat, *rem licitam facit* et probatur *ex D.*

Thoma, ibid. — explanatur difficultas *ex consuetudine desumpta* contra praedictam sententiam, 395 — ex eo quod anticipari potest Matut., quod est hora *nocturna,* non sequitur et *diurnas anticipari posse,* 396 — refellitur obiectio desumpta *ex privilegio aliquibus concesso anticipandi Matut.* hora 2ª. post merid., *ibid.* — Conclusiones, 397 — probati auctores, ut in decr. *Petrocoricen.*, sunt *qui tenent Matut. cum Laud. seq. diei semper anticipari posse hora 2ª. post merid.,* et ista recitatio *valida et licita* est, 398.

Mauritius (S.), M, vide. *Concurrentia.*

Michael (S.) De Sanctis., vedi. *Occurrentia.*

Minister in Missa priv., de *ampullarum osculo* in Missa priv., 603 — *qua de causa* Minister in Missa priv. *osculetur,* vi Rubricae, *ampullam vini.,* 604 — Minister Missae priv. etiam ampullam aquae osculari debet 605 — ampullae vini et aquae *osculandae sunt* a Ministro *quandocumque Celebranti eas tradit,* praeterquam *in Officio in Parasceve,* etc 607 — ad purificationem *praeferendus videtur usus eas non osculandi,* 609 — Ministri superiores, nempe *Subdiaconus* et *Diaconus,* praedicta oscula *dare minime debent,* 611 — vide *Ministri in Missa solemni.*

Ministri, in Missa solemni, de positione unius Ministri, *dum alter surgit aliquid facturus sui numeris,* 40 — excepta consuetudine in contrarium, Ministri *Celebrantem in sacris paramentis induendis adiuvare tenentur,* 361 — de *Ministris* in Missa solemni et *Presbyteris assistentibus* in Vesperis, 712 — an praedicti Ministri genuflectere teneantur, *quandocumque ad medium altaris accedunt vel ab eo recedunt,* vel *ante illud transeunt, ibid* — 1ª. hypothesis: *quando in Altari non asservatur Eucharistia;* ad Missam quod attinet, datur prima regula, *quae respicit partes Missae ante Consecrationem* et post *Communionem ibid.* — Secunda regula pro parte

Missae *a Consecratione ad Communionem*, 717 — quoad Vesperas datur regula, 719 — 2ª. hypothesis: *quando in Altari reconditur Sacramentum*, 720, — 3. hypothesis: *quando in Altari SS. Sacram. apparet discoopertum*, 721 — quid de *inferioribus Ministris* in iisdem casibus et *in Missa priv.*, 725 — vide, *Olea sacra, Poenitentiarius Canonicus, Presbyter assistens.*

Missa, de *cohaerentia* inter Officium et Missam, 46 — Missa et Officium Sanctorum vel Beatorum *introduci nequit sine speciali Episcopi commendatione*, 125 — pro Sanctis vel Beatis in *Martyrologio non contentis*, requiritur ut *eorum cultus ab Ecclesia comprobatus sit*, 126 — *raro admodum* excipientur postulationes Off. et Missae *pro novis Sanctorum festis, ibid.* — *quomodo discutienda* omnis postulatio novi Officii ac Missae. *ibid.* — sententia S. R. C. *SS. Patri confirmanda subiicietur, ibid.* — extensio officii et Missae particularis *specialibus rationibus inniti debet, ibid* — *immutationes* vel *additiones* in Missis istis *examini subiiciendae sunt*, 127 — de Missa in *aliena Eccl.* vel *Orat. publico*, 123 — quando Missa impediatur in *Orat. privatis*, 124 — Missa pro populo *Officio respondere debet*, 531.

Missa lecta seu privata de Requie, unica infra hebdomadam defunctis applicanda *permittitur in Oratoriis Praelatorum*, 65 — de quadam interpretatione decr. *Aucto* circa has Missas, 30, 32 — de Missis priv. de *Requie* et de earum *Orationibus*, 33 — de verbo « *solemniter* » in Decr. 30 Iunii 1896, 36 — de quodam indulto *trium Missarum de Requie cum cantu* in hebdomada, 93 — *quibus diebus* permittantur Missae priv. *de Requie* decr. *Aucto*, in nota, 86 — privilegium circa Missam lectam de *Requie* Decreto « *Aucto* » 8 Iunii 1896 sacellis sepulcreti concessum, *non favet Ecclesiis, Oratoriis*, subter quae *ad legitimam distantiam* alicuius defuncti cadaver quiescit,

129 — Missae priv. de *Requie* ut in Decr. permissae, *praesente cadavere, licitae erunt in quibuslibet Ecc. vel Oratoriis*, dummodo cadaver sit *phisice vel moraliter praesens* et agatur in iis funus *cum missa exequiali, ibid.* — celebrari nequeunt *sine applicatione pro defuncto, cuius cadaver est praesens*, et diebus non duplicibus *festa duplicia* 1ae *cl.* escludentibus, *ibid.* — de missis priv. de *Requie* pro die obitus *non transferendis*, 166 — haec Missa permittitur *in omnibus Ecc. et Oratoriis*, 258, 259 — de intelligentia verborum « *non ultra biduum* », 348 — *quae festa* impediant *Missas priv. de Requie, nullimode* praesente cadavere, 121. 346 — de Missis priv. *de Requie die vel pro die obitus*, 358 — de Missis istis in *sacello sepulcreti* iuxta decr. *Aucto* 544 — Tabella dierum *quibus hae Missae conceduntur* vel *prohibentur*, 623 — vide, *Aucto. Orationes.*

Missa Pontificalis, vide *Caeremoniale, Episcopi.*

Missa solemnis, de Titulari vel de alio festo *cum concursu populi* celebrando, si occurrat et trasferri debeat, *quibus festis impediatur*, 121 — de Missa solemni ad petendam pluviam, 470 — Missa de festo transferendo *cantari potest* diebus *S. Ioseph, Annunt. B. M. V., S. Ioan. Bapt., Dedic. Eccl., Patroni* et *Titul.*, 537.

Missa exequialis solemnis Defunctorum, *quando vetita est* praesente cadavere, 47 — haec Missa diebus III, VII XXX, et Anniv. *ab obitu* vel *depositione quando impediatur*, 123 — *quid Missa exequialis*, 258 — Missa haec *quomodocunque praesente cadavere*, quando impediatur, 121, 346 — vide *Anniversarium, Orationes.*

Missa votiva priv. vel solemnis, *quae festa impediant* missam votivam, *privatam* vel *solemnem*, 121 — *quando impediatur* Missa votiva *pro sponsis*, 122 — Tabella dierum *quibus Missae vot. conceduntur vel prohibentur*, 622.

Mitra, Episcopus ad Benedictionem *post Confirmationem* mitram tenere potest, 358 — vide *Abbates*.
Moniales, vide *Hastae Baldacchini*.

N

Nocturnum, vide *Ordinatio Sacra*.
Numisma, de *benedictione* et *impostitione numismatum* pro indulgentiis, 38 — vide *Formula*.

O

Occurrentia, occurrentibus festis *diei octavae* Dedic. Praesentationis B. M. V. et Reliquiarum, *fiat primum* de Dedic., *postea* de Reliquiis, *ultimo* de Praesentatione, 162 — occurrentibus die 5ª Iulii *SS. Cirillo et Meth.* cum *S. Michaele De Sanctis* in Hispania, fiat de *S. Michaele* et aliud festum *transferatur*, 449 — vide *Commemorationes*, *S. Antherus*.
Octava, in tota oct. Corp. Christi, si de ea fit officium, *non fit de festo, nisi fuerit duplex:* semiduplex *commemoratur sine lectione*, 8 — votum ut Oct. Corp. Chr. *eodem privilegio honestetur*, quo *Oct. Epiph, perfruitur*, 117 — infra Oct. Paschae et Pentec. *de dupl. et semid. fit tantum commemoratio*, exceptis 2ª. et 3ª. die, 244, 345 — si Oct. Nativ. B. M. V. *occurrat in Dominica*, *totum fiat de festo Nominis B. M. V.*, 545 — de die oct *S. Aureae virg.* die 26 Iulii et off. *S. Annae* pro Corbuba, casus, 565 — quaenam festa *ius habeant ad octavam*, 567 — *quo ritu* celebrandae, *ut privilegio Oct. fruantur*, 571 — *an* et *qua ratione* festum translatum in suam diem restituendum sit, si *haec evadit libera*, 572 — utrum *dies oct. revera sit libera retinenda*, ut in eam restitui possit festum ad ritum 1. vel 2. classis

evectum, 575 — quid agendum *de off. translato,* quando abrupta aliqua octava *ob tempus vetitum dies oct illius evadit libera,* ut in casu, 578 — Vesperae in concursu diei oct. *SS. Ap. Petri* et *Pauli* cum die oct. *SS. Cordis Iesu, prima* praevalere debet *alteri,* 586 — in concursu Oct. *SS. Cordis Iesu, Titularis Eccl.* et *S. Ioann. Baptistae praecedentia debetur* S. Ioanni, *postea* fiet de Titul., *ultimo* de SS. Corde, 592 — vide *Commemorationes, S. Laurentius, Lectiones, S. Margarita a Cortona, Translatio festorum.*

Offertorium, *Postcommunio, Deo gratias et Ite Missa est* submissa voce dici possunt *si pulsantur organa,* 309

Officium, *normae* pro Off. recolendo aut reponendo, 210 — Officium Titul. Eccl. propriae vel Cathedr. *est obligatorium pro utroque Clero,* 662 — vide *Missa.*

Officium defunctorum, de off. defunct.*pro Clericis Ritum Ambrosianum sequentibus* in Sacris constitutis, 196 — Off. solemne defunct. prohibentur *per totum Triduum Mai. Hebd.,* 591

Offcium parvum B. M. V., in republica Mexicana *idiomate hispano* iuxta consuetudinem a Tertiariis et Confratribus B. M. V. de Monte Carmelo *recitari potest,* 561.

Officium votivum, officia vot. semel acceptata *reiici nequeunt absque S. R. C. indulto,* 591 — de privata officiorum votiv. recitatione pro *Canonicis Eccl. Cath. Engolismensis,* 627.

Olea Sacra, de supplendis Presbyteris ad SS. Oleorum consecrationem *per Ministros Episcopi,* 467 — vide *Genuflexio.*

Orationes, de Orationum *pluralitate* vel *unicitate* in Missis *de Requie,* 48 — de *Orat. a Calend. Gallico praescriptis* pro quibusdam Sanctorum festis, *ibid.* — de sensu vocis « *solemniter* » in Decr. Gen. *Orationum et Seq. in Missis Defunct.,* 80, 586, — Sacerdos in aliena dioecesi celebrans, *etiam quoad Orationes imperatas* se conformare debet in Missa. 250 — de Orat. *pro Consecr. Epi-*

scopi in Missa de die, 257 — per decretum 30 Iunii 1896 *revocata censenda sunt decreta antiquiora*, quae dicebant quamcumque Missam solemnem *cum unica Orat. dicendam esse*, 305 — de Orat. in Missa vot. de Sacramento coram *SSmo exposito*, 662 — vedi *A Cunctis*.

Oratorium, de Oratorii *benedictione* et de Oratoriis *Confraternitatum*, 359 — vide *Missa*.

Ordinatio Sacra, de cuiusdam Ordinationis *validitate* decretum, 186 — quinam sensus verborum « *dicite Nocturnum talis diei* » in S. Ordinatione, propositio quaestionis, 313 — quaenam *obligatio* resultet ex « *dicite* », *ibid.* — quid per *Nocturnum* intelligi debeat, 314 — an sub Noct. nomine *Lectiones ipsae comprehendi debeant*, 318 — quid per « *talis* » locutionem audiendum sit, 319 — conclusio ad solvendam quaestionem, 321 — elucidatio super praedicta verba « *Dicite Nocturnum talis diei* », 370 — de Missa Ordinationis, 310 — vide *Pontificale Rom.*, *Preces imperatae*.

Ordo perpetuus, de *emendatione Ordinis perpetui* Redactorum Ephemeridum cura editi, 34 — vide *Calendarium*.

Organa, de *Organorum sonitu* in functionibus, 704 — vide *Symbolum*.

Osculum, vide *Minister in Missa priv.*, pro *Osculo pacis* vide *Episcopi*.

Ostensorium, vide *Reliquiae*, *SS. Sacramentum*.

P

Pallium Altaris, vide *Color*.

Paramenta, de paramentis *ex metallo inaurato*, 701 — pro quo colore *inservire* possunt, 703 — vide *Color*, *Presbyter assistens*, *Vigilia Conceptionis*.

Parochus, de Parochorum iuribus *in sepultura cadaverum*, quaestiuncula, 507 — *quid* sepultura et *ubi*-

nam antiquitus sepeliebantur cadavera, ubinam *in praesenti, ibid.* — ius inest Parochis *faciendi exequias suorum decedentium parochianorum, ibid.* — cadaveris associatio *ad Parochum spectat*, quamvis *ad alienam Ecclesiam deferatur* pro funere vel sepultura, 508 — Parocho ius inest *deferendi cadaver parochiani sui* ad coemeterium *alterius paroeciae ibid.* — Parochus defuncti *coemeterium alterius paroeciae ingredi nequit*, multo minus defunctum in eo *tumulare*, Parocho coemeterii *monito vel non, ibid.* Parochus cadaver excipiens *cotta et stola indutus esse debet*, 509 — quid *quarta funeraria*, 510 — Ecclesia, quae habet ius sepulturae, eo ipso ius habet *perficiendi funera*, et *emolumenta percipiendi, ibid.* — hinc Paroco coemeterii *competit quarta funeraria* etsi defunctus *iure tumulationis in dicto coemeterio gaudeat*, 511.

Paroecia, de *quasi paroeciis* pro populo diversae linguae *erectae in Statibus Foederatis*, 679.

Patronus, vide *Regulares, Simbolum in Missa.*

Paulus (S.) Eremita die suo si festum impediatur, *nequit pro illo assignari dies 6. Febr.*, 257.

Pax in Missa, vide *Episcopi, Osculum.*

Petrus et Paulus (Ss.) Ap., de off. vot. SS. Petri et Pauli *a Communitate*, licet extra Urbem degat, *recitando*, 87 — vide *Octava.*

Pluviale, in Matut. solemnibus ab officium faciente laudabiliter *sumi potest ab initio Matutini*, 311.

Pluvialistae, vide *Caeremoniale* etc.

Pilelous, vide *Vestes episcopales.*

Poenitentiarius Can.cus, quando *teneatur ad ministri munus in Missa* diebus solemnioribus, 305.

Pontificale Romanum, quaenam *antiquitas* et *auctoritas* seu *Pontific. Rom.*, seu *Appendicis*, 643 — nulla *manus impositio* requiritur *in S. Unctionis actu* in Confirmatione, 646 — de usu *baculi pastoralis in benedict.* post Confirmationem, 647 — de *Neo presbyterorum*

communione in Missa Ordinationis, 648 — Episcopi prohibeant quominus Confirmandi adulti *pedem ponant super pedem dexterum* Patrini, *ibid.*

Postcommunio, vide *Offertorium*

Praecedentia, Sodalitium Tertii Ordinis *praecedentiam habet* supra Confraternitatem SS. Sacramenti, 562 — vide *Octava.*

Preces imperatae, de precibus, a SS. Leone XIII post Missam imperatis, *post Missam Ordinationis omittendis,* 42 — de *rubricula* harum precum, 309.

Presbyter assistens, et Diaconi assistentes Episcopo absolutionem faciente post assistentiam in *Cappa* ad Missam solemnem, *non sumunt paramenta coloris nigri.* 359 — de *Presbytero assistente* in Missa, casus, — quibusnam *iure vel privilegio competat* Presbyter assistens in Missa, et *quemnam praeseferat sensum* Rubr. Missalis de ritu celebr. Missae, — *quomodo considerandus Presb. assistens* in Missa *non pontificali,* — quid de *diversitate caeremoniarum rituumque* ut in casu, et utri caeremoniarium Magistro ratio faveat, — vide *Caeremoniale* etc.

Privilegia, de privilegiis Americae Latinae *Litterae Apostolicae SS. D. N. Leonis PP. XIII,* 554.

Processiones, in process. cum SS. Sacr. Confraternitatum Sodales *nudo omnino capite incedere debent,* 565 — usus quodam in loco vigens *deferendi imagines Deiparae et Sanctorum* in process. SS. Sacram., quae fit per oct. Corp. Christi, *nulli legi adversatur,* sicuti usus *viginti sex thuribulorum,* 663 — vide *Functiones Liturg. in Paroeciis, Sodalitium.*

Prohibitio librorum, de librorum proibitione, 173 — de prohibitis *apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum* libris, 177 — de editionibus *textus originalis* et versionum *non vulgarium* S. Scripturae, *ibid.* — de editionibus *vernaculis* S. Scripturae, 178 — de libris *obscenis, ibid.* — de quibusdam *specialis argumenti* libris, *ibid.* — de *Sacris Imagi-*

nibus et *Indulgentiis*, 179 — de libris *liturgicis* et *precatoriis*, 180 — de *Diariis*, *foliis* et *libellis periodicis*, *ibid*. — de *facultate legendi* libros prohibitos, *ibid*, — de pravorum librorum *denunciatione*, 181 — de Praelatis *censurae librorum* praepositis, 182 — de *Censorum officio* in praevio librorum examine, 183 — de libris *praeviae censurae* subiiciendis, *ibid*. — de *Tipographis* et *Editoribus* librorum, 184 — de *poenis* in Decr. Generalium transgressores, *ibid*.

Prophetiae, de *obligatione legendi Prophetias* in Missis Sabb. S. et Vig. Pentec., 90.

Pyxis, de pyxidis purificatione per Celebrantem, *in medio Missae*, propositio quaestionis, 362 — Ciborii purificatio certe fieri debet *post sumptionem Sanguinis* et probatur ex Rubricis, *ibid*.

Q

Quarta funeraria, vide *Parochus*.

R

Regina Coeli, dicenda est pro *Angelus D.ni* in Sabb. S. *ad meridiem*, 168.

Regulares, *unum tantum festum Patr. sub ritu dupl. 1ae cl.* facere possunt, 257 — Regulares *Seminaria regentes* et in illis *docentes* Calendarium Ordinis sequi debent *quoad officium et Missam*, 303 — Regul. extra domicilium ordinarium *rusticandi causa commorantes*, sequi tenentur proprium Calendarium, 308 — Praepositus Generalis *est Ordinarius Regularium*, cui ius inest *approbandi festa translata*, 309 — de *duobus recolendis Patronorum festis* a Regularibus, 457, *ad unum Patronum principalem celebrandum*

Regul. tenentur, etiam *si absque feriatione* celebretur, 460 — Regulares omnes etiam quoad *Credo* se conformare debent in Missa, *si celebrent in Ecclesia aliena*, 593 — de quodam festo *sub ritu dupl. mai. cum feriatione* die 12 Oct., casus, ad *quae festa localia* Regul. teneantur, et quibus de causis, 730 — quid *Fratres Capulati* agere in casu debeant, 733 — quid *Benedictini*, 734 — quid *Carmelitae excalceati*, *ibid* — vide *Dedicatio Ecclesiae, Institutores Sancti.*

Reliquiae Sanctorum, deficientibus *quatuor Reliquiarum ostensoriis, duo tantummodo* inter candelabra et Crucem *poni possunt*, 68 — an liceat exponere inter candelabra Altaris non tantum Reliquias Sanctorum *sed etiam SS. Crucis et Spineae Coronae D. N. I. C.*, 229 — quaedam praemittuntur *circa varios modos exponendi Reliquias*, et circa *reverentiae signa* illis debita, *ibid.* — quaestioni propositae *negative respondendum videtur* 1°) quia *nulla lex habetur*, quae has Reliquias modo in quaesito enunciato, exponere permittat, 232 — 2°) quod *S. Crucis Reliquiae* ad *Missae Sacrificium* non pertinent nec *ad altaris ornatum*, 234 — 3°) quia Ecclesia *non vult ut iisdem reverentiae et cultus signis* honorentur Reliquiae *S. Crucis* et Reliquiae *Sanctorum*, 236 — exponi nequeunt *Rel. super Tabernaculo*, 704 — vide *Imagines, Occurrentia.*

Repositio, *de officiorum repositione, casus*, 202 — quomodo Patres nostri se gesserint in *antiquitate*, quando *una eademque die plura occurrebant festa* celebranda, 203 — de *occurrentia* et quae *temporanea seu accidentalis* et *quae perpetua*, *ibid.* — quid *translatio, assignatio* vel *repositio*, 205 — usque *ab antiquo tempore* nonnullorum Sanctorum festum *ad aliam diem amandatum fuit*, 206 — regulae olim habitae *pro festorum repositione*, *ibid.* — Decreta S. R. C. quoad praevalentiam officiorum, *insolutam reliquunt quaestionem*, 208 — *magni facienda* est

distinctio inter *festum* et *officium*, 209 — dies *natalitia* semper praevalere debet diei *assignatae*, *ibid.* — *regulae tenendae pro officio recolendo aut reponendo*, si aliquod festum a S. Sede celebrandum statuitur *in die impedita ab alio officio vel festo* in aliqua Eccl., 210 — reposito prima die libera officio aliquo in sua impedito, uti de *S. Anthero* in casu, superveniente alio festo reponendo quia impedito, *necesse non est alia iam assignata officia removere*, sed officium impeditum *assignandum est primae diei liberae in perpetuum* post alia, 211 — quid de casu exposito et quomodo resolvendus, 212 — de repositione off. *S. Gabrielis Arch.*, *Pretiosissimi Sanguinis* et B. M. a *Misericordia*, 361.

Repositio SS. Sacram., vide *SS. Sacramentum*.

Reverentia, de reverentia facienda Episcopo, *SS. Sacram. in Alt. mai. exposito*, 591.

Rogationes, vide *Functiones Liturg. in paroeciis*.

Rosaria, vide *Formula*.

Rosarium SS.mum, si II. Vesperae non sunt dicendae, *hymnus Vesperarum non videtur coniungendus cum hymno Laudum*, 257.

Rubricae, de Rubr. mutatione *circa semid.* quaedam concurrentia, 30 — Rubricae speciales festorum infra Oct. Nativ. *intactae permanere debent*, 258 — vide *Preces imperatae*.

S

Sacerdos, in aliena Eccl. celebrans *tenetur officio illius suam conformare Missam*, 360 — vide *Missa*.

Sacramentum SS., de *modo praebendi per Diaconum* Ostensorium Sacerdoti *pro benedictione*, illudque *ab eo recipiendi*, propositio quaestionis 613 — ex *consuetudine tantum per S. R. C. firmata et non ex ipsa vi iuris* licet, ut Diaconus in expositione et re-

positione SS.mi, extra omnem Processionem, Sacerdoti praebeat *stanti* Ostensorium pro benedictione, ab eoque *stans* post illam recipiat, *ibid.* — hoc eruitur ex *Clementina Instructione, ibid.* — ex *regulis secutis ante Clementinam*, 614 — ex *Commentariis* super Clementinam, *ibid.* — idem eruitur ex *Caeremoniali Episcoporum*, 616 — nullum invenitur decretum ad rem, *ibid.* — *nunquam licet*, ut Diaconus praebeat Sacerdoti *genuflexo* Ostensorium, illudque ab eo *genuflexus* recipiat post benedictionem ut in proposita quaestione, 617 — qui exponit et reponit SS. Sacr., Ostensorium quoque in expositionibus *sine Ministris paratis* valet porrigere Sacerdoti ut supra, ab eoque recipere, 619 — de *quodam singulari modo* exponendi SS. Sacram. et cum Eo populum benedicendi, 743 — vide *Ministri*.

Sacristia, si sacristiae ostium *retro est post altare*, quomodo ab ea *egrediendum et regrediendum*, 41.

Salutatio, de salutatione ad invicem cum *capitis inclinatione profunda*, 39.

Salvator SS., vide *Titulus*.

Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, benedici potest a Sacerdote indultum habente tantum in locis, *ubi non sunt Religiosi relativi Ordinis*, etsi in his adsint Moniales Carmelitae vel Confraternitas, 542 — de benedictione huiusmodi Scapularis *si cum aliis commixtum sit*, 629.

Semiduplex, vide *Commemoratio, Octava, Rubricae, Translatio festorum*.

Septem Dolores B. M. V., de festo Septem Dolorum B. M. V. *Dominic. III. Sept.* casus, 66 — *quaenam mens* fuerit Pontificis quando in universa Eccl. festivitatem Septem Dolorum instituit, cum *aliud iam in Quadrag. festum eiusmodi celebraretur*, 68 — Quando Ecclesia festum Deiparae vel Sanctorum celebrandum iubet in aliqua Dominica, *non intendit semper festum ipsum Dominicae ita affigere*, ut feriatione

non gaudeat, 71 — de *festi* et *solemnitatis* significatione, 74 — differt *translatio officii* a *translatione totius festi*, 75 — quando hoc festum transferendum est, *merum officium* transfertur, *ibid* — quomodo Rubrica specialis Breviarii et Missalis *concordentur simul*, habito respectu ad dupl. maiora, *ibid*.

Sepultura Ecclesiastica, vide *Dementes, Parochus*.

Sequentia, de seq. in Missis Defunct., 37 — vide *Orationes*.

Signum Crucis, de quibusdam Crucis Signis in officii recitatione *in Rubricis non praescriptis*, 170 — de Crucis signo ad verba *Initium* vel *Sequentia* S. Evangelii, 587.

Simplex, vide *Commemorationes, Translatio festorum*.

Sodalitas Mariae Opiferae, huic Archiconfr. Augustae Taurinorum erectae *alias sodalitates eiusdem nominis aggregari possunt*, 51.

Solemnitas, vide *Septem Dolores*.

Sonitus Campanae, *quaenam festa impedientia* funebrem sonitum campanae, 306 — toleratur sonitus Campanulae tempore Missae ad « *D.ne non sum dignus* », 704.

Spina (S.), vide *Concurrentia*.

Spiritus Sanctus, de *praesentia et virtute mirifica* Spiritus S. in Eccl., *Epistola Encicli ca Leonis PP. XIII*, 399.

Stephanus (S.), vide *Symbolum in Missa*.

Stola, decretum *stolam prohibens in eo qui assistit Episcopo privatim celebranti*, authenticum est, 36 — de stola in Vesperis *coram SS.mo exposito*, 93 — vide *Parochus*.

Subdiaconus, Patenam sustinens in Missa solemni *non genuflectet stans in plano post* Celebrantem *ab Elevatione* ad *Pax D.ni*, 596 — vide *Caeremoniale, Episcopi, Minister in Missa priv., Ministri, Presbiter assistens*.

Suffragia SS., vide *Commemorationes*.

Suicida, vide *Dementes*.

Symbolum Athanasianum, de *Symbolo S. Athan.* et *Praefa-*

tione in octava SS. Trinitatis, 538 — vide *Trinitas SS.*

Symbolum in Missa, de Symbolo *alternatim* canendo, 309 — Symbolum in Missa *S. Theresiae* in Hispania dicendum est *etiamsi festum transferatur*, 448 — *non gaudet Symbolo* festum secundarium *Transverberationis* S. Virginis, 449 — de Symbolo in Missa Invent. *S. Stephani Patroni*, propositio quaestionis, 664 — Symbolum *competit Patrono principali tantum*, 665 — quando de eius principalitate constat, dicitur *Credo* tam in *die natali* quam *in eius secundariis festis*, 666 — quare *pro gratia tantum* permittatur Symbolum in Invent. S. Stephani, quum uti Patronus dioecesis *die 26 Dec. rite recolitur*, 667 — vide *Regulares*.

T

Theresia (S.), vide *Symbolum in Missa*.

Thronus Episcopalis, quibusnam in casibus ius Episcopo dioecesano competat *sedendi in Throno*, seu *antiqua* seu *praesenti* disciplina inspecta, in utraque Eccl. latina et graeca, et *quando in primo subsellio chori*, 693 — quaenam sint eiusdem Episcopi iura *circa induendas vestes* dum divinis officiis assistit, circa *Throni usum*, et *associationem Canonicorum*, 696 — quid iudicandum de singulis in casu expositis, et an bene se gerant Canonici, an potius Episcopus, 698.

Thuribulum, vide *Processiones*.

Titularis, in Eccl. dicata *S. Iesu Infantiae*, festum Titul. fit die 25 Dec. *cum officio et missa de Nativ. D.ni*, 7 — eius commem. ad Laudes facienda est per antiph. « *Gloria in excelsis* », ad Vesperas per antiph. « Christus natus est » ut in 2[is] Vesp. omissis « *hodie* », 8 — de recolendo festo Titularis *Eccl. in statu*

restaurationis, 308 — de festis *Transfigurationis Titularis Eccl. SS. Salvatoris* et *S. Xysti Titul.* in Eccl. eiusdem nominis, casus, 633 — num *antiquior necne mos sit* celebrandi *solemniori ritu* Titulos Ecclesiarum, et *cuius vi legis* hodie celebrandi sunt, et a *quibus Ecclesiis*, 634 — verum satis est probatum firmumque principium, *ex quo tria festa solemniora localia nulli festo locum cedant*, nisi sit *ex solemnioribus universalis Ecclesiae*, 639 — quomodo hac super re interpretandum decretum *22 Aug. 1893*, 641 — quid iudicandum si dicta festa primaria *cum aliis primariis magis propriis* occurrant vel concurrant *eiusdem ritus*, *ibid.* — in Eccl. S. Xysti die 6. Aug. *celebrari debet Titulus proprius*, *ibid.* — vide *Octava*, *Officium*.

Titulus pro Sacra Ordinatione, de Tituli *convenientia*, 59. — duplex titulus distinguitur, *ecclesiasticus*, *patrimonialis*, *ibid.* — titulus ecclesiasticus subdividitur in *beneficialem* ac *paupertatis*, 60 — titulus *servitii Ecclesiae*, *ibid.* — titulus *Missionis*, *ibid.* — Ordinarii non possunt ad Sacros Ordines Clericos *titulo Missionis promovere*, nisi de speciali indulto S. Sedis, 61 — hoc indultum *concedi solet Superioribus* Missionum aut Collegiorum, *ibid.* — Superiores eo *parce* uti debent, *ibid.* — Clerici hoc titulo ordinandi *tenentur prius iuramentum emittere* se Missioni cui destinantur, *perpetuam operam daturos*, *ibid.* — necesse non est ut Ordinandus hoc titulo, *actualiter in Missione versetur*, 62. — *nequit religionem ingredi* absque venia S Sedis, *ibid.* — titulus hic *amitti potest et ab Ordinariis auferri*, de consensu S. C. de Propag. Fide, *ibid.* — Clerici, qui hunc titulum amiserunt, et Regulares in saeculo viventes *ad alterius tituli subrogationem tenentur*, *ibid.* — Ordinarii in Missionibus *Clericis alio titulo ad Sacros Ordines admissis utantur*, 63 — Clerici Missionis titulo ordinati *Indulgentia plenaria fruuntur* cum iuramentum *emit-*

tunt vel *stato iam die renovant, ibid.* — *formula* huiusmodi iuramenti, 64.

Translatio festorum, de festorum *translatione*, 198 — de *officio duplici*, 200 — in *Vig. Nativ. ibid.* — in tota oct. *Epiph* 201. — infra octavam *Paschae, ibid.* — in festis *Corp. Chr.* et eius die octava, *Imm. Conc.* et *Assumpt. B. M. V.*, S. *Ioseph. Sponsi* eiusdem, *ibid.* — de *quadam editione* Diurnalis Romani, *ibid.* — duplicia minora *translationis iure non gaudent*, exceptis *solis Doctorum festis*, 546 — vide *Octava*, *Repositio, Septem dolores.*

Trinitas SS., de *Dominica SS. Trinitatis* in qua occurrit octava Pentecostes, casus, 417 — de *origine* et *institutione* festi SS. Trinitatis, 418 — privilegium excludendi quodcumque aliud festum etiam 1ae cl., *afficit festum ipsum Triniiatis*, et non Dominicam, 427 — utri ex diverse opinantibus ratio arrideat, 435 — festum SS. Trinitatis die 8 Maii Hispaniae concessum, *ritu tempori paschali convenienti* celebrandum est, 590 — Symbolum « *Quicumque* » in eodem festo dicendum est tam *in Dominica occurr.* quam *extra, ibid.*

U

Ursulae Ss. et Soc. Lectiones antiquae 2i *noct.* in earum festo *sunt mutandae et novae assumendae*, 307.

V

Veni, Creator, in Ordinatione Presbyteri *intonari debet ab Episcopo genuflexo*, 352.

Versus, de *quodam versu mutando* ad commem. in *officio semid.*, si *idem sit ac in suffragiis*, 253.

Vesperae, concurrentibus 2^{is} Vesperis officii vot. *B. M. V. Imm.* cum 1^{is} Vesp. *Dominicae seq.*, Vesperae fieri debent *a capitulo de Dominica*, 1 — Calendarii Gallici errores *in ordinandis quibusdam Vesperis*, 49 — Vesperarum *ordo* in concursu diei oct. *Dedic. Omnium Ecclesiarum* cum *dupl. min. primario*, 661 — vide *Concursus, Caeremoniale, Ministri pro Pontificalibus ad faldistorium.*

Vestes episcopales, *quaenam sint* vi Caeremonialis Ep., 25 — de ipsarum materia et colore, 26 — de ipsarum *antiquitate*, 27 — causae ob quas Caeremoniale *vestium colorem, iuxta tempora, immutare Episcopis praecipit*, 28 — de *cauda* in veste Episcopali, *ibid.* — de *Pileolo*, 29 — vide *Thronus Episcopalis.*

Vestes Sacrae, quam vestem Sacerdos sumere debeat ad *Communionem fidelibus distribuendam*, 44.

Vigilia, de Vig. occurr. in Quadrag. vel in *quatuor temporibus Adv. fit tantum commem. in Missa de Feria*, 471.

Vigilia Conceptionis, in Missa huius Vig. *non videtur adhibendus color violaceus*, 307, 362. — explanantur quaedam obiectiones, 657.

X

Xystus (S.) P. et M. vide *Titularis.*

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.

—

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta *Patriarch. Antioch., Vicesgerens.*

Proprietas literaria.

Romae, Typis Artificum a S. Joseph, in Vico a S. Prisca, 8. (*in Col. Aventino*).